

TARTU ÜLIKOOL · UNIVERSITAS TARTUENSIS · 1632

EX BIBLIOTHECA
CAR. MORGENSTERN.
321.

Bf. 26.

Jo. Andr. Bertram 1748
const. mat. 6 H.
lyst. 4
10 H.

Morgenstern. 1792

LAVRENTII VALLAE DE LINguæ Latinæ Elegantia libri sex, iam nouissimè de integro bona fide emaculati.

Eiusdem de reciprocatione Sui & Suus libellus: & in errores Antonij Raudensis adnotationes.

Vnà cum adnotationibus IOANNIS THEODORICI in libros Elegantiarum, & aliorum, quorum catalogum uersa pagina inuenies.

Cum indice ampliſſimo.



Biblioth.
Academ.
Dorpat.

Cum priuilegio Imper. ad annos quinq.

COLONIAE excudebat IOANNES Gymnicus, Anno M. D. XLV.

AVTHORVM CAtalogus, quorum adnotationes Vallæ Elegantijs acceſſerunt.

Ioannes Theodoricus in omnes ſex libros Elegantiarum L. Vallæ.
Aſconius Pedianus.
Alexander ab Alexandro.
Ioannes Deſpauterius.
Perottus ſiue author Cornucopiæ.
Eraſmus Roterodamus.
Gulielmus Budæus.
Andreas Alciatus.
Thomas Linacer.
Franciſcus Floridus.
Stephanus Doletus.
Iulius Cæſar Scaliger.
Gybertus Longolius.

577
1053343943

GENEROSIS, OPTImæq; ſpei adoleſcentibus, Alberto & Iodoco fratribus, Comitibus in Hoya & Bruichuſen, Ioachimus Clauidius S. D.

NVPER cùm relegerem, quæ in Iureconſultos ſcripſit Laurentius Valla libro de Latini ſermonis elegantia ſexto: quibuſdam in locis doctiſſimo uiro mendoſos Digeſtorum codices impoſſiſſe animaduerti. Ea re adductus ſum, ut quidquid in ijs, iam olim Tribonia-ni culpa mutilatis, Iureconſultorum monumentis reprehendiſſet, uel in ſuas elegantias indè tranſcripſiſſet, ad exemplaris fidem, quod apud Norimbergenſes emendatiſſimum êdidit GREGORIVS HALOANDER, recognoſcerem. Ex cuius collatione uix ullus locus potuit ſine menda ſubſiſtere: argumento ſanè non leui, quàm tum illa Iureconſultorum, tum omnia ferè optimorum authorum ſcripta, Vallæ ſeculo corrupta fuerint. Quô æquior ex eo Laurentio fui, longiusq; à quibuſdam uiſum eſt recederè, qui partim cauillantur, quòd multa ſuis præceptionibus uoluerit ſubijcere, quæ libera ſunt, & optimis authoribus uſitata; partim de eo haud multò

secùs, ac de rabido cane, sentiunt. Contra quos si mihi pro homine propugnationem suscipiendam putarem: sine negocio possem ostendere, neq; Latinam linguam eum uoluisse coarctare, neque natura sua, nec male-
dicendi studio, sed rebus ipsis exigentibus, liberiorem in reprehendendo fuisse. Cæterùm cordatis hominibus plus ueræ ac rectæ de se opinionis inseuit ijs libris, quos ingenij ac doctrinæ suæ testes reliquit, quàm ut his calumnijs queat lædi, aut necessarium sit, me adhiberi patronum. Et re autem uestra, ac studiosorum omnium, qui hunc scriptorem nondum attigerunt, fore arbitror, si paucis indicaro, utrosque minùs candidè, & (ut uerè dicam) iniquè cum hoc optimo uiro agere. Fluebat Vallæ temporibus sermo Latinus sine lege, sine ulla priscæ puritatis obseruantia, grassabaturq; tota Italia barbaries, quæ restingui ac eijci cõmodè non potuit, nisi sermo maximè proprius, & Latinæ linguæ principibus familiaris, loquendi præceptis formam daret. Itaque, ut in antiquum statum rem Latinam restitueret, suas præceptiones ad mundissimam phrasim adcommodauit: non quòd statim suspectum atque alienum haberet, si quid aliter quandoque ab authoribus esset prolatum: sed ut libero nimis sermoni circundaret limites, ostenderetq;, intrà quos terminos consistere pura èleganscq; oratio deberet. Quod ego sanè superuacuò adducerem, quum id author ipse non uno in loco testatum reliquerit: nisi hodiè quidam aut impudenter, ut qui scriptoris consilij malicioscè dissimulẽt, aut stupidè nimis, quippe qui non intelligant, clamarent, Vallã nũc demũ indignam Romanæ Linguæ seruitutẽ imposuisse, éque spacioso ac libero campo, quo optimi quiq; authores decurrerunt

Lib. 1. ca. 10. lib. 6. cap. 21.

rerũt, in angustum ac salebrosum, Grammaticis cautionibus deduxisse. Sed carpsit summos uiros, et augustos (ut Zasij uerbo utar) Heroës impetuit. Quid mirum? An non, ut de alijs recentioribus taceam, circunferuntur hodiè de Plinij erroribus integri commentarij? Inter ueteres autem, atque eos ipsos quidem Iurecoss. quanta reprehendendi licentia? In Aemilij Papiniani libros triginta septem quæstionum, notas scripserunt Vlpianus & Paulus, discipulus uterque Papiniani, & in Prætorio adsessor: in libros octo περὶ ἀνῶν Antistij Labeonis, notas scripsit Paulus: in Saluium Iulianũ, Marcellus et Paulus: in Marcellum Martianus: in Scæuolã Triphoninus. Quòd si hîc mihi aliquis occinat, falcem in alienam messem non fuisse mittendam, neque, quod eiusdem scholæ ac professionis hominibus liberum fuit, alieno licuisse: ab hoc bona uenia impetratum uelim, ut paulò intentiori lectione Vallæ scripta perlustret: ex quibus deprehendet, summo studio eum euoluisse libros Iuris ciuilis, atque eò profecisse, ut quod Zasius, alijq; in Iureconsultos ueteres sibi permiserunt: non arrogãtia, sed suo quodammodò iure sibi sumpserit. Atqui, si fingamus, ante Vallam neminem hac reprehendendi libertate usum: tamen ei condonãdum erat, si homo egregij spiritus, uehementia contentionis, quam pro Latinæ linguæ puritate maiestateq; summis laboribus susceperat, paululùm extra modestiæ fines proiectus esset. Quarè de hoc insigni, ac primo, quod sciam, postea oppressam barbarie Italiam, Romanæ elegãtiæ adsertore, honorificè sentiendum existimo. Cui ne quid ea in parte deesset, qua Latinum sermonem angustiore campo concluisisse suis præceptionibus arguitur,

egregiè præstitit IOANNES THEODORICVS. Is enim nõ modò copiosè, uerùm & singulari iudicio, exemplis authorũ ostẽdit, ubi sine periculo à Vallæ præceptis liceat recedere. Quasanè opera plus mihi uidetur ad has de Elegãtia præceptiones contulisse, quàm omnes, quos antehàc uiderim, limitatores. Sed, quia in quibusdam nimia exẽplorum copia diligens præter necessitatẽ adparebat, neq; potuisset liber hac forma excusus, tam prolixum commentarium capere: rogatu Ioannis Gymnici, librarij de me optimè meriti, locos aliquot authorum ex adnotationibus eius sustuli. Ea quoq; retulimus in locũ suum atq; ordinẽ, quæ apud diuersos scriptores sparsim in Laurentium adnotata inueniuntur: uirulentis obtrectationibus, quarum plus quædam continebant, quàm doctrinæ, omißis. Hanc operam (quam tamen principiò, ut neque ingenij ullius, neq; magni laboris, amico priuatìm tribui) uobis dicare placuit, quibus sentio Latinam ac purã orationẽ esse cordi. In qua ut expeditiùs certioreq; ductu elaboretis, hic author de manibus nõ erit deponẽdus, donec firmã quandam scribendi ac loquendi facilitatem comparaueritis. Cuius studium ut cum optimis disciplinis fœliciter coniungatis, Deum Opt. Max. precor. Valete.

Coloniæ, Non. Ian. Anno

M. D. XLIII.

Epitaphium Laurentij Vallæ

Nimirùm manes quæ tuncty Valla petivit
Non audet plusquo verba latina loq.
Jupiter hunc cœli dignatus honore fuisset
Censorem linguæ sed timet ipse suæ

LAVRENTII VALLAE PATRICII Romani, & linguæ Latinæ adsertoris, in libros Elegantiarum

PRAEFATIO.

QVM sæpè mecum nostrorum maiorum res gestas, aliorumq;, uel regum, uel populorum, considero: uidentur mihi non modò ditionis nostri homines, uerùm etiam linguæ propagatione cæteris omnibus antecelluisse. Nam Persas quidem, Medos, Assyrios, Græcos, aliosq; permultos, longè lateq; rerum potitos esse: quosdam etiã, ut aliquãtò inferius quàm Romanorum fuit, ita multo diuturnius imperium tenuisse constat: nullos tamen ita linguam suam ampliasse, ut nostri fecerũt: qui (ut oram illam Italiæ, quæ magna olim Græcia dicebatur: ut Siciliam, quæ Græcia etiam fuit: ut omnem Italiam taceam) per totum penè Occidentem, per Septentrionis, per Aphricæ non exiguam partem, breui spacio linguam Romanam (quæ eadem Latina à Latio, ubi Roma est, dicitur) celebrem, & quasi reginam effecerunt: & (quod ad ipsas prouincias attinet) uelut optimam quandam frugem mortalibus ad faciendam sementem præbuerunt, opus nimirùm multò præclarius, multoq; speciosius, quàm ipsum imperium

Festus Põpeius. Latinè loquĩ à Latio dictum est.

rium propagasse. Qui enim imperium augent, magno illi quidem honore affici solẽt, atq; Imperatores nominantur: qui autem beneficia aliqua in homines contulerunt, ij non humana, sed diuina potiùs laude celebrantur. quippe qui non suæ tantùm urbis amplitudini ac gloriæ consulant, sed publicæ quoq; hominum utilitati ac saluti. Itaq; nostri maiores, rebus bellicis, pluribusq; laudibus cæteros homines superarunt: linguæ uerò suæ ampliatione seipsis superiores fuerunt, tanquã relicto in terris imperio, consortium deorum in cœlo consecuti. An uerò Ceres, quòd frumẽti: Liber, quòd uini: Minerua, quòd olei inuentrix putatur, multiq; alij ob aliquam huiusmodi beneficentiam in deos repositi sunt: linguam Latinam nationibus distribuisse minus erit, optimam frugem, & uerè diuinam, nec corporis, sed animi cibum? Hæc enim gentes illas populosq; omnes, omnibus artibus, quæ liberales uocantur, instituit: hæc optimas lẽges edocuit: hæc uiam ad omnem sapientiam muniuit: hæc denique præstitit, ne barbari ampliùs dici possent. Quarè quis æquus rerum æstimator, non eos præferat, qui sacra literarum colentes, Cedãt arma togæ, concedat laurea linguæ.
ijs, qui bella horrida gerentes, clari fuerunt? Illos enim regios homines, hos uerò diuinos iustissimè dixeris: à quibus non (quemadmodùm ab hominibus fit) aucta respublica est maiestasq; populi Romani solùm, sed (quemadmodùm à dijs) salus quoque orbis terrarum: eô quidem magis, quòd qui imperium nostrum accipiebant, suum amittere, & (quod acerbius est) libertate spoliari se existimabant, nec fortasse iniuria. Ex sermone autem Latino non suum imminui, sed condiri quodammodò intelligebãt: ut uinum posterius inuentum, aquæ usui: non excussit: nec sericum, lanam

nam linumq; : nec aurum, cætera metalla de possessione eiecit, sed reliquis bonis accessionem adiunxit. Et sicut gemma aureo inclusa anulo, non deornamento est, sed ornamento: ita noster sermo accedens aliorũ sermoni uernaculo, contulit splendorẽ, non sustulit. Neq; enim armis, aut cruore, aut bellis dominatum adeptus est: sed beneficijs, amore, concordia. Cuius rei (quantum coniectura suspicari licet) hoc, ut ita loquar, seminariũ fuit. Primùm, quòd ipsi maiores incredibiliter se in omni studiorum genere excolebãt, ita ut ne in re quidem militari aliquis, nisi idem in literis, præstans esse uideretur: quod erat cæteris ad æmulationem non exiguum incitamentum. Deinde, quòd ipsis literarum professoribus præmia egregia sanè proponebãt. Postremò, quòd hortabãtur prouinciales omneis, ut cum Romæ, tum in prouincia Romanè loqui consuescerent. At (ne pluribus agam) de comparatione imperij sermonisq; Romani, hoc satis est dixisse. Illud pridem, tanquàm ingratum onus, gentes, nationesq; abiecerunt: hunc omni nectare suauiorem, omni serico splendidiorem, omni auro gemmaq; pretiosiorem putauerunt, & quasi deum quendam è cœlo demissum, apud se retinuerunt. Magnum ergo Latini sermonis sacramentum est, magnum profectò numen, quod apud peregrinos, apud barbaros, apud hostes, sanctè ac religiosè per tot secula custoditur: ut non tam dolẽdum nobis Romanis, quàm gaudendũ sit, atque ipso etiam terrarum orbe exaudiente gloriandum. Amisimus Romam, amisimus regnum, amisimus dominatum: tametsi non nostra, sed temporum culpa: ueruntamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra Indicant hoc non paucę Imperatorũ epistolæ, quæ inter Ciceronis habentur.

Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dacia, Illyricum, multæq; aliæ nationes. Ibi nanque Romanum imperium est, ubicunq; Romana lingua dominatur. Eant igitur nũc Græci, & linguarum copia se iactẽt. Plus nostra una efficit, & quidem inops (ut ipsi uolunt) quàm illorum quinq; (si eis credimus) locupletissimæ: & multarum gentium uelut una lex, una est lingua Romana: unius Græciæ (quod pudendum est) nõ una, sed multæ sunt tanq; in republica factiones: atq; exteri nobiscum in loquendo consentiunt, Græci inter se consentire non possunt, nedum alios ad sermonem suum se perducturos sperent. Variè apud eos loquuntur autores. Atticè, Aeolicè, Ionicè, Doricè, κοινῶς apud nos, id est, apud multas nationes, nemo nisi Romanè: in qua lingua disciplinæ cunctæ libero homine dignæ continentur, sicut in sua multiplici apud Græcos: qua uigente, quis ignorat, studia omnia, disciplinasq; uigere: occidẽte, occidere? Qui enim summi philosophi fuerunt, summi oratores, summi Iureconsulti, summi denique scriptores: nempe ij, qui benè loquendi studiosissimi. Sed me plura dicere uolentem, impedit dolor, & exulcerat, lachrymariq; cogit intuẽtem, quo ex statu, et in quem, facultas ista reciderit. Nam quis literarum, quis publici boni amator à lachrymis temperet, quum uideat hanc in eo statu esse, quo olim Roma capta à Gallis? omnia euersa, incensa, diruta, ut uix capitolina supersit arx: Siquidem multis iam seculis non modò Latinè nemo locutus est, sed ne Latina quidem legens intellexit. Non philosophiæ studiosi philosophos, non causidici oratores, non legulei iureconsultos, nõ cæteri lectores ueterum libros perceptos habuerunt, aut habent: quasi amisso Romano

Calamitatẽ Latini sermonis deflet Liuius lib. 5. ab Vrbe cond.

mano imperio, non deceat Romanè nec loqui, nec sapere, fulgorem illum Latinitatis situ ac rubigine passi obolescere. Et multæ quidẽ sunt prudentium hominum, uariæq; sententiæ, undè hoc rei acciderit: quarum ipse nullã nec improbo, nec probo, nihil sanè pronunciare ausus, non magis, quàm cur illæ artes, quæ proximè ad liberales accedunt, pingendi, scalpendi, fingendi, architectandi, aut tam diu tantoq; opere degenerauerint, ac penè cum literis ipsis demortuæ fuerint aut hoc tempore excitentur, ac reuiuiscant, tantusq; tum bonorum opificum, tum benè literatorum prouentus efflorescat. Verumenimuerò quô magis superiora tempora infelicia fuêre, quibus homo nemo inuẽtus est eruditus: eò plus his nostris gratulandum est, in quibus (si paulò amplius admitamur) confido propediem linguam Romanam uirere plus quàm urbem, & cum ea disciplinas omneis iri restitutum. Quarè pro mea in patriam pietate, imò adeò in omneis homines, et pro rei magnitudine, cunctos facundiæ studiosos, uelut ex superiori loco libet adhortari, euocareq;, & illis (ut aiunt) bellicum canere: Quousq; tandem Quirites (lite ratos appello, & Romanæ linguæ cultores, qui & ueri, & soli Quirites sunt: cæteri enim potiùs inquilini) quousq; inquã Quirites urbẽ uestrã, nõ dico domicilium imperij, sed parẽtem literarũ, à Gallis esse captam patiemini, id est, Latinitatem à barbaris oppressam? quousq; prophanata oĩa duris & penè impijs oculis aspicietis? An dum fundamentorum reliquiæ uix appareant? Alius uestrûm scribit historias: istud est Veios habitare. Alius Græca transfert: istud est Ardeæ cõsidere. Alius orationes, alius poëmata componit: istud est capitoliũ arcemq; defendere. Prælara quidem

Quiritatio.

quidem res, & non mediocri laude digna: sed non hoc hostes expellit, non patriam liberat. Camillus uobis, Camillus imitandus est, qui signa (ut inquit Vergilius) in patriam referat, eamq; restituat: cuius uirtus adeò cæteris præstantior fuit, ut illi, qui uel in Capitolio, uel Ardeæ, uel Veijs erant, sine hoc salui esse non possent. Quod hoc quoq; tempore continget: & cæteri scriptores ab eo, qui de lingua Latina aliquid composuerit, nõ parùm adiuuabũtur. Equidem (quod ad me attinet) hunc imitabor, hoc mihi proponam exemplum, comparabo (quantulumcunque uires meæ ferent) exercitum, quem in hostes quamprimùm educam. Ibo in aciem, ibo primus, ut uobis animum faciam. Certemus, quæso, honestißimum hoc pulcherrimumq; certamen, non modò ut patriam ab hostibus recipiamus, uerumetiam ut in ea recipienda quis maximè Camillum imitabitur, appareat. Difficilimum quidem præstare, quod ille præstitit, omnium Imperatorum mea sententia maximus, ritèq; secundus à Romulo conditor Vrbis appellatus. Ideoq; plures, pro se quisque, in hãc rem elaboremus, ut saltèm multi faciamus, quod unus effecit. Is tamen iure, uereq; Camillus dici existimariq; debebit, qui optimam in hac re operam nauauerit. De me tantum affirmare possum, non quòd sperarem, tantæ me rei satisfacturum, difficilimam sumpsisse laboris partem, durißimamq; prouinciam: sed ut redderem alios ad cætera prosequenda alacriores. Hi enim libri nihil ferè, quod ab alijs authoribus (ijs dũntaxat qui extant) traditũ est, continebunt. Atque hinc principium nostrum auspicemur.

DE

DE NOMINIBVS IN A, QVORVM ablatiui plurales exeunt in abus.

CAPVT I.

DEVS dea deabus, dicimus: Diuus diua diuabus, non dicimus. Item in quibusdam alijs, ut Filius filia filiabus: nõ, Priuignus priuigna priuignabus. Natus nata natabus: non, Genius genita genitabus. Equus equa equabus, & Mulus mula mulabus: non, Asinus asina asinabus, nec Iuuencus iuuenca iuuencabus, nec cætera similia: non, Cerius cerua ceruabus: non, Lupus lupa lupabus. Item, ut dicimus, Libertus liberta libertabus: ita non dicimus, Libertinus libertina libertinabus: non, Patronus patrona patronabus: non, Concubinus concubina concubinabus: non, Pedisequus pedisequa pedisequabus: non, Seruus serua seruabus: non, Famulus famula famulabus: non, Dominus domina dominabus: non, Animus anima animabus. Tamet si quidam his posterioribus utuntur: Cicero tamẽ ad uxorem & filia scribens, Duabus animis suis, dixit: non Animabus. Et Curtius de matre & uxore Darij, Dominis, non Dominabus, dixit. Quòd si qui per licentiam aliter loquuntur, non est mirandum, quum quidam ueteres dixerint Dextrabus, pro Dextris, & Eabus, pro Eis. Sed ego de usu loquendi disputo, non de abusu.

Duabus animis.) Sic & Statius in Achil. Charisq; para connubia natis: pro Natabus. Et Columel. lib. 6. cap. 36. A tenero conuersatus equis familiariter: pro Equabus.

THEOD.

De uerbalibus exeuntibus in atio. Cap. II.

Cur ab itum fiat atio & nõ itio.

NOmina quæ ueniunt a uerbis primæ coniugationis, positionem supini habentibus in itum uel in ictum, præter cæterorum uerborum legem, exeunt in atio, & nõ in itio, nec in ictio, ut: Veto uetui uetitum, inde uetatio: non, uetitio. Præsto præstiti præstitum, præstatio: non, præstitio. Cubo cubui cubitum, cubatio: nõ, cubitio. Domo domitum, domatio, nõ, domitio. Sono sonitum, sonatio: non, sonitio. Crepo crepitum, crepatio: non, crepitio. Tono tonitum, tonatio: non, tonitio, licèt dicamus, sonitus, crepitus, tonitus: non, sonatus, crepatus, tonatus. Frico fricum, fricatio: non, frictio, & ita in cæteris. Sectio tamen crebrius reperitur, quam Secatio. Horum participia dissimilia sunt. Nam ea, quæ sunt præteriti tẽporis, exeunt in itus: quæ uerò futuri, in aturus. Vetitus uetaturus. Præstitus præstaturus. Vnde Lucan. Constatura fides superum. Domitus domaturus, & ita in cæteris. Lauo & Poto non habent supina, neque in atum, neque in itum, neq; in ctum, sed in otum. Ideoq; formant nomina sua Lotio, & Potio: inde sunt Lotor & Potor uerbalia nomina, & Lotium pro urina, prima tamen breui, non longa. Aliquando reperitur Lauatum, & Potatum: inde sunt Lauatio & Potatio, Lauatorq; & Potator. Iuuo iuui iutum, neq; in hunc, neq; in illum modum format suum derivatiuum. Cæterum ex alio supino Iuuatum facit Iuuatio: ab illo fit Iutor, seu potius Adiutor. Ex cæteris autem pauca sunt nomina uerbalia in or, ut Domitor: non, domator: & Sector, qui significat eum * accusatorem, qui ex damnatione accusati, dimidium bonorum expectat illius, aut certè aliquam partem.

* Aliàs uenditorẽ

Et

Et Sector qui.) Sectores dicti sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proq; ijs pecunias pensitabant singulis, hæc postea pro compendio suo singula quæq; pecunia populò uendituri. Cicero pro Roscio: Nescis pro ista tempora eosdem ferè sectores fuisse bonorum colonorũ. Et Cæsar in commẽtarijs: Postridiè eius diei refractis portis, cùm iam defenderet nemo, atq; intromissis militibus, sectionem eius oppidi uniuersam Cæsar uendidit.

ASCON. PED.

Ludicrum & ars ludicra. Cap. III.

Lib. 7. cã. de nominatiuo plurali tertiæ declination.

LVdicra (inquit Priscia.) & non ludicra, ab hoc Ludicri dicimus. Verg. in 12. Neq; enim leuia, aut ludicra petuntur Præmia. Per quod uult Ludicra tertiæ declinationis: quum contrà notum sit, secundæ esse: ut in lẽge illa frequenter repetita, Qui artem ludicram exercuerit, in quatuordecim ordinibus primis ne sedeat. Ars ludicra, est ars histrionica & scenica, & (ut sentiq) quidquid nomine ludicri intelligitur: Nam ludicrum, quod est substantiuum, non modò ludus histrionicus est, & scenicus: sed quodcunque lusorium opus ac ioculare, etiam ludi publici.

De ficu, & eius declinatione, & genere. Ca. IIII.

FIcus (idem inquit) etiam uicium corporis, quartæ est. Martialis 5. epi.

Lib. 4

Cùm dixi ficus, rides quasi barbara uerba,
Et dici ficos Cæciliane iubes,
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci.
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Ex quo ostendit, & uicium, & fructum quartæ esse declinationis: genere autem differre. Ego uerò reperio ancipitem apud Martialem scripturã, & frequentiùs sic, ut & ipse puto scribendum:

Cùm dixi ficos, rides quasi barbara uerba,
Et dici ficus Cæciliane iubes.

Dicemus

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci.

Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Ante omnia, cur ille risisset Martialem, quòd diceret Ficus? An non reperitur Ficus, saltèm pro arbore, atque etiam pro fructu in numero singulari? Non hoc ergo ille ridebat. Quid ergo? quòd genere abuteretur? ne hoc quidem. Quippe cùm dico Ficus, quo genere utar, nemo intelligit. Certè ridebat quòd alia declinatione uteretur, quàm ea, qua debebat: ut ex secundo uersu, in quo mutata est declinatio, apparet. Quòd si igitur Cæcilianus de declinatione aiebat, non de genere: debuerat Martialis ad declinationem, non ad genus respondere, ut est putandum. Atque adeò necesse est, eum respondisse: Siquidem (ut ostendi) ille reprehenderat, quòd hic Ficos diceret, non Ficus. Quæ reprehensio si uera est, ut Prisciano uidetur, qui uult Ficus magis esse quartæ: quæ tandem modestia poëtæ fuisset, eum, qui rectè admoneat, tam execrabili (etiamsi uero crimine) incessere? Ergo coniunxit accusationem imperitiæ, cum accusatione flagitij, per iocum & dicacitatem, ut moris sui est, quòd ille adeò stolidus, non solùm nequam esset, ut negaret Ficos reperiri, quos secum semper, & quidem cum dolore gestaret. Quod minimè mirũ est reperiri, quum pro fructu, ad cuius similitudinem morbus appellatus est, in secunda declinatione, & (ut opinor) in genere masculino non modò apud poëtas, sed apud oratores quoq; probatissimos reperiatur. ut Horatius: Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi. Et Plinius ad Octauium Ruffum: Quæ nunc cũ ficis & boletis certamen nondũ habent. Et Cicero de senectute: Ex tantulo grano fici. Quidam grãmaticorum recẽtium, id

id est, imperitorum, aiunt, pro fructu quartæ, pro arbore secũdæ esse declinationis: quum pro arbore sit secundæ, pro fructu quartæ, ut idem de Oratore: Vxorem suam suspendisse se de ficu. Secundæ autem, ut apud Iuuenalem: Ad quæ discutienda ualent sterilis mala robora fici. Macrobius & ipse in secũda declinatione semper ferè utitur, & plurimos ueterum ostẽdit usos. Priscianus uerò uult pro fructu & morbo quartæ esse, & hoc authoritate Martialis. Neq; ego inficior, ultimum illũ Martialis uersum posse sic legi, ut recitat Priscianus. Sed id magis ioco, quam serio, à poëta accepimus esse dictum. Neq; enim seipsum, quòd ficos dixisset, sed illius & nequitiam, & imperitiã reprehendere uoluit, non ignorans, Ficos & Latinè & usitatè dici. Nec uerò Prisciano faciendum fuit, ut unum Martialem sequeretur, & Cæcilianum nescio quem, ut flagitiosum hominem, sic inerudituin, in eo præsertim loco, ubi iocabatur Poëta, nec suam sententiã aperiebat, & tacitè negabat, quod affirmare uidebatur. Nam nequaquàm dixisset Ficus quartæ esse declinationis, & generis masculini, quod inauditũ est: nec differentiam posuisset generis inter morbum & fructum, quum hoc ab illo dicatur. Quidam ecclesiastici aiunt, pro arbore ficulnea, ut ibi: Respicite ficulneam, & cæteras arbores: quod nusquam alibi (si memoria non excidit) mihi repertũ est. Sed adiectiuum Ficulnus, a, um, pro materiato ex illa arbore, ut à Populus populnus, & à Corylus colurnus, & ab Abies abiegnus, ab Ilice ilignus dicitur.

Vbi iocabatur poëta.) Videtur Laurẽtius sentire, posse utiq; legi Ficus inflexiõis quartæ: sed ita, ut quartũ carmẽ interrogatiuè sic pronũcietur, Dicemus ficus Cæciliane tuos? quasi diceret: Dicemus ficus generis masculini

Satyr. 10

Lib. 3. Satur. ca. 20

Videannotatiões Vallæ in nouum testa. in ca. Matt. 21.

THEOD.

sculini quartæ declinationis pro eo quo laboras morbo? Cui sanè interrogationi poëta ipse tacitè respondere intelligitur, Non: nisi fortè mâlis ironicè sic: Dicemus ficus Cæciliane tuos, scilicet.

Quod nusquàm alibi.) Hunc locum satis impudenter calumniatur Ioannes Scoppa, quasi negarit Laurentius, Ficulneus adiectiuum à Ficu latinè dici: quum hîc de Ficulnea ab ecclesiasticis substantiuè pro Ficu arbore usurpata loquatur.

De nominibus diminutiuis in ulus, ellus, illus, & aster. Cap. V.

NOmina diminutiua exeuntia in talem uocem, qualis est Pisciculus, si ritè formentur, uera sunt diminutiua: ut, Pisciculus, Vermiculus, Passerculus, Fraterculus, Securicula, Lucubratiuncula, Virguncula, Sororcula, Munusculum, Corpusculum, Tempusculum, Mendaciunculum, Plusculum. Sin minus ritè formentur, diminutiua non sunt: ut Auunculus, Cuniculus, Musculus, quando est paruus mus, Pediculus, uel (ut alij uolũt) Pedunculus, & penultima lõga Cucûlus: Cicercula, nomẽ leguminis: Nouacula, culter rasorius: Lẽticula, uasculi genus. Alia masculina aut fœminina non occurrũt. Seruius tamen super Donatum ait, Acus acicula. Acus enim dicitur, qua uestes sarciuntur: Acicula qua mulieres utuntur ad ornamentũ capitis. Adiectiua tria, Anniculus, Ridiculus, Vernaculus: anniculus puer, annicula puella, anniculum iumẽtum, hoc est, unius anni: sicut Bimus, bima, bimum, id est, duorum annorum: Trimus, trima, trimum, id est, trium annorum: Quadrimus, quadrima, quadrimum, id est, quatuor annorum, & non amplius. Nec de animalibus modò, sed de inanimatis: ut Anniculum uinũ, bimum oleum. De pueris tamẽ magis loquimur per diminutiuum, Bimulus, Trimulus,

Trimulus, Quadrimulus, quia intrà hos annos adhuc parui sunt. Similiter de his, in quibus hæc ratio habet locũ: ut Anniculus equus, bimus aries, trimus porcus, quadrimum uinum, bimulus puer, trimula puella: dissimiliter, in quibus hæc ratio locum non habet: Ridiculus homo, ridicula res, ridiculũ caput, id est, deridẽdum. Est etiam sæpè neutrum, significatq; plerunque sermonem risus potius, quàm derisus excitantem. Vernaculus, uernacula, uernaculum, quod est domi nostræ, uel in nostra patria natũ: ut, Lingua uernacula, quod uulgò dicunt, Lingua materna: dictum est à Verna, qui est seruus domi nostræ natus, id est, ex nostra ancilla. Præterea neutra multa sunt: ut, Vmbraculũ, Tabernaculũ, Spectaculũ, Habitaculũ Cœnaculum, Crepusculum, Germiculum, pro germine, Crepitaculum, Vinculum, Amiculum, pro amictus genere quodam ferè pallio: Curriculum pro cursu, & pro loco, in quo certamen currendi exercetur, nonnunquàm etiam pro curru, ut Curtius lib. 8. Aliorum turbati equi, nõ in uoragines modò, lacunasq;, sed etiã in amnem præcipitauêre curricula. Cubiculum, quod certè à Cubili nõ uenit, quum intrà Cubiculum Cubile sit, & eius diminutiuum foret Cubiliculum. Puluis & significatione & formatione legitima diminutiuum facit, sed genus mutat apud Hieronymum: ut, Vile puluisculum: masculinè tamẽ posuit Apuleius in quodam suo carmine, de quo meminit in apologia de magîa:

Ridiculũ neutrũ, potius derisum uidet significare apud Plaut. in Cassina: Ita nunc pudeo atque ita nũc paueo atq; in ridiculo sumus ambo.

Apolo. 1.

Misi (ut petisti) mundicias dentium,
Nitellas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,

Sarritorem pridianæ reliquiæ:
Ne qua uisatur tetra labes sordium,
Restrictis si fortè labellis riseris.

Conuentus quoq; facit Conuenticulũ. Cicero pro Sestio, Tamen conuenticula hominum, quæ ciuitates nominauerunt. Baculus nõ terminat diminutiuum in hac uoce, quia sua talis est, tamen neutrum habet Bacillum. Cicero secundo de finib. Bacillum aliud est inflexum & incuruatũ de industria, aliud ita natum. Reperitur tamẽ primitiuum & in neutro, ut apud Ouid. li. 15. Esse solet, baculumq; tenẽs agreste sinistra. Ne Terebra quidem huius uocis est, tamen gignit diminutiuum Terebellum, non Terebellam. Auricula uerò ritè formatur, sed significatione dissentit. Nanq; cartilago illa est circum aurium concauitatem, non autem parua auris. Mentula quoq;, quæ nõ paruã mentem significat, sed uirilia. Fidicula pro instrumento torquendi: quod an ritè formetur, nunc uideamus. Nam Fidis, inquit Priscianus, facit Fidecula. Nã si esset Fides in hac significatione, quo modo Seruio placet, non Fidicula fecisset, sed Fidicula. Auidiùs Seruium Priscianus carpsit, utpote unã rem non uno in loco reprehẽdens. Cæterum ipse fallitur, non Seruius. Nam nec Fidis (quẽadmodũm ueterũ authoritas tradit) sed Fides dicitur: & si Fides dicatur, Fiduculã potius quàm Fideculam analogia exigit. De authoritate satisfecerit Festus Pompeius ita scribens: Fides genus citharæ, dicta, quòd tantum inter se chordæ eius, quantum inter homines fides, concordent. Analogiæ quoq; ratio Fidicula exigit à Fides, sicut Aedicula ab Aedes, Sedicula à Sẽdes, Cædicula à Cædes; non Aedecula, Sedecula, Cædecula

Prisc. lib. 3

decula: sicut Apes (de quo solo nomine facit ille mentionẽ) Apicula facit, non Apecula. Et si quàndo Apis in nominatiuo reperiatur, ut ille ait, ueluti apud Oui. in 13. Non apis indè tulit collectos sedula flores: hoc perquàm rarum est, & analogia Apes potius quàm Apis defendit: quia à pede compositum ac deriuatum putatur. Deniq; Fidis in nominatiuo inauditum est: ergo Fides dicendum est, cuius diminutiuum Fidicula, id est, parua cithara uel chordula, in plurali torto rum (ut dixi) instrumentum, ex duobus, ut reor, & obliquatis lignis compactum, uel ab extorquẽda fide ac ueritate, uel à nerueis funibus uinculisq;, quibus ad illum modum homines torquendi alligabantur.

Pediculus.) Quemadmodùm Pediculus pro paruo pede: ita & pro fœdo illo animali, quo capiti solet infestari, uerum est diminutiuum. In eo enim significato ipsum primitiuum Pes usurpatur. Var. de re rust. Tum perpurgant caput, ne quos habeant pedes. Apud Plinium pro paruo pede Peduſculus legitur, lib. 11. cap. 10. THEOD.

Cucũlus penult. longa.) Cuculus pro aue penult. habet communem: pro ueste longam.

AD hunc locum pertinet, quod nunc subijciemus: Nomina tertiæ declinationis exeuntia in Er, siue masculina, siue fœminina, siue communia, huiusmodi uocem diminutiuorum sortiri, ut Pater paterculus, Frater fraterculus, Mater matercula: cuius quasi similis Soror facit sororcula. Et Cicerculaà Cicer, tanquàm à fœminino, Pauper, paupercu lus, paupercula. Quæ sunt secundæ declinationis tam adiectiua quàm substantiua, faciũt diminutiua in ellus masculina, in ella fœminina, in ellum neutra. Culter In ellus
cultellus, Liber libellus, Puer puellus, Tener tenera tenerum, Tenellus tenella tenellum, Miser misera miserum, Misellus misella misellum, Sacer sacra sacrum

crum, Sacellus sacella sacellum. Vnde hoc Sacellum pro templo modico. Hinc factũ est, ut fœminina quoq; substantiuorũ eodem modo, quo adiectiuorum, facerẽt diminutiua. Caper capra capella, Puer puera puella, Liber libra libella, licèt multò aliud Libra Liber significet. Hæc diminutiua in ellus & ella exeunt.

In illus. Lib. 3. circa finem. Sunt quædam in illus, illa. Inter ea autẽ Priscianus priora ponit Ala, multq; facere diminutiuum Ascella. Cicero tamen inter posteriora: duo enim masculina, totidemq; fœminina donat hoc genere terminationis, In Orat. ad M. Brutum. Palus, paxillus, Talus, taxillus, Mala, maxilla, Ala, axilla. Sunt tamen alia in hãc uocẽ exeuntia.

In aster. ILla quoq; diminutiua, quæ finiunt in aster, imitationem potiùs, quàm diminutionem significant. Neq; enim ea ratione dicitur Oleaster, Pinaster, Apiastrum, Mentastrũ, Siliquastrum, q. sit parua olea, parua pinus, paruum apium, parua menta, parua siliqua: sed quòd syluestria, oleam, pinum, apium, mẽtam, siliquam imitãtia. Et, quo quidam utuntur, Filiaster pro priuigno, nõ paruus filius est, sed imitans filium: & Parasitaster, non paruus parasitus. Aliter enim non diceretur à Comico, Parasitaster paruulus, sed imitator parasitorum, ut apud M. Tullium pro Vareno, Erutius hic noster Antoniaster est. Et ad Atticum lib. 12. Omnino solet esse Fuluiaster, id est, Antonij Fuluiij q imitator. Et hinc Augustinus appellat philosophastrum, non (ut puto) paruum philosophum, sed imitatorem philosophorum: nisi dicas, imitationem esse diminutionem quãdam perfectionis: tamen aliud est esse diminutiua, aliud imitatiua. Nec quisquam dixerit Oleastrum esse minutam oleam, & Pinastrum esse minutam pinum, quam Plinius ait esse mirę

Plin. li. 16, cap. 26. Lib. eodẽ.

mirę altitudinis: & ut nũc solent pusillos homines appellare Antoniaster, Luciaster, Paulaster, secuti Priscianum, qui præter superiora hoc addit: esse eius modi diminutiua adulationis, & maximè puerorũ, ut Catullaster, Antoniaster, Patritiolus, Sergiolus. Sed hæc posteriora uerè sunt diminutiua: illa (ut ostendi) non uera, ideoq; nec adulationis: quanq; omnia diminutiua (non minus, quàm hæc in olus) sunt apta adulationi, & sæpe etiam contemptui, ut Homunculus, Homulus, Argutulus. sed ad rem reuertamur. Pullastra apud Varronẽ, quæ est parua adhuc adolescẽsq; gallina: quod nec ipsum diminutionẽ significat (nã masculum potius pulla, q. minuscula est, etiã si minor gallina est) nõ Gallinastra dicitur, sed Pullastra. Duo tamen nomina sunt, quæ diminutionis regulã seruant, Surdaster & Recaluaster: quorũ alterũ significat diminutionẽ surditatis. Nõ est enim planè surdus surdaster, sed (ut sic dicã) surdulus: & recaluaster, q. fronte caluus est, nõ toto capite, quasi recaluaculus, quod est diminutiuum: in quem modum nequeũt resolui nomina illa, de quibus supra disputauimus. Ex his autem, quæ retuli, exemplis, liquet, non modò in aster finiri hæc nomina, sed etiam in astra fœminini generis, ut Pullastra, Filiastra, apud quos dã pro priuigna: Siliquastra, pro piperite, quod non uideo quid ex siliqua imitetur: & in astrum neutri, ut Apiastrum, Siliquastrum à siliqua arbore ferẽte fructum sui nominis, quod Græci κεράτιον uocant: significat etiam Siliqua folliculum, ubi grana leguminum includuntur, & si quid leguminibus est simile: fereq; hæc nomina arborum, herbarumq;, diuersum genus habent in primitiuis, à diminutiuis uel deriuatiuis.

Vide Plin. li. 20. cap. 17.

De nominibus exeuntibus in rius uel rium. Caput VI.

TAbularium locus est, ubi tabulæ, id est, instrumenta & literæ reponuntur. Sacrarium, repositorium sacrorum. Aerarium, repositorium æris, id est, numorum, similiumq; rerum preciosarum, atque opum. Armarium, ubi reponuntur libri, cæteraq; huiusmodi. Armamentarium, ubi reponũtur armamenta & arma. Atramentarium, uasculum quod continet atramentum. Calamarium quidam usurpant pro theca calamaria, ubi calami recondũtur: sed quia hoc tempore plerique penna scribũt, potest etiã dici pennarium, nisi malumus appellare thecam pennariam, thecam calamariam, & thecam graphiariã. Penarium, ubi reponitur penus, hoc est edulia & ad uictum pertinentia. Viuarium, ubi continentur, uel aues, uel pisces, uel feræ, quæ duntaxat ad uictum spectant. Pomarium, locus pomorum reponendorum, uel locus consitus pomis, ut Ouidius: Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas Mœnibus. Quidam hoc Pomœrium uocant. Titus autem Liuius, Pomœrium ait esse locum ad muros intrà & extra, ubi ædificare nõ licet, quasi post mœnia: ut dicimus, Pomeridianum, pro eo quod est post meridianum. Vnde Lucanus, Longè per extremos pomœria tũgere fines. Pomarium igitur, aut locus frequens arboribus pomi, siue fructuum pomi repositorium, aut copia ipsa arborum pomiferarum. Nam horum nominum natura est, significare, uel locum, ubi illa sunt: uel ipsarum rerũ, quæ in loco sunt, copiam: ut Aluearium, tametsi potest dici locus, ubi sunt aluei apum, tamen potius accipitur pro copia alueorum eodem in loco collocatorum, ac apum mellificantium

Lib. 1. ab urbe con.

cantium. Et Rosarium magis copiam fruticum uno loco rosas gignentium, quàm ipsum locum, ubi hi frutices sunt, significat: quem locum ne Rosetum quidem appellare possis, quum idem significet quod Rosarium, nisi per contentum significetur continens. Plantarium non locus plantarum, sed ipsæ plantæ, etiamsi euulsæ aut non consitæ fuerint. Nec me fallit, Seruium separare Plantaria à Plantis, dicẽtem: Plantæ sunt raptæ ab arboribus, Plantaria uerò quæ ex seminibus nata cum radicibus & terra propria transferũtur. Ad quod sentiendũ uidetur allexisse eum Vergilij uersus, Et uiua sua plantaria terra. Seminarium, non locus, sed semen ipsum, id est, plantulæ. Pampinarium, non terra ubi nascuntur pampini, sed congeries pampinorum, id est, uirentium ramusculorum uitis: uel (ut ait Plinius) palmes qui è duro exit, materiamq; in proximum annum promittit, Pampinarium uocatur: certè in hoc palmite multi sunt pampini. Calcearij, Vestiariumq;, pro calceis & uestibus, ut Cibaria pro cibis. Fustuarium pro fustigatione. Carnarium, non locus, ubi caro salsa suspenditur, sed caro ipsa: nisi contentum pro continente accipiatur. Donaria, non locus repositorius donorum, sed ipsa dona, licèt Seruius dicat, ubi dona oblata sunt: sicut Lectisternia dicuntur, ubi homines in templo sèdere consueuerunt. Ita in cæteris adhibenda est in similium nominũ significatione accuratio: & hæc de neutris. Nam masculina, fœminina, & communia, officia hominum, qualitatẽq; significant. Caprarius, Saltuarius, Camparius, Horrearius, Classiarius, custos exercitorue caprarum, saltus, campi, horrei, classis. Sagarius, Linteārius, Vestiarius, uẽditor sagorum, linteorum, uestium.

Plantaria plãtarum esse loca, nõ desunt qui hisce Plinij uerbis dicant Quædã in plãtario insita eodem die trãsferuntur.

De lectisternio lege Liuiũ ab urbe cõdi. li. 5.

uestium. Proprietarius, Fructuarius, Vsuarius: cuius est proprietas prædij, cuius fructus, cuius usus: quæ omnia significant actionem, passionemq; numero quidem incomprehensibilia. Pauca autem, quæ passiuè accipiũtur, Legatarius, Commodatarius, Depositarius, Beneficiarius, Fideicommissarius, qui legatum, commodatũ, depositum, beneficium, fidei commissum accepit, & si qua sunt alia. Ex huiusmodi nominibus fiunt etiam nomina quædam rerum, Calcaria, Sulphuraria, ubi calx coquitur, & sulphur fit. Atq; hæc à nominibus ferè proficiscuntur: illa uerò magis

In orius. à uerbis, uel à uerbalibus in or. Et sunt adiectiua in orius, oria, orium, actionem significantia, Accusatorius, Petitorius, Defensorius, Fideiussorius, Institorius, Exercitorius, Tributorius. Nam Tributarius uenit à tributum, Tributorius à tributor: sicut Depositarius à depositum, Depositorius à depositor. Significat itaq; Tributarius, qui soluendo tributo obnoxius est, ut Stipendiarius, qui soluendo stipendio, & Depositarius, qui reddendo deposito, ut

Vide Quintil. lib. 8. ca. 3 Munerarius, qui dat munera populo, gladiatoribus in arena exhibẽdis. Ideoq; uas Escarium dicimus, & uas Potorium, quia hoc à nomine uerbali uenit, illud non uenit. Prætor, Senator, Holitor, Lictor, nõ opinor descẽdere à uerbis: sed quia uocem uerbalem obtinent, sicut Censor & Quæstor, sic formauerunt sua denominatiua, Prætorius, Senatorius, Holitorius, Censorius, & Quæstorius. Holitor autẽ est, qui hortum holerũ exercet, quẽ nonnulli Hortulanũ uocant. Est & holus unaquæque herba, qua uescimur. Nam sunt & horti non solùm holerũ, sed arboribus consiti, & uoluptatis gratia comparati, ut horti Sallustiani, Pompeia-

ni, Lucullani, Claudiani. Lictor, minister consulis, procõsulis, præsidis, prætoris, qui fascem uirgarum alligatum cum securi portat: suntq; lictores consulis duodeni, aliorum seni. His addere possumus Aleator, quod uidetur descendere à uerbo, quod nusquã reperitur: Non enim Aleare dicimus, sed Alea ludere. Neutra autem in orium, locum plerunq; significant, ubi aliquid fit: ut Deambulatorium, locus ubi deambulamus. Dormitorium, locus ubi dormimus. Repositorium, ubi reponitur aliquid. Tentorium, locus ubi tendimus uela, aut si quid instar uelorum habet, uel potius ipsa uela siue uelamẽta contra iniuriam cœli. Auditorium, locus ubi audimus præceptorem, aut orantem non in uera causa, aut opus nouum recitantem, aut si quid simile est, uel ipsa turba, atq; ipse cœtus auditorum. Tectorium, illinimentum est, & quasi pauimentum parietis, atq; incrustatio. Amatorium, genus ueneni amorem uel insaniam ingerẽtis. Portorium, uectigal portus, uel fluminũ, uel lacuum, uel stagnorum. Nam & portitor ille dicitur, qui trã ducit homines, ac uehit naligio, uel ad nauim de litto re, uel de naui ad littus, uel ad ulteriorem fluminis, lacus, stagni ue, seu ripam, seu littus, licèt frequentiùs dicatur littus. Potest etiã accipi pro eo, qui portorium cõduxit, id est, qui fructus pecuniarios ex portu conduxit, & à uenientibus illos exigit: quæ ratio in cæteris huiusmodi discernenda est. Hoc etiam loco addam, quòd quum dicamus, Dumetum, Spinetum, Vepretum, similiaq;: tamen dicimus, Senticetum, non Sentetum.

Quasi post mœnia.) Pomœrium, quasi post murum, dictum esse, Varro author est de lin. lat. lib. 1. Veteres THEOD.

enim

enim Mœrus pro Murus & scripserunt & protulerunt. An autem id nominis uoluerit Liuius ex Post & Mœnia compositũ (quod adstruere uidetur Valla) ex ipsius uerbis nullo negocio deprehendetur, quæ sic habent: Hoc spacium, quod neq; habitari, neq; arari fas erat, nõ magis quòd post murum esset, quàm quòd murus post id, Romani pomœrium appellarunt.

LONGO. Et Rosarium magis copiam fruti.) Si quis tamen diligentiùs inspiciat naturam & usum huius dictionis, facilè animaduertet, authores ferè semp pro loco rosis consito usurpasse. Quod autem Laurentium in eam opinionẽ induxit, Vergilij, ni fallor, carmẽ est in 4. Geor.

Forsitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferiq; rosaria pesti.

Nam Pestum hîc locum significat. Verum fallitur. Ipse etiam ῥοδωνιὰν in Herodoto transtulit rosarium, quum constet, grammaticos Græcos talia nomina, qualis ῥοδωνιὰ, ἰωνιὰ, κρινωνιὰ, id est, rosarium, uiolarium, liliarium, uocare τόπους ἐν οἷς τὰ ῥόδα καὶ ἴα καὶ κρίνα φύεται, id est, locos in quibus rosæ, uiolæ, & lilia crescunt.

De Euentu, Iussu, Permissu, Iugero. Cap. VII.

EVentus in singulari generis masculini, & declinationis quartæ est: cuius plurali Marcus Tullius sæpissimè in neutro genere, & declinatione secunda utitur, ut de Oratore: Ex aliorum factis, aut dictis, aut euẽtis. Idem de Diuinatione: Si euẽta quærimus, quæ exquiruntur * auibus. Et ad Lucceium: Fabulam rerum, euentorumq; meorum. Et ad Atticum: Semper enim causæ euentorum magis mouent, quàm ipsa euenta. Quidam planè imperiti Euentum aiunt significare principium, ut apud Ouidium:

*Aliàs extis.

In epist. heroid.

Exitus acta probat, careat succesibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Illud enim, Exitus acta probat, uox est accusantium Phyllidem argumento, quod dicitur à casu, eosq; Phyllis

Phyllis ipsa execratur, dicens: Careat succesibus opto, quisquis à casu, & non à causis alium laudat, aut uituperat. Similia sunt huic, Iussu & Permissu tuo, quorum pluralia sunt potiùs secundæ declinationis, in singulari ferè nunq;. Neq; enim dicere solemus, Iusso tuo, sed Iussu: non Permisso tuo, sed Permissu. Horatius tamen Vtar permisso, id est, re permissa, non autem permissione: nec dixisset Permisso tuo, nec Iussibus Permisibusq; tuis, sed Iusis permisisq; tuis, nec Iussus Permissusq; tuos, sed Iussa permissaq; tua. Accipe iussis Carmina cœpta tuis. Et iterũ: Ille patris iussa exsequitur. Et alibi: Haud mollia iussa. Euerso Iugerum in singulari secundæ, & in plurali tertiæ est declinationis: non autem (ut ait Priscianus) Iugus iugeris, quum omnes dicãt in singulari Iugerũ, & in plurali Iugeribus. significat autem mensuram ducentorum quadraginta pedum in longitudinem, dimidij in latitudinem, uel (ut aliqui uolunt) quantum par boum una die arat: quæ duæ significationes in idem recidunt. Tantum enim ferè solet una die par boum arare, quantum dixi.

Lib. 7

Cuius plurali. M. Tullius.) Idem quoq; Euentus plurali frequenter utitur genere masculino, declinatione quarta: ut in dial. de orat. part. Quæro qui sunt illi euẽtus, quos ex causis effici dixisti. Et Tuscul. 4. Eorum enim hæc sunt, qui euentus humanos superiores quàm suos animos esse ducunt. Plin. lib. 11. cap. 17. Sæpè expiata magnis euentibus.

THEOD.

Iussu & Permissu.) Eadem forma dicimus Missu, Coactu, Concessu, Discessu, & similia.

De nominibus adiectiuis in tilis, silis, & xilis. Cap. VIII.

NOmina quæ exeunt in tilis, uel in silis, uel in xilis, similimam suis participijs, undè nascũtur, significa

significationem habent. Vas fictile, quod fictum à figulo, nõ quod fingi potest. Coctiles lateres, qui cocti sunt, & non crudi. Rasiles calathi, quasi rasi: nihil exstantis aut redundantis plenitudinis. Vergilius tamen: Et torno rasibile buxũ, quasi rasibile. Pensilis uua, Pensilis lectus, Pensiles lychni, Pensiles balneæ, Pensiles horti, quòd suspensi sunt, & in aëre pendentes. Flexilis ramus, Flexiles uites, quòd flexæ sunt, & lapsu erratico torquentur. Tortilis ansa, quòd retorta & replicata est. Tornatile poculum quod tornatum est, & torno factum. Textilis uestis, quæ detexta est. Sutilis baltheus, Sutilis cymba, quòd consuta est. Sculptile simulachrum, quod sculptum est. Altilis auis, altilis quadrupes, altilis piscis, qui sagina altus siue altus est, atque saginatus. Structilis basis, Structiles columnæ, quæ non sunt ex uno lapide, sed multis. Apertile latus, quod apertum est, ut Ouid. de Tristibus: Aspicis à dextra latus hoc adapertile tauri. Tinctile uirus, quod tinctũ est, aut intinctum spiculo sagittæ, ut apud eundem & in eodem opere: Et tinctile uirus. Tonsile buxetum, & Tonsiles oleas legimus, quòd tonsæ sunt, ac in orbem ac comam putatæ. Et hæc nomina in participium passiuum resoluuntur, quæ passiuum habent: quæ uerò passiuo carent, in præsentis participium: qualia sunt neutra, ut Anima uolatilis, quasi uolãs, & quidam uolatilia Volucres uocant, quia uolant, ut Aleilia animalia, quæ aluntur. Sessiles lactucæ, quasi sedentes: quod licèt à participio non ueniat, tamen eiusdem naturæ est, quum in significatione consentiat, & à supino nascatur. Vmbratilis uidetur conuenire cum cæteris, quasi umbratus, ut Vita umbratilis, & Res umbrati

2. Georg.

Plin. li. 19. cap. 8.

Plau. Amphit. Larua umbratilis tu me minis territas?

umbratiles, id est, uita, umbra, & opaco marcescens: & res per inuolucra & inanitatem, qualis umbra est, ductæ, Vmbratiles appellantur. Versatilis quoq; scena uidetur significare, quòd uersatur huc & illuc, non quòd uersata est: & Axis uersatilis, & Gladius angeli uersatilis, quòd uersatur. Quidam autem Versilis scena & Ductilis: Versilis quidem, quòd, cùm tota machinis quibusdam conuertebatur, aliam picturæ faciem ostenderet: Ductilis uerò, cùm tractis tabulatis hàc atq; illàc, species picturæ mutabatur interior. Plicatilis crista upupæ, quæ plicatur, non quæ plicata est. Et Nauis plicatilis, quæ plicatur cùm facta est ex corijs. Fissilis arbor, Fissile lignum, Fissile robur, tũ quasi fissum cuneis, tum quia finditur, quasi fissibile, ut Plinius libro decimosexto: Hæc maximè fissilia, alia frangi celeriora quàm findi. Idem paulò pòst: Nullisq; fissile rimis hoc lignũ, id est, fissum. Solutilis etiam nauis dicitur (qualis nauis, in qua Agrippina à Nerone filio per insidias posita, naufragium fecit) quasi solubilis, quæ facilè solui posit. Ego uerò malim Solutilem dicere solutam, & non fideliter consutã. Et Sectile porrum legimus, non tam sectibile (quid enim non est sectibile?) quàm sectum, & sua sponte concisum. Futilis, uanus uel inutilis, uel à Futio futis, unde Effutio effutis: uel à Fuo futum: uel per apocopen ab alio supino, quod ab alijs diuinari mâlo, quàm à me proferri. Aquatilis, à nomine uel à uerbo, animal in aqua degẽs. Saxatilis, incola saxorũ. Piscis fluuiatilis, incola fluuij, non maris aliarum'ue aquarum piscis. Pluuiatilis aqua, à Pluo, uel magis à Pluuia.

Suetonius in Nerone. Hoc consilio per cõscios parũ celato, solutilẽ nauẽ cuius uel naufragio, uel cameræ ruina periret commentus est.

De adiectiuis in bundus. Cap. IX.

Prisci

PRiscianus libro quarto inquit: Inbundus desinentia, similitudinem habere significant, ut Vitabundus, similis uitanti. Prædabundus, similis prædanti. Moribundus, similis morienti. Errabundus, similis errãti. Furibundus, similis furẽti. Et paulò pòst: Excipitur alternitatis causa Rubicundus, quod in penultima syllaba pro b, c habuit, ne sit absonũ, si Rubibundus dicamus. Sed uideamus an Priscianus rectè sentiat: neq; à me primùm hæc quæstio mouetur, sed olim ab Aulo Gellio, atq; ante hunc à Terentio Scauro Adriani temporibus, (ut idem Aulus Gellius ait) grammatico uel nobilissimo, cõtra Cesellium in commentario lectionum antiquarum ita scribẽtem: Ludibundus, Errabundus, Ridibundus, idem est, quod Ludens, Errans, Ridens. Quod Scaurus reprehendit, dicens: Ludibũdum esse, qui ludentem: Errabundumq;, Ridibundumq;, qui errantem, ridentẽq; agit, aut simulat. Hoc Aulus Gellius confutat, atque ita cum Cesellio sentit, ut non simulationem per hæc nomina, sed ecõtrariò uehementiã intelligi uelit, his quidẽ uerbis: Sed qua ratione Scaurus adductus sit, ut Cesellium in eo reprehenderet, non herclè reperiebamus. Non est enim dubium, quin hæc genere ipso duntaxat idem significent: quod ea demonstrant, à quibus producuntur. Quid enim esset ludentem agere, uel imitari? & paulò pòst: Cùm reprehensionem autem illam Scauri notaremus, in memoriam nobis redijt, quòd Sisenna in quarto historiarum eiusdem figuræ uerbo ita usus est: Populabũdus, inquit, agros, ad oppidũ peruenit. Quod scilicet significat, cũ agros popularetur: non, ut Scaurus in consimilibus uerbis ait, cùm populantem ageret, uel cùm imitaretur. Poterat

Gel. li. 11. cap. 15.

terat tamen Aulus Gellius accommodatum magis producere exemplum, quale apud Sallustium in Iugurthino: Ipse quasi uitabundus per saltuosa loca & tramites exercitum ductare. Si huiusmodi nomina in bundus significarent similitudinem, quid ita adderet Quasi, quod similitudinẽ imaginemq; significat? Per git idem Aulus Gellius dicens: Sed inquirentibus nobis, quænam ratio & origo esset huiuscemodi figuræ Populabundus, & Errabundus, & Lætabundus, multorumq; aliorum id genus uerborũ, ἰπιξόλως, id est, aptè & ingeniosè, herclè. Apollinaris noster sibi uideri ait, particulam istam postremam, in quam uerba talia exeunt, uim & copiam, & quasi abundantiam rei, cuius id uerbum esset, demonstrare: ut Lætabũdus is dicatur, qui abundè lætus sit, & Errabundus, qui longo atq; abundanti errore sit. Cæteraq; omnia, ex ea figura ita dici ostendit, ut productio hæc & extremitas, largam & fluentem uim & copiam declaret. Hæc Aulus Gellius: à quo miror cur descierit Priscianus, & uni Scauro potiùs quàm his duobus tribus'ue astipuletur. An quia Grammaticus Scaurus, & Prisciano similitudine professionis coniunctus: Cesellius uerò iurisconsultus, & Aulus Gellius orator, Apollinarisq; philosophus? Puto potiùs Seruium secutum, quãquàm ab eo libenter dissentire solet: ait enim ille tum alibi, tum decimo Aeneidos, Moribũda, morièti similis. Quod ita esse, Sallustius ostendit, qui ait: Quasi uitabundus per tramites & saltuosa loca exercitum ductare. Nullum exemplum Seruius magis contra se proferre potuit, ut modò ostendi. Audi quam subiungit rationem. Nam Iugurtha non uitabat legatum, sed eum uitare simulabat

Simile est hoc Taciti de Percẽnio: Postridiè prõptis iã & aliis seditiõis ministris uelut concionabundus interrogabat.

labat: ita exposuit, quasi uoluerit Vitabundum dici à simulatione, & non à similitudine: non simulabat uitationem legati, sed timorem. Præterea si qua foret similitudo, ea similitudo atq; simulatio intelligitur per illud Quasi, non per illud Vitabundus. Addit adhuc rationem: Nam quia nomen est, ideo significat similitudinem, nõ paßionem: & alia deinceps, ubi nullum robur rationis est. Sed præter rationes illorum, ipse quoq; Priscianus imprudens confessus est, quod negabat. Quæro enim, nunquid homo rubicundus (quod ille simile facit cæteris in bundus) similis rubenti est, an uerè rubens? profectò uerè rubens. Ergo idem erit rubicundus & rubens: quæ sententia Cesillij est, quæ & breuior est, nec minùs fortasse uera, quàm illa, siue Auli Gellij, siue Apollinaris, quun frequentißimè sic accipiantur, Populabundus, populans, Errabundus, errãs. Sed nonnũquàm (ut Gellius ait) uehementiam significant, quæ, ut breuiter & ipse complectar, idem significant quod participia frequentatiuorum, Lusitans, Risitans, Erritans, Lectitans, Populitans, si reperiremus: quod quum non sit, ad hæc (ut reor) in bundus terminata decurrimus.

Nomina in icus, quomodo cõparatiua & superlatiua faciant.

De exeuntibus in icus. Cap. X.

MAgnificus, Honorificus, Munificus, non ex se gignunt comparatiuos, superlatiuosq;, sed ex alijs, quæ in usu non sunt, ac ne possunt quidem esse: Magnificens, Honorificẽs, Munificens. Non enim dicimus, Magnificior, Honorificior, Munificior: sed, Magnificentior, Honorificentior, Munificentior: & in superlatiuo, Magnificentißimus, Honorificentißimus, Munificentißimus. Mirificus tamen etiã Mirificißimus facit: ut Terentius, Mirificißimus

cißimus est patruus tuus. Et M. Cato, teste Prisciano, cõtra Thermum, De Ptolemæo rêge optimo atque beneficißimo. Et Accius in octauo didascalõn: Et magnificißimo, excellẽtißimoq; honore. Omnia ergo à Facio sic composita ac terminata, hãc regulam sequuntur: Mirificus, Maleficus, Beneficus, Veneficus, Vulnificus, Tabificus, Luctificus, Pacificus, Morbificus, Sacrificus, & si qua sunt alia, quæ omnia ascititium comparatiuum, superlatiuumq; habent, aliquãdo etiam suum. Sunt ne alia nomina & eiusdem naturæ? certè sunt, ea, quæ formantur à Dico, & à Loquor, & si qua reperirentur à Sequor, ut Maledicus, maledicentior, maledicentißimus. Benedicus autem non inueni, quia nec Benedico inuenitur, licèt eo Priscianus utatur, & hoc tẽpore utamur more Græcorum, quorum authoritate dedimus huic uerbo accusatiuum præter naturam suam, quum postulet datiuum, sicut Maledico, quod & ipsum nunc ad imitationem Græcorum habet etiam aliquãdo accusatiuum. De Benedico unius uocis loquor, non duarum. Nam tunc & aliud significat, & aliter regit. Præterea Fatidicus, Veridicus: Iuridicus uerò rarum est uerbum, Causidicus magis substantiuum. A Loquor fortasse sunt plura. A Sequor fortasse nulla, nisi Pedissequus, quod substantiuum est. Magniloquus, Altiloquus, Grandiloquus, Vaniloquus, Doctiloquus, Versutiloquus, Fatiloquus, faciunt comparatiuum, Magniloquentior, Grandiloquentior, & item cætera. Superlatiuum, Magniloquentißimus, Grandiloquentißimus, & reliqua. Sed horum positiua possunt esse, tum participia, Magniloquens, Grandiloquens; tum nomina, Magniloquus, Grandiloquus:

Ευλογῶ κάρον ὥσπερ μάλισα.

præter unum Suauiloquens, quod nescio an dici poßit Suauiloquus: Maledicens planè participium est: sed & Maledicus dicimus, quod in Fatidicus & Veridicus non fit: neq; in illis superioribus, Magnificens, Honorificens, Munificens, quæ participia esse non possunt, quum hæc fuerit futura uera uox, Magnifaciens, Honorifaciens, Munifaciens.

De exeuntibus in cēus, in ēus, & in itius.

Cap. XI.

FInita in cēus pauca sunt, materiamq; significāt, ut Herbaceus, Betaceus, Maluaceus: ex materia herbæ, maluæ, betæ. Arundinaceus, Ferulaceus, Rosaceus, Triticeus, Ordeaceus, Testaceus, Tophaceus, Arenaceus, Cretaceus, Argillaceus: ex materia arūdinis, ferulæ, tritici, ordei, rosæ, testæ, tophi, arenæ, cretæ, argillæ. Hoc tamen differunt (si quid differunt à materialibus) quòd illa magis totum significant, hæc partem. Ager enim cretaceus non idem est, quod creteus: nec arundinaceus surculus, quod arundinea fistula. unum est natum & positum in creta aut arundine: alterum ex corpore ac materia cretæ & arundinis factū: & panis triticeus, ordeaceus'ue, nō ex solo tritico ordeo'ue compositus est, sed ex aqua quoq; licèt Triticeus utriusq; harū, de quibus loquor, formarum uideri poßit, & magis illius, cuius sunt Creteus, Arundineus, & similia. Nam Triticaceus facere deberet, nisi dicamus, euphoniæ caussa ca syllabam esse sublatam: quod mihi ita uidetur esse, quia disiuncta est species eorum, quæ exeunt in cēus, & eorum quæ exeunt in ēus. Huius generis est Vinaceus, cùm est adiectiuum, ut: Vinaceo grano legimus quendam suffocatum: pro acino uuæ. &

Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν

Vinacea

Vinacea substantiuum plurale, pro granis uuæ iam pressæ. Dicimus tamē mons Terrenus potiùs, quàm Terreus aut Terraceus. Sunt item nomina finita in itius, descendentia ab habentibus t, in ultima syllaba: & si à nominibus quidem, significant materiam: si à supinis uerò, paßionem quādam, ut Cratitius, Stramentitius, Lateritius, Cæmentitius, Conuentitius, Pauimentitius. Item Fictitius, Commentitius, Pigneratitius, Fœneratitius, Cōductitius, Adscriptitius, Dedititius. Ratio fictitia, ac commentitia, quæ ficta & ad tempus commēta & excogitata est. Res pigneratitia, aut fœneratitia, quæ data est pignori, aut ad fœnus pertinet. Domus conductitia, quæ conducta est. Homo adscriptitius, deditiusq;, qui ad aliquam rem adscriptus est, & qui ex numero eorū est, qui se in alterius imperium dediderunt.

ϛαφυλῆς πνεγνεὶς τέθνικε Columel. li. 9. Vinacea q̄uis totaliter pascāt, dari non debent.

Quendam suffocatum.) Is fuit Anacreon poēta Teius. Est apud Valer. Max. lib. 9. cap. 12. & Plin. lib. 7. cap. 7. THEOD.

Et Vinacea substantiuū.) Dicimus & uinaceos substantiuum masculino, & uinaceas fœminino genere. Columel. in re rust. cap. 25. Vinaceos quotidie recentes succernito. Plinius lib. 17. cap. 22. Circum capita addito stercus, paleas, uinaceas, aut aliquid horumce.

De natura comparatiui: de Magis ac Minus.

Cap. XII.

COmparatiua pro minore ui accipi, quàm ipsum positiuum habeat, ait Priscianus: ut Vergil. Tristior, & lachrymis oculos suffusa nitentes. Tristior enim hic, ex parte tristis accipitur. Sæpè per se positum, pro ipso positiuo, ut: Comites senioris Acestæ, pro senis. In quorum utroq; est caussa, cur aliquid nos addamus. Nam illud Tristior, planè

Eadē etiā habet Diomedes li. 1

pro

pro tristis, non pro ex parte tristis, accipitur, ut ait
Li.9.ca.3 Quintilianus: Vtimur uulgò & cõparatiuis pro absolutis, ut cùm quis se infirmiorem esse dixerit: non dixit pro Minùs q̃ infirmus: & hîc Senior potiùs, pro Valdè senex, quàm Tantùm senex, ut idem Quin
Li.3.ca.1. tilianus de Isocrate: Eoq; iam seniore (octauum enim & nonagesimum impleuit annum) pomœridianis scholis Aristoteles præcipere artem oratoriam cœpit. Et Ouidius de tristibus:

Sospite sic te sit natus quoq; sospes, & olim
Imperium regat hoc cum seniore senex.

Ideo cum Seruio non sentio, dicente secundùm Varronem, Senior & Iunior comparatiua sunt per imminutionem. Est enim senior, non satis senex: iunior, non satis iuuenis, intrà iuuenem, sicut pauperior intrà pauperem. Hoc autem dicit Varro in libris suis ad Ciceronem. Quam rem à Varrone tractatam confirmat
In gram- etiam Plinius. Hæc Seruius. Si uerò hoc Varro & matica. Plinius ait: quis non cernit sibijpsi repugnare ratio
Nã & ẽdi nem hanc? Est enim natura comparatiui, superare in
dit de re ea qualitate, quam obtinet positiuus: quæ superatio
grãmatices libros, quoties incolumis est, nõ potis tunc dicere factam esse
ne quispiã imminutionẽ. Ponamus exemplũ huic rei similimum:
quærat in Antiquior te ego sum, id est, maior te natu sum. Item
historijs. Adolescentior te sum, id est, minor natu te sum: Ita Iunior te sum, id est, minoris ætatis, quàm tu, uidelicet supero te paruitate ætatis: quem in modum accipitur illo in loco Seruij. Ergo non per imminutionem, sed propriè. Quarè ut in Iunior fallitur, ita & in Senior falli dicẽdus est: quæ tamen omnia (ut sentio) pro positiuo accipi solent. Quemadmodùm etiam Ocyùs pro Ocyter, Minùs pro Non, semper ferè accipitur:

tur: frequentissimè tamen iunctum aut cum Sin, aut cum Quô, pro Vt: ut Sin minùs, id est, si non. Quô minùs, id est, ut non: sicut, Quô seciùs, etiam pro, ut non. Quia de hoc comparatiuo minùs feci mentionem, aliquid etiam de ipso dicam. Placet aũt mihi, nõ modò à Minus parvum Paruũ uenire, sed etiã à Parũ: ut, Parũ pecuniæ habeo, non autem Paruum pecuniæ. ergo Minùs pecuniæ, ad Parùm pecuniæ potius, quam ad Paruum pecuniæ, uidetur referri. Addam aliquid econtrariò Magis de Magis. Ait idem Priscianus: omnia comparatiua mittere. aduerbia similia neutro generi. Aliquì Magis, non in us exit more aliorum, sed in is: quod comparatiuum esse, & uis ipsa huius uocis indicat, & multò pòst (nescio quomodò) fatetur hic author. Prætereo quòd à Maius nullum aliud aduerbium est, & aliquod esse debet. Dicimus enim, Iustiùs queror, Meliùs scribo, Peiùs canto, Plùs gaudeo, Minùs doleo: Maiùs gaudeo, nõ dicimus, sed Magis: quod à Magnum positiuo comparatiuũ esse, uel hinc palàm est, quòd omnes sic loquimur: Magis poterat Pompeius, quàm Cæsar, sed posteà maximè omnium potuit Cæsar. Ex quo apparet, eiusdem positiui, quod est Magnum, comparatiuum esse Magis, cuius superlatiuum est Maximè, mutata u in g, & apposita i. Quod quum ita sit, cur per Magis & positiuum resolui comparatiuum Priscianus uoluit, tacens de cæteris, quæ eundem usum præstant? Fortior, plùs fortis, uehementiùs fortis, ualidiùs fortis, & quæ sunt eiusmodi? Opinor, quòd non putabat hoc esse comparatiuum, ut quod à uoce comparatiui recesserat: aut, si putabat, absurdum uidebatur, comparatiuum per absurdũ cõparatiuum cum comparatiuum resolui cum positiuo, quum præsertim resolui positiuo

ipsum magis, more aliorum comparatiuorũ resoluendum sit, quod fieri nequit. Quod si resolui nequit, ne aliud quidem poterit. quale est, si dicam: Quod est istorum maius ædificiũ, aut quod ualidius? absurdum (ut dixi) quibusdam uideri posit, si resoluatur Magis magnum, & Validiùs ualidum. Adde, quòd sicut resoluit comparatiuum per Magis, ita debuit resoluere superlatiuũ per Maximè, ut, Fortissimus Græcorum Achilles, Maximè fortis Græcorum, non autem, Super omnes Græcos fortis: nam hoc modo supra se fortis erit, quod fieri nequit. Item sine apposito: Fortissimus Hercules, nõ dicitur commodè Valdè fortis, sed Validissimè, id est, maximè fortis: nam quid absurdius, quàm quũ exponamus comparatiuum per cõparatiuũ, exponere superlatiuũ per positiuum?

THEOD. Minus pro non.) Minus alium quoq; præbet usum in lingua Latina, quàm quem docet Valla, nec minùs elegantem. Plinius lib. 11. cap. 10. Cùm aduesperascit, in alueo strepunt minùs ac minùs. Idem lib. 15. cap. 25. Minùs quinquennio est. Et lib. 16. cap. 6. Continẽtur hispido calyce, per genera plus minùs complectente. Cæsar belli Gall. lib. 2. A millibus passuum minùs duobus, castra posuerunt. Idem lib. 7. Eo die milites sunt paulò minus septingenti desiderati.

De differentia comparatiui à superlatiuo.

Cap. XIII.

Comparatiuum ad unũ, superlatiuũ ad plura.

INter comparatiuum & superlatiuum, ea inprimis, quæ apud Græcos, differentia est, quòd comparatiuum refertur ad unum, superlatiuum ad plura: quod reprehendit Priscianus, inquiens: Fit autem comparatio uel ad unum, uel ad plures, tam sui generis, quàm alieni: quamuis Græci, honoris caussa, suæ gẽtis magis, quàm ratione ueritatis, dicant nõ posse ad multos sui generis fieri comparationem. Alij autem dicunt hanc esse rationem, propter quã non utuntur tali comparatione, quòd cùm ad plures sui generis fit comparatio, superlatiuo uti possumus, ut: Fortissimus Græcorum Achilles. Sed superlatiuus multò alios excellere significat. Comparatiuus uerò etiam potest & paruo superantẽ demõstrare. Vndè etiã diminuti onẽ iure accepit apud nos Maiusculus Minusculus: Hæc Priscia. A quo tam pro Græcis, q̃ pro Latinis dissentio. Nam quæro à Prisciano, quo nã modo Græci distinguerent sensum comparatiui à sensu superlatiui, quũ ipsi quoq; comparatiuo genitiuum tribuant, nisi hac ratione, ut hoc ad unum, illud referatur ad plura? Loquor quoties comparatio fit ad eos qui sunt eiusdem generis. Nam ad eos, qui sunt alieni, necessariò quoq; utũtur genitiuo per comparatiuum, quum ablatiuo careãt. Cùm dico comparationem, more Prisciani, tam cõparatiui quàm superlatiui intelligi uolo. Aiqui apud Latinos ista ambiguitas non est, quia comparatiuo ablatiuum tribuimus: de hoc paulò pòst respondebo. tamen tanti momenti est illa Græcorum ratio, ut eam Latini ad formam Græcæ constructionis imitati sint, hoc est, ut cum genitiuo iungerent comparatiuum utiq; inter duo: (nam superlatiuum dubium non est habere locum inter plura) ut, Aiacum fuit fortior Telamonius, & Manuum melior est dextra. Si uerò tres Aiaces fuissent, diceremus, nõ Fortior, sed Fortissimus: sicut, Digitorũ lõgissimus est (non Longior) medius. Horatius: O maior iuuenum, inquit. Ad duos enim Pisones, patrem filiumq; scribebat. Ouidius in persona Medeæ, quæ duos filios habuit,

Cùm minor è pueris iussu studioq; uidendi

Αχιλλεὺς ἰσχυρότατος ἑλλήνων.

Constitit ad geminæ limina prima foris.

Lib. 3. belli ciuilis.

Et Cæsar, siue alius pro Cæsare, commentario X. In testamento Ptolemæi patris, hæredes erant scripti ex duobus filijs maior, & ex duabus ea, quæ ætate antecedebat. Ideo maior Aiax & minor, ille Telamonius, hic Oliëi filius. Maior & minor Atrides, ille Agamemnon, hic Menelaus. Maior Cato & minor. Maior & minor Scipio, de duobus Aphricanis. Maior Cyrus & minor, siue superior & posterior. Nam tempus significamus, non dignitatem maiorẽ minorem ue. De malis tamẽ nõ Maior & Minor dicimus, ut Dionysius superior, & Dionysius inferior. Qui numerus cùm superat, non per comparatiuum, sed per positiuũ, aut per superlatiuũ loquimur: ut, magnus Alexander, magnus Pompeius, Fabius Maximus, Valerius Maximus. Et hæc est Græcorum ratio, in qua nobis cũ illis cõuenit, quòd ad unũ sui generis utendũ est comparatiuo, ad plures superlatiuo. Ideoq; curiosissimus in loquẽdo, & reconditissimæ scientiæ Macrobius, in Saturnal. mihi non probatur, ubi dixit: Agè Serui dum nõ solum adolescentiũ, qui tibi æquæui sunt, sed senũ quoq; omniũ doctissimus. Non enim est eiusdem generis adolescẽs cum senibus, non aliter quàm si dicam, Ego sum doctissimus Romanorum, & Carthaginiensium. si Romanus sum, tollendum est Carthaginiensium: si Carthaginiensis, tollendum est Romanorũ: si neutrum, utrunque malè iungitur. Et Priscianus in primo: Omnium est breuissimum eorum, quæ diuidi possunt, id, quod diuidi non potest: non aliter quàm si dicas, Hæc est pulcherrima suarum sororum: quum sit dicendum, Hæc est pulcherrima sororum. Nam sororum ipsa una est

est, suarum non est. Quid autem ad plures generis diuersi? Nempe nos, qui sextum casum habemus, simili mum genitiuo hunc adhibemus, ut: Achilles Troianis fortior fuit: & Ego sum doctior Carthaginiensibus, qui nõ sum doctissimus Romanorum: & Tu es doctior senibus, iuuenũ longè doctissimus. Græci eodem genitiuo utuntur, ut sit hæc differentia: superlatiuum ad plura sui generis, comparatiuum ad plura diuersi generis comparari: quod Priscianus reprehendit, nolens illam differentiam inter gradus hos esse, sed hanc: quòd cõparatiuus parùm, superlatiuus multùm excellere significet. Quæ ratio, præterquàm quòd non satis defendit opinionem Græcorum, atque adeò usum Latinorum, etiam falsa est. Neque enim (ut ipse uult) quia comparatiuum diminutionem accipit, ideo parùm significat, & non potiùs multùm, quia diminui potest, præsertim quum dicat, comparatiuum aliquando transcendere superlatiuum, ut: Achilles fortissimo Troianorum Hectore fortior fuit. Sed ego hoc non laboro, quòd comparatiuum modò transcendat, modò minuatur: quæ res non mutat naturam comparatiui. Aliud animaduertendum est, quo solo ipsi gradus comparationis ponderantur: quòd comparatio unum gradũ obtinet, siue primum: superlatio uerò plures, siue ultimum. Atq; (ut ego sentio) non ad singulas res, sed ad gradus quosdam illa referenda sunt. Nam ubi fuerint multa eiusdem generis, nõ tamẽ cadit superlatio, uno eminente, cæteris paribus. Vt si inter plura uascula, aut plura nauigia ad unam magnitudinẽ facta, aliquod sit longè capacius & grandius, non rectè dicas, hoc esse omnium maximum. Necesse enim est, ubi superlatio est, ibi sit

& comparatio, & aliquod sit maius aliquo, & iterum alterum maius hoc, quod erit iam omnium maximum: ut in Troianis sunt aliqui fortes, & his alij fortiores, atq; his alij adhuc fortiores, qui uocãtur fortissimi. Itaq; nunquàm citra tertium numerum fit superlatio. At Prisciano uidetur, si cætera paria nauigia aliquod paululùm antecederet, dicendum maius cæteris: si multò, maximum omnium. Quid ergo, si inter ipsa paria unum utcunq; emineat, eiusdem tamen generis, non diuersi, quomodo dicendum erit? Comparatiuum non refertur ad ea, quæ plura sunt eiusdem generis: & superlatiuum non habet locũ inter paria. Malim ergo dicere per comparatiuum, sed in ablatiuo, ut, Maius cæteris. Nam inter duo (ut dixi) damus genitiuum. Quidam dant etiam genitiuum, ubi plura duobus sunt, sed tantummodò ecclesiastici, præsertim imitati Græcos authores, undè interpretantur. Nulla enim litera est latina noui testamẽti. Dicunt ergo, Maior discipulorum, Minor fratrum, siue, quia cæteri pares sunt, unus autem aut excellat, aut excellatur: siue, quia non magnifecerint hanc differentiam comparatiui & superlatiui, altero pro altero, hoc est comparatiuo pro superlatiuo utentes, ut ex loco illo datur intelligi: Qui uult inter uos maior esse, sit uestrûm minimus. Cur non dixit Maximus, Minimusq;, aut, Maior Minorq;? nisi q pro Maximus posuit Maior, in quo Græcos secutum scimus. In illo autem (licèt huc parum pertineat) græcum non sequimur, Nunc manent fides, spes, charitas: tria hæc, maior horum est charitas. Cur nõ aut Maior harum, aut, Maius horum? Græci genitiuum hunc in omnibus generibus unũ habent, qui est ἀντῶν. Veruntamen

Cæcutiũt hoc loco limatores & epitomatarij, q Laurẽtiũ loqui putant de recta latinitate noui testamẽti, quũ id dicat, euãgelia & nouũ testamentũ non latinè sed græcè esse scriptum.

potuisset latiniùs dici, Maximum, nisi Græcos imitari maluissent: Græcos inquam, undè traduxerũt, non autem ueteres illos, ex quibus grammatica confirmatur. Nam ut charitas est maior cæteris, ita cæterarum duarum (ut opinor) altera alterã superat, rarоq; reperitur numerus trium, ubi nõ potiùs superlatio cadat, quæ tres diuersas exigit quantitates, quàm comparatio. Ideoq; * Græci contenti fuerunt dicere comparationem ad unum, superlationem ad plura, quasi omnia inter se aliud ab alio distantia. Quin ipse Priscianus, quanq; dissentit, tamẽ paulò pòst quasi imprudens, quod negauerat, confessus est, Prior referri ad unum, Primus ad plura: quod anteà Diomedes, Donatus, & Seruius dixerant. Ideoq; illud iungi ablatiuo, more comparatiuorum: hoc autem genitiuo, more superlatiuorum, quæ non significant, melior, & optimus (quemadmodùm ipse uult) sicut nec Potissimum, optimũ, in Phormione apud Terent. Vbi dubites quid sumas potissimũ: sed in his omnibus principalior, principalissimus, & principalissimum. Quod quum ita sit (ut in summa colligam, & breuiter dicam, ut à principio institui) comparatiuum inter duo esse, superlatiuum inter plura, si modò tria sunt imparia: ueluti, si in duas partes ciuitas diuisa est, ut bello ciuili Pompeij & Cæsaris, rectè dicas, Maior pars Quiritum sequebatur Pompeium, minor Cæsarem: non autem, maxima, aut minima, nisi accipias pro ualdè magna, maximam: & pro ualdè parua, minimam. Sin in tres partes, ut tempore triumuirali: dicendum erit, Maxima pars Quiritum sequebatur Octauium, pars maxima Legionum erat cum Lepido, maxima pars nauium erat cum Antonio, non maior. In quorũ utroq;

* Non sõlùm cõparationem ad unum, sed etiã ad plura, uide Gazã lib. 4.

(ne

(ne quis putet neminem hoc ignorare) peccauit Lactantius uir Latinus planè & facundus, qui in secundo libro institutionum inquit: Vt possis dubitare, quos dicas potissimùm stultiores, illósne, qui falsam religionem suscipiunt, an qui nullam? Et in septimo: Vt ea ipsa quæ dicerem, non nostris, sed aliorum potissimùm literis confirmarem. Potissimùm dixit, pro potiùs.

Declam. 1 Duæ enim partes erant, non multæ, ut apud Quintilianum: Hoc loco quæram necesse est, quæ ratio fuerit, ut iuuenis ad paricidium suo potiùs gladio uteretur? Tametsi non absurdè hîc potissimùm dici posset, quasi suo ex omnibus potissimùm. Et in illo Lactantij quoque, si tale foret, Non aliorum, sed nostris potissimùm, quasi ex omnibus potissimùm: eruntq; multæ partes, & totidem, quot sunt genera literarum: uel, Non aliorum, sed nostris potiùs: erũtq; duæ partes, hinc nostræ literæ, illinc alienæ. Idem Lactantius in primo: Omnes Sibyllæ unum deum prædicant, maximè tamen Erythræa, quæ celebrior, & nobilior inter cæteras habetur. Celeberrima & nobilissima, dicendum erat. Cicero autem quodam loco id, quod dico, apertissimè ostendit, cùm ait in Pisonem: Me cùm Quæstorem in primis, ædilem priorem, prætorẽ primum cunctis suffragijs P.R. faciebat. Aedilem prior dixit, quia tantùm erant duo Aediles, sicut duo Censores, & duo Consules. Cæteri autẽ ferè omnes Magistratus multi, ut Prætor, Quæstorq;, inter quos se creatum dixit, aut primum, aut inter primos. Cuius rei si quis fidem desideret, semper bini Aediles nominantur à Terentio. Ipse Cicero pro Milone inquit: Septem prætores, octo tribuni plebis, illius aduersarij, defensores mei. Nam Quæstores penè singuli

singulis prouincijs præficiebantur. Et exemplo Lactantij admoneor, ut dicam, illas præpositiones Inter & Ex, tam comparatiuo quàm superlatiuo posse dari, ut constat superioribus, quæ retuli, exemplis, & Quintiliani in Gladiatore: Qui inter nos (ut appa ret) fortior fuit. Et in geminis languẽtibus: Dij prohibeant, ut ex duobus filijs utilior incipiat esse periurus. De superlatiuo ipse pauloantè protuli exemplũ: Celeberrima inter omnes & nobilissima habetur, quæ si pares, præter unam, fuissent, utendum putarem comparatiuo, ut fecit Lactantius. Solemus quoq; interrogando & dubitando dare Vtrum comparatiuo, Quid autem superlatiuo, ut idem Quintilianus: Ita non tantùm utrum idem sit melius, sed quid sit optimum, quæritur. Iterum, ex duobus, uter dignior: ex pluribus, quis dignissimus. Et Cicero: Cùm quærere uideretur Orator, utrum potiùs, aut quid potissimùm dicamus. Tamen aliquando damus Quid etiam comparatiuo. Sed ego ad altiora ducente stylo transeo, & ad ea, quæ oratorum magis sunt, quàm grammaticorum, & magis latinè eleganterq; loqui uolentiũ, quàm eorum, qui ad normam grammaticæ periti esse contenti sunt. Quarè separemus ea, quæ de hac re dicenda supersunt, & eis suum locum assignemus: quæ & si possent posteriùs tractari, tamen, quia ad materiam graduum pertinent, in hoc potissimùm loco exsequamur rem dignam auribus studiosorum, de exactissima antiquorum latinitate & elegantia à M. Cicerone, Marcoq; Fabio Quintiliano præcipuè obseruata, duobus luminibus, atque oculis cum omnis sapientiæ, tum uerò eloquentiæ latinæ.

Vtrum. Quid.

Vter. Quis.

Cicero. Quintilianus.

De

De natura superlatiui, de Quisq; cum superlatiuo, de Omnis cum positiuo, & Aliquando cum comparatiuo. Cap. XIIII.

IGitur superlatiuus adsciscit sibi Quisq;, relinquit autem Omnis, uel Cunctus positiuo: ut, Optimus quisq;, sapiẽtissimus quisq; pro eo quod est, unusquisq; qui est bonus, ac sapiens, uel, omnes boni, & omnes sapientes. Non enim liceret dicere Boni quiq;, & Sapientes quiq;, nec, Omnes optimi, & Cuncti sapiẽtissimi. Idem intelligo, si superlatiuus in alio casu ponatur, quàm illud Quisq;, sic, Maximo quisq; animo diuitias despicit. Valentissimi quisq; corporis longè abest à sapientia. At uerò comparatiuo non Quisq; conuenit, sed Omnis. Vegetius tamen non perpolitus sanè scriptor inquit: Honestiores quiq; milites, pro, Honestissimi quiq;. Et Lactantius de opificio, Nam & si ita esset, placidiora quæq; animalia uel nihil fellis omnino, uel minùs haberent, quàm feræ. Maluissem ego dicere, Placidiora omnia animalia, ut Quintil. in ægro redempto, Rus, seruulos, penates, & omnia utiliora properanti festinatione parenti addixit. Ex positiuis autem illa excipimus, quæ carent superlatiuo: qualia sunt, quæ habent i uel u ante us, ut Pius & Strenuus, quæ nonnunquàm patiuntur superlatiuũ. Ideoq; utranque rationem sequuntur Omnis pius, & Pius quisque. Sallust. in Catilinario: Nam strenuus quisq; aut occiderat in prælio, aut grauiter uulneratus discesserat. Ipse mallẽ dicere, Strenuissimus quisq;, Pijssimus quisq;. Quidam tamen Sallustiani codices scriptum habent Strenuissimus. Carent etiam superlatiuo illa numeralia, Secundus, Tertius, Quartus, Quintus, & deinceps. Nam Primus, etiam cum numerum significat

Quædam exempla subnectũt hoc: Non rectè ergo Priscia. in proœmio Omnium iudicio cõprobatur eruditissimorum.

Numeralia

tat, superlatiuum est, & Vltimus. Dicimus itaq;, Primo quôq; tempore, Primo quôq; die: quod imperitiores putant esse coniunctionem Quoq;, quæ habet priorem breuem, quum hîc sit longa. Cicero in Philippicis: Primo quoque die consules ad senatum referant. Quanq; hîc non tam omnis, quàm unus omnium primus dies significatur. Idem pro Rabirio: Tertio quôq; uerbo excitabatur. & pro eodem Rabirio: Quinto quôq; anno de moribus nostris iudicaretur. Cæsar commentario quinto: Legione producta cognoscit, non decimum quenq; militem reliquum esse sine uulnere. Suetonius in uita Cæsaris: Et intercalario mense sublato, unus dies quarto quôq; anno intercalaretur. Quod ineruditi sic pronunciare solẽt: omni quarto anno est bissextum: omni quinto anno fit lustrum apud Romanos Græcosq;: omni quinquagesimo anno Iudæi agunt Iubileum: quum sit dicendum, Quinquagesimo quôq; anno. Vlpianus apud Iustianum lib. 29. ait, Militem, quasi millesimum quenq;, dictum, id est, omnẽ qui ex millenario numero ultimus est: quum accipiendus sit, non ultimus, sed quisq; ex eo numero. Nam, cùm dico: Dabo tibi ex ouibus decimã quanq;: non eam intelligo, quæ decima in numerando eueniet, sed unam de decem, quæcunq; sit, uel (ut absolutiùs loquar) singulas ex denis, siue ex decem, quas tu elegeris. Itaque unaquæq; potest esse decima. Et exemplo Cæsaris constat, decimum quenq; esse unum ex numerodenario. Ita dicamus, millesimum quenq; esse, unum ex numero millenario. Iurisperiti nostri, elegantiæ Latinæ ignari, intelligunt militem ex mille maximè strenuum. Vnde puto errorem ortum de uocitandis militibus, hoc tempore insigne quoddam dignationis

Quôq; ablatiuus.

Tit. 1.

Errorem hîc taxat etiã Budæus in Annot. priori. Pand.

ferentibus. Sed ad rem. Hinc etiam factum est, ut dicamus Vnusquisq;, & Singularis quisq;, non Singularissimus quisq;, quod non reperitur, sicut nec Vnicus habet Vnicior, & Vnicissimus. Quotus etiã iungitur cum Quisq;, sed tamen diuersa ratione à superioribus. Nunquam enim ferè utimur hac dictione, nisi interrogatiuè, & in significatione, quæ est quot. Quotus enim frequenter significat quot, ut Martialis:

Quotus.

Dic, quotus es? quanti cupias cœnare? nec unum
Addideris uerbum, mensa parata tibi.

Id est, quot estis, & quot tecũ habes? Cicero pro Ligario: Quotus enim istud quisq; fecisset? id est, nullus, uel rarus. Ouidius de Arte:

Forma dei munus, forma quota quæq; superbit?

Id est nulla, uel rara. Non uenit in mentem, an cum alijs nominibus iungatur Quisq;. Hoc tamẽ scio, non habere Quisque genitiuum pluralem duntaxat cum adiectiuo iunctum. Ideoq; genitiuo utimur singulari pro genitiuo plurali. Idem enim est, Optimi cuiusque animus, quod Omnium bonorum animus. Vnusquisque autem ideo non facilè patitur superlatiuum, quia illud Vnus uim quandam ac naturam (ut paulò antè ostendi) superlatiui obtinet, potiusq; dicimus Vnusquisq; bonus, quam Vnusquisq; optimus. Atq; hæc hactenus de Quisque.

THEOD. Relinquit autem omnis.) Inuenitur tamen Omnis cum superlatiuo iunctum. Cice. pro Cecinna: Non omnibus patricijs, omnibus antiquissimis ciuibus possit. Idem de parti. orat. Id effugiet qui non omnia minima repetet. Sallust. Constituit bellum facere, & extrema omnia experiri. Plinius Iunior in Paneg. Nec uideri potest optimus, nisi qui est omnibus optimis in sua cuiusq; laude præstantior.

Nam cùm dico.) Rectè hoc Valla. Est tamen quando Quisq; ultimum significat, ut: Quarto quoq; anno est bissextus: de eo tantùm anno, qui in ordine quartus est, non de unoquolibet ex quatuor intelligitur.

De Vt & Ita cum superlatiuo: de Quô, & Eô cum comparatiuo. Cap. XV.

Addamus de Vt, & Ita, similibusq;. Duplicatur superlatiuum, uel altera ex parte nomen, uel altera ex parte aduerbium, uel utrinq; nomen, uel utrinq; aduerbium, cum his indeclinabilibus, quæ nominaui. Cicero de Oratore: Vt quisq; optimè Græcè sciret, ita esse nequissimũ. Idem in eodẽ: Vt enim quisq; optimè dicit, ita maximè dicendi difficultatem, uariosq; euentus orationis, expectationẽq; hominũ perti mescit. Idem de Officijs: Vt quisq; animi magnitudine maximè excellit, ita & maximè uult princeps omnium uel potiùs solus esse. Quintilianus: Quod ut longè optimum, ita difficilimum. Et iterum: Non ut quidq; primùm dicendum, ita primùm occurrit. In quo cauea mus, ne pro Quidq; dicamus Quodq;. Multum enim rẽfert inter hæc duo. In Catone Maiore utrunq; superlatiuum sustulit Cicero: Vt quisq; ætate antecedit, ita sententiæ principatum obtinet. quod facere alibi solemus, ut in illo: Homo in primis doctus, non, In primis doctissimus, ne duas res superlationem habentes coniungamus. Iusta igitur caussa quarè Cicero superlatiuos prætermisit. Quæ caussa Donato in Eunuchum Terentij non fuit, qui ait: Vt quisque miser est, ita senior uidetur. Nam præter id, quod non adhibuit superlatiuum, etiam confusionem quandam fecit ex positiuo & comparatiuo: quod ita emendemus, tum per aduerbium, sic: Vt quisque maximè miser est, ita maximè senex uidetur: tum per nomen, sic: Vt quisque miserrimus est, ita annosissimus uidetur:

tum per alterum aduerbium, alterum nomen, ita: Vt quisque maximè miser est, ita annosissimus uidetur, uel: Vt quisq; miserrimus est, ita & maximè senex uidetur. Tum per comparatiuum (nam & hoc idem efficit, quod superlatiuũ) hoc modo: Quô quisq; miserior, uel, quô quisq; magis miser est, eô senior, uel eô magis senex uidetur. Quod ita licere fieri, exẽplo probandũ est. Quintilianus secũdo institutionũ: Quô quisq; ingenio minus ualet, hòc se magis attollere, ac dilatare conatur. Et paulò pòst: Erit eô etiam obscurior, quô quisq; deterior. Iustinus autem siue Trogus superlatiuum cum comparatiuo miscuit, inquiẽs libro decimosexto: Locupletissimus ut quisq; est, ita plures equites in bello suo rẽgi præbet. Ego dicerem, Ita plurimos: quin & ita ab illo scriptum fuisse suspicari libet. Dicebam paulò antè, non licere dicere, In primis doctissimus: idem sentio de Inter primos, & Cum primis, licèt Sallustius (si modò codex non sit mendosus) aliter dixerit: Ac sanè (quod difficilimum est) in primis & prælio strenuissimus erat, & bonus cõsilio. Similia his sunt, In paucis, Cum paucis, Inter paucos. Item Super omnes, Ante alios, Præter cæteros. Sed hæc & si positiuo frequentiùs gaudeant, tamen nonnunquàm patiũtur superlatiuum: ut Plinius libro uigesimo sexto de usu absynthij: Conuenit dicere herbæ facilimæ, atq; inter paucas utilissimæ. Vergilius in septimo, Petit ante alios pulcherrimus omnes Turnus auis, proauisq; potens. Et in eiusdem operis primo,

Pygmalion scelere ante alios immanior omnes.

De Hòc magis, & Eô magis, Tantũ & Tantò, similibusq;, quo modo iungantur gradibus.

Cap.

Cap. XVI.

HOc magis, & Eô magis, idem est, quod tantò magis. Item, Quô magis, idem est, quod quantò magis. Quarè admoneor, ut aliquid de horum omnium natura præcipiam: positiuos magis decere Tantum, & Quantum: comparatiuos Tantò & Quantò. Quantò es maior, tãtò te geras summissiùs. Non autem, Quantum es maior, tantum te geras summissiùs. Contrà, Quantum potes, tantum elabora: nõ autem, Quantò potes, tantò elabora. Lactantius tamen præter morem oratorum inquit: Quantò frequenter impellitur, tantò infirmiter roboratur: & Boëtius in dialecticis dixit: Paulò æquales: hic pro Paulùm dicẽs Paulò: ille pro Frequentiùs Firmiusq; Firmiter. Tolerabilius, quod fecit poëta Catullus:

Tantò pessimus omnium poëta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

Ad Ciceronem.

In superiore Lactantij exemplo bis peccatum est in utroq; membro. Quidam peccant in altero: ut si dicatur, Quantò frequẽtiùs impellitur, tantò firmiter roboratur: uel, Quantò frequenter impellitur, tantò firmiùs roboratur. Nisi ita uenustè dicas, ut Vergilius in duodecimo:

O præstans animi iuuenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tantò me impẽsiùs æquum est
Consulere.

Et Quintilianus in primo: Quid autem in nostris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concentus quantò est uehementior, tantò Romana in bellis gloria cæteris præstat: quod non licuisset aliter dicere. Proximè autem ad uim comparatiuorum accedunt illa aduerbia, Antè & Pòst, siue præpositiones, ut:

Tantò antè ego ueni, quantò tu pòst ueniſti. Et illud nomen Alius, & eius aduerbium Aliter, & huic ſimile Secùs, ut Quintilianus: At quantò alius fuit ille infeliciſſimi iuuenis affectus. Et Terentius: Verùm aliter euenire multò intelligit. Et Cicero: Multò ſecùs euenit. Nam quod dico de Tantò & Quantò, idem intelligo de Aliquantò, de multò, de paulò, cæteriſq; ſimilibus. Rurſus quod de tantũ, & quantũ, idẽ de aliquãtum, de multum, de paulum, & reliquis. Sed quia hæc tranſeunt in aduerbia, ideo nonnunquam (de his, quæ exeunt in um loquor) abutimur pro eis, quæ exeunt in o, præſertim quando non eſt illa contrapoſitio duorum, ut ſuperioribus exemplis oſtendimus: Iuuenalis:

In prolo. And.

In Eunu.

Deſpiciam quid ſit, quantum ſublimior Atlas.

Terentius: Eius frater aliquantulum eſt ad rem auditor. Quintilianus: At quidam ſi fortè ſuſceperint negocia paulùm ad dicendum tenuiora, ea conuiciis implent. Ita in aduerbijs præpoſitionibuſq; Multum antè, uel Multò antè: Paulùm pòſt, uel Paulò pòſt. Verbis autẽ ſemper ferè cõuenit per um potiùs, quàm per o, exceptis ab Ante, à Præ, à Poſt compoſitis, more eorũ unde componũtur, ut, Multò præſtat, & multum præſtat. Salluſtius: Multò præſtat maleficij quàm beneficij immemorem eſſe. Ita Multum, uel multò antecellit, Paulũ, uel paulò poſthabui tua negocia meis. Tam & Quàm ſimilia, atq; eadẽ uidentur Tantum & Quantum: ideoq; rarò cum comparatiuo iunguntur, ut Vergilius:

Tam magis illa fremẽs, et triſtibus effera flãmis,
Quàm magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.

Cum ſuperlatiuo frequẽtiùs, ut, Tam hic eſt omnium optimus

optimus, quàm nobiliſſimus. Salluſtius: Quàm quiſq; peſſimè fecit, tam maximè tutus eſt. Quod idem ualet, ac ſi diceret, Vt quiſq; peſſimè fecit, ita maximè tutus eſt. Terentius: Nanq; adoleſcẽs quàm minima in ſpe ſitus erit, tam maximè patris pacem in lẽges cõficiet ſuas. Solent poni Tam & Quàm ſeparatim, & alterum ſine altero, utrunq; in ſignificatione uehementiæ, ut Cicero: In tam optima cauſa non debeo timere, id eſt, in tam ualdè, ac perquã ualdè bona cauſa. Et iterum: Nondũ erat ueſtris tam grauiſſimis, tamq; multis iudicijs, ignominijſq; tantoperè grauibus conciſus. De Quàm hoc ſit exemplum: Tu es homo quàm iucundiſſimus, id eſt, ualdè, uehementerq; iucundus. Sed de hoc diſſerendum eſt latiùs, ideoq; non in eundem lo um includam.

In Heaut.

Poſitiuos magis decere.) Et Tantum cum Quanto, & cum poſitiuo aut comparatiuo iungi nõ indiſertè ui demus. Liuius 3. ab urb. cond. Quantum iuniores patrũ plebi ſe magis inſinuabant, eõ acriùs cõtrà tribuni tendebant. L. Florus: Sed quantò eſt efficacior fortuna quàm uirtus, tãtum eſſe uirtutem. Plinius Nepos: Quantum ab huiuſmodi cupiditatibus remotior eius animus eſſet, tantò impenſiùs, &c.

Alex. ab Alex.

De Per & Quàm cum gradibus. Cap. XVII.

IDem nanq; ponderis in compoſitione habent Per & Quàm: ſed alterum poſitiui proprium eſt, alterum ſuperlatiui, ut, Perpulchrè, Perbellè, Perdiligenter, Quampulcherrimè, Quamoptimè, Quamdiligẽtiſſimè. quorum exemplorum referta ſunt omnia. Hoc intelligitur, quoties accipitur Quàm pro ualde, ſiue uehementer. At contrà Quàm pro quantum, nunquam cum ſuperlatiuo, ſed ſemper cum poſitiuo, ut Cicero: Quàm moroſi ſint, qui amant, ex hoc potes intelligere. Vides, ut Quàm pro quantum non poteſt

adiungi uerbo principali, duntaxat in recto modo loquendi, hoc est, quando non figuratè loquimur, ut exprobrandi, deridend'ue causa, hoc modo, Quàm citò ueneris, Quàm suauis homo es. Loquor autẽ, quoties duo uerba in eadem oratione inseruntur, semper cum uerbo non principali iungi Quàm pro quantum, pro Valdè frequenter uno uerbo contentum esse: & in duobus, principali potiùs gaudere, nonnũquam altero, ut, Vbi est lucrum, eò quamprimùm aduolas: & Ibi est lucrum, quò tu quamprimùm aduolas. At in hac differentia positiui & superlatiui aliqui se obijcient, afferẽtes Terẽtium in Andria: Reiecit se in eum flens quàm familiariter. & in Eunucho: Post illa tempora, tute scis, quàm intimum te habuerim. In quorũ exemplorum priore est Quàm pro ualdè cum positiuo, in posteriore Quàm pro quantum cum superlatiuo. Ego uerò accipio illud Quàm familiariter, pro quantum familiariter, figuratè, quasi ô quantum familiariter: & hoc Intimũ accipi uolo pro positiuo, sicut Proximũ. Dicimus nanq; Hic est mihi magis proximus, ita, Hic est mihi magis intimus. Neque in hoc toto meo opere tam licentiã poëtarũ consector, quàm usum oratorum. Neque, si quid aliter penès authores reperiatur, mihi obesse debet, qui non legem scribo, quasi nunquam aliter factum sit, sed quod frequentissimè factitatum est, præsertim à Marco Tullio, Marcoq; Fabio: apud quos si quando reperiatur Quàm cum positiuo pro ualdè, aut cum superlatiuo pro quantum, ausim affirmare mendosè scriptum: ut in procemio de Oratore: Quàm boni perdiu nulli, quasi de ualdè bonis, & non potiùs de bonis loquatur. Vera scriptura erat, Boni perquàm diu nulli, aut potiùs, Cùm boni perdiu

Hęc uelim diligẽtiùs attendant qui Vallæ carpendo inhiant tam auidè

perdiu nulli: aliter enim uidetur nõ cõgruè dici. Quod uicium scribendi utinam in paucioribus esset. Quod Cicero ipse illo ipso eruditissimo seculo (quod uix credibile uidetur) queritur, ita ut apud Latinos mendosiores sint codices Latini, quàm Græci. Quanq; apud Græcos lõgè difficilior sit scribẽdi, quàm apud Latinos, ratio. Nam cur non sæpiùs Quàm, pro ualdè, cum positiuo in illis reperiremus, si probassent potiùs quàm respuissent? Quarè in hac re non uerebor reprehendere Boëtium, Priscianum, & elegantiorẽ utroq; Lactantium. Primus super Ciceronis Topica ita ait: Nosti oblatrantis morsus inuidiæ, nosti quàm facilimè, in difficilimis causis, liuor iudiciũ ferat. Malem dixisset, Quàm facilè. Secundus libro decimooctauo ita: Ita ex uno libro Ciceronis tot uersus proponere studui, ut docerẽ, quàm frequẽtissimè hac cõstructione usi sint authores eloquentiæ Latinæ. Latinius erat, Quàm frequenter usi sint, uel, Quamfrequentissimè usos. Tertius ita libro primo institutionum: Et quàm multa alia de Deo nostris hominibus locutus est similia. Permulta, ego dixissem. Idem libro sexto: Hoc autẽ duplex sacrificij genus quàm sit uerissimum, Trismegistus Hermes idoneus testis est. Et in principio statim libri de opificio, inquit: Quàm minimè sim quietus summis etiã necessitatibus, ex hoc libello poteris æstimare. Puto Ciceronem, Quàm sit uerum, &, Quàm parùm sim quietus, potiùs fuisse dicturũ: qui scribẽs ad Trebatium, in procemio ita ait: Sed dum fuimus unà, tu optimus es testis, quàm fuerim occupatus: non dixit, Quàm summè occupatus, aut, Quàm maximè occupatus, aut, Quàm occupatissimus fuerim. Quod autẽ dixi de Quàm, non

debere illud iungi cum superlatiuo, quoties significat quantum: unum uerbũ excipitur Possum, & quæ idem significant, Queo, Valeo, Licet, & si qua sunt alia, ut, Scribas quãoptimè potes. Nec rectè dicas, Scio quamoptimè scribas: quod, præter authoritatem summorum authorum, etiam ratione nititur. Quia ubi est uerbũ Potes, ibi Quàm non iungitur cũ superlatiuo, sed cum uerbo, sic: Scribas optimè q̃ potes. In alijs autem nequit iũgi cum uerbo, sic: Scio optimè, q̃ scribas: nisi alius sit sensus. Ergo illud non planè Latinum est: Quamprimùm mare intraui, exorta tẽpestas est, sed, Cùm primùm, &, Quàm primũ potero, mare intrabo, uel Cùm primùm potero, uel, Vt primùm potero, uel, Vbi primùm mare intraui, aut, Vt primùm, uel, Vbi primùm potero, mare intrabo, Latinum erit. Ex his, quæ dixi, colligitur, ubi est Quàm pro quantum, ibi quoq; poni posse ipsum Quantum, ut Cicero de amicitia: Nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum, studiorumq; distantia. Quintilianus in secundo: Cùm aliquid, adhibita quanta maxima potest cura, diligenter elimauerit. Vt quoq; in locum Quàm, uel Quantum, succedit, nunc sine Ita, nunc cum Ita. Primo modo sic, ut apud eundem in duodecimo: Non omittẽda pars hæc orationis, sed exigenda, ut optimè possumus. & Cicero in Philippicis: Quas ut honorificentissimis uerbis ipse consequi potero, complectar mea sententia. Altero modo sic, ut apud eundẽ de Oratore: Hæc ut breuissimè dici potuere, ita à me dicta sunt. De positiuo autem nemini dubium erit, Quàm & Vt, conuenire cũ Possum, ut idem in Philippicis: Sed reliquum cursum uitæ quàm quidem possum breuiter perstringam, & ut potui

tui, breuiter perstrinxi. Rectè ergo pones Quàm pro quantum, cum positiuo, & superlatiuo, intercedente uerbo Possum. Malè autem cum comparatiuo, siue sine Possum: ut, Quàm plura uolumina ille composuit: dicendum est Complura, non Quàmplura, ut quidam malè scribunt. In aduerbio quoque superlatiuo nonnunquàm legimus Complurimùm pro plerunque, siue per Possum, ut, Narraui rem gestam quàm breuiùs potui, aut, Quàm potui breuiùs. Cuius hic quidem sensus, sed tamen barbarè prolatus est, Narraui quàm breuissimè potui: quanquàm hoc secundum posset accipi in eum sensum, qui est, Quàm potui breuiùs, siue (ut apertiùs loquar) Breuiùs quàm potuissem. Primus modus sic accipi non potest. Nec hoc quidem barbarie caret, licèt huius loci nõ sit, Iste est nimis iuuenis ad dandum sibi tale negocium, quod sic Latinè dicetur, Iste est nimis iuuenis, aut iunior, quàm ut sibi detur tale negociũ: uel, Est iunior quàm cui tale negociũ detur. Cuius rei plurima ubiq; exempla sunt, ut Quintilianus: Sed hoc apertius est, quàm ut probãdum sit. Et ita opus inchoatur Valerij Maximi: Vrbis Romæ, exterarumq; gentium facta simul ac dicta memoratu digna, quæ apud alios authores latiùs diffusa sunt, quàm ut breuiter colligi possint, id est, latiùs sunt dispersa, ita ut non breuiter cognosci possint. Item Quintilianus in decimo: Ideoq; ne suscipiendæ quidem sunt causſæ plures, quàm quibus se suffecturum sciat. In eandem orationem cadit ille modus, qualis est, Maiorem geris uestem, quàm pro habitu corporis. ut Curtius: Maiorem, quàm pro magnitudine, sylvæ reddebant sonum. Illud hoc loco iocosum inserere non pudebit. Si quis interrogatus,

huiusmodi

huiusmodi positiui Perpulcher, qui cõparatiuus sit, & qui superlatiuus, non aliter benè respondebit, nisi ita, Multò pulchrior, & quàm pulcherrimus. Ex his autẽ duobus, de quibus iam diu disseruimus, Per, & Quàm, conflatur unum Perquàm: quod utri dandum erit, positiuo, an superlatiuo? (utrunq; enim in eo partem sibi uendicat) certè positiuo, uel quia per anterius est, uel quia indecens uideretur, duo aduerbia uehementiam significantia, superlatiuo anteponi. Dicimus itaque, Perquàm doctus, Perquàm eruditus, Perquàm pulcher. Et sicut uerbo solet apponi Per, ita & Perquàm: ut, peruelim, perplacet, perquàm uelim, perquamplacet. Plinius iunior in epistolis, Perquam uelim scire: nisi interpositum sit Quàm, inter præpositionem & uerbum, cum quo illud copulatur. Quale apud Terent. Per pol q̃ paucos reperias meretricibus fideleis euenire amatores. Quod sic resoluitur, Pol per q̃ paucos. Boëtius tamen in commentarijs logicæ breuioribus superlatiuo dedit, dicens: Apud scriptores quidem Græcos perquàm rarissimos. Et Pomponius de origine iuris, digestorum Iustiniani libro primo: Nam ante eum Seruius duos libros ad Brutum * perquàm breuissimos ad edictum subscriptos reliquit. Et facundus scriptor Curtius libro 4. Bessum quoq; Bactrianorum ducem, perquàm maximo posset exercitu coacto, descendere ad se iubet. Sed huiusmodi exempla tam rara sunt, ut dubitem, an librariorum sit culpa. Certè ipse sic loqui non ausim. Aulus quidem Gellius hoc, quod præcipimus, semper custodiuit. Cæterum (ut est in loquendo curiosior) pro Perquàm ita loquitur, Sanè quàm utile, uoce ádmodum quàm suaui, oppidò quàm libens, nimis quàm ineptum

Tit. 2. ca. 2

quàm breuissimos habent emendata exẽplaria

ptum, quæ aduerbia idem pollent quod Per pro ualdè. Vsitatius tamen est Perquàm, ut, Perquàm utile, uoce per q̃ suaui, perquàm libẽs, per q̃ ineptũ. Tametsi Cæsar commentario 13. Quibus rebus oppidò quàm pauci sub pellibus acquiescebant. Et Seruius Sulpitius ad Ciceronem scribens, ita incipit: Posteaquàm renũciatum est mihi de obitu filiæ tuæ, sanè quàm pro eo ac debui grauiter molesteq; tuli. Et ad eundẽ Cælius etiam ita incipit: Sanè quàm literis Cæsaris sumus cõmoti. Nam Cassius cis Euphratem Parthorum copias esse scripsit. Et Brutus quoq; Decius ad eundem: Nam suos ualdè quàm paucos habet. Et iterum in eadẽ epistola: Sanè quàm gauisus sum. Quid plura? Ipse quoq; Cicero ad fratrem: Nam, quod de Pompeio Caninius ait, Sanè quàm refrixit. Nõ succurrit mihi, si quod aliud exemplum apud Ciceronem repererim. Et Titus Liu. nescio an alibi, quã lib. 48. Cùm haud facile esset, aut ea quæ obijcerentur, aut quæ aduersus ea dicenda erant, memoria complecti. Nec enim multa solùm, sed etiã pleraq; oppidò quàm parua erant. Hæc igitur dantur positiuo, illa uerò magis superlatiuo Multò & Longè, in eo ferè significato, quo solet Quàm, cum superlatiuo: sed cum hac tamen differentia, quòd huic Quàm non tribuimus genitiuum illum superlatiui proprium, aut ablatiuum, ac cusatiuum ue cum præpositione, ut fit sine ipso Quàm. Marcus Tullius: Acerrimum autẽ ex omnibus nostris esse sensum uidendi. Et iterum: Quem Crassus dilexit ex omnibus plurimũ. Non dixit, Quàm acerrimum, aut, Quàm plurimum ex omnibus, siue inter omnes.

Aliâs pulcherrimũ.

Aliâs pulcherrimũ.

* Sed alterum positiui proprium.) Componitur Per quan- THEOD.

quãdoq; cum superlatiuo. Liuius Decad. iiij. li. x. Viam exercitui nullam esse, paucis & expeditis perdifficilimum aditum. Plinius lib. 2. cap. 54. Itaq; perplurimùm rẽfert unde uenerint fulmina. Cato in re ruſt. Inibi austrum caueto permaximè.

Cùm primùm potero.) Formulæ sunt eiusdẽ significati non minùs elegantes: Simul, Simul ubi, Simul primùm, Simul ut, Simul atq;, Simul ac, Simul ac primùm, Confestim ut, Statim ut, Statim atque, Statim quàm, Protinus ut.

De Longè, Multò, Facilè, Valdè. Ca. XVIII.

ID quoq; fit in Multò, atq; in Lõgè pro ualdè, et in Facilè non pro dubiè, ut Quintilia. lib. 2. Declamandi ratio, ut ex omnibus nouissimè inuenta, ita & multò est utilissima. Idem: Longè omnium, quos quidem mihi audire contigit, præstantissimus Domitius Apher. Et Marcus Tullius: Sed ego neq; illis adsentiebar, neq; harum disputationum inuẽtori, & principi longè omnium in dicendo grauissimo, & eloquentissimo Platoni. Idem pro Rabirio, Virum unum totius Græciæ facilè doctissimum Platonem. Amat etiam Longè (ut Multò) secum iũgi comparatiuum, ut Vergil. in nono: At pedibus longè melior Lycus. Et ea de quibus anteà disputaui, Alius, aliter, secùs, antè, pòst, præ. ut Longè alius, lõgè aliter, longè secùs, longè antè, longè pòst. Et composita à præ, ut longè præstans, longè præstat. Quintilianus: Sed eum longè præcedunt ingenia uiuentium. Et cæteræ, quæ superlationem quandam habent, & proximè accedunt comparatiua, ut, Longè superat, Longè uincit: & ea, quæ diuersitatem, more illorum Alius, aliter, secùs, qualia sunt, Diuersus, dissimilis, alienus, ut Longè diuersus, lõgè dissimilis, longè alienus. Princeps ne adiectiuũ qdẽ est, more positiuorũ, tamẽ, quia superlationem significat, adsciscit sibi Lõgè, ut idem: Li. 10. ca. 1
Lib. 10. cap. 1

Nouem uerò Lyricorum lõgè Pindarus princeps. Et Facilè pro eo, quod est, haud dubiè. Marcus Tullius pro Roscio, Non solùm municipij Larinatis, ex quo erat, sed etiã regionis illius ac uicinitatis uirtute, existimatione, nobilitate facilè princeps. Præterea Cum præcipuus, cum primus, cum secundus, & si qua alia sunt, ut Quintilianus de Euripide loquens: In affectibus cum in omnibus, tum in his quæ miseratione constãt, facilè præcipuus, & admirandus maximè est. Sic Facilè primus, uel, facilè summus. Facilè uerò secundus dicimus, non ad ordinẽ respicientes, sed ad dignitatẽ, quale est, Tu es facilè secundus à rẽge, hoc est, post regem primus. Longè igitur pro ualdè proprium est (exceptis paucis) comparatiui & superlatiui. Ipsum autem Valdè positiui, & uerbi, ut, Valdè diues, ualdè pauper, ualdè laudat, ualdè uituperat. Nec ausim dicere, Lõgè diues, Longè laudat, nec, Valdè ditior, ualdè ditissimus. Hæc aũt, quæ à me de aduerbijs traduntur, nõ fuerunt intẽtata ueteribus grãmaticis. Nam nuper cũ iã ista cõposuissem, inueni in bibliotheca Beneuentana Sergium super Donatum ita dicentẽ: Donatus dicit, quinq; tantùm aduerbia positiuo esse iungenda, Tam, Magis, Maximè, Minùs, & Minimè: ea scilicet ratione, quoniam uim in se habent comparandi. Atque ideo non debẽt cõparatiuis casibus iungi, ne uideatur comparatio geminata. Qui enim dicit, Tam doctior, penè hoc dicit, Doctiùs doctior, quod latinitas non patitur. Probus autẽ dicit, Omnia aduerbia, quæ uim augentis aut minuentis in se habent, non debere conmungi cũ comparatiuo, nec superlatiuo, ut sunt ista: Valdè Eod. cap

Sunt quĩ putent legendum Seruiũ, & ita habẽt pleraq; exempla, sed quũ huius fragmentũ extet, & non semel ἁπλῶς de Seruij commen-

tarijs præcessit, Sergium proculdubiò legendum est. Citãt etiã non uno in loco Sergij cõmentaria in Donatũ à Prisciano, nominatim in principio lib. 1.

dè, *Multùm, Plurimùm, Per, & similia. Nam ista omnia tantùm positiuis casibus debemus adiungere.* Idem Sergius longè post, ita ait: *Comparatiuo & superlatiuo quinq; hæc comparationis aduerbia non apponemus, ut, Tam, Minus, Minimè, Magis, Maximè, quæ tamen soli positiuo adijcientur. Hæc, quæ tres authores tradunt, & imperfecta sunt, nec omnino uera, ut ex eis datur intelligi, quæ ipsè præcepi. Dicimus enim, Multò fortissimus: &, Ego sum tam te fortior, quàm nobilior: &, Tam omnium sum fortissimus, quàm nobilissimus. Comparatiua uerò addi non oportere comparatiuis, ne præcipiendum quidem est. Quòd autem posuit Minimè, Maximè, & similia Sergius, non rectè posuit. Nam Minimùm est proprium aduerbium superlatiuum, Minimè uerò, pro negatione accipitur, quasi nequaquàm, ut, Hic homo mo est minimùm literatus, id est, pauxillum literatus, Ego sum minimè literatus, id est, idiota, & nihil prorsus habens literaturæ.*

Minimùm literatus, id est, pauxillum.) Minimùm & Minimè accipiuntur quoq; pro eo quod uulgus imperitorum dicit Ad minus. Varro de re rust. lib. 1. cap. 5. De his quatuor generib. singulæ minimùm in binas diuiduntur species. Plinius lib. 17. cap. 12. De qua Catonis Italica sentẽtia est, in 25. pedib. minimùm, plurimùm 30. seri. Colum. lib. 1. cap. 6. Lata bubilia esse oportebit pedes decem, uel minimè nouem.

De proprietate quadam comparatiui.

Cap. XIX.

AT q; hæc hactenus. Illud ad extremum adijciamus de comparatiuo: consuetiorem sermonem esse per accusatiuum, quàm per nominatiuum in illis, quale est, Tu maiorẽ laudem assecutus es patre tuo, tuisq; maioribus: uix audeas dicere, Tua laus est maior

ior patre tuo. Tamen solemus aliquando sic uti, ut Vergil. in 8. Haud secùs ignipotens, nec tempore segnior illo. Et Quintilianus de apibus pauperis, Vnum rogo, ne cui minor uestra dignitate uideatur caussa litis meæ. Et in tertio institutionum: Non debes apud prætorem petere fidei commissum, sed apud consules. maior prætoria cognitione summa est. Fortasse uidetur mollius in obliquo casu: quod si ita non est, uolo tamen annotatum esse, quòd inc õsueta uox auribus hæc uidetur esse: Maior summa pecuniaria est prætoria cognitione: pro eo quod est, maior summa est, quàm ut apud prætorem peti possit. Minor caussa dignitate uestra: pro eo quod est, minor, quàm ut uideatur digna, quæ apud dignitatem uestram agatur. Et Vulcanus non segnior illo tempore, pro eo quod est, segniori tempore quàm illud fuit. A quo non dissimile illud est: Ego sum maior uiginti annis, pro eo quod est, ego sum maioris ætatis, quàm ea quæ est uiginti annorum, uel maioris ætatis uiginti annorum. Nam & hoc licet dicere, quale etiã est: Ego sum maior uiginti annorum, id est, ætate tali, uel, Ego sum ætatis maioris ætate uiginti annorum. Frequentissimè autẽ huiusmodi genere orationis utimur, ubi adest hoc nomen Opinio, ut, Sum ditior opinione hominum, non quasi opinio hominum diues sit: quum sic accipi debeat, magis quàm opinio hominum sentit, uel quàm homines opinantur. Cicero ad Brutum suum sic exorsus est, Cùm è Cilicia decedens, Rhodum uenissem, ibiq; de Quinti Hortensij morte esset allatum, maiorem opinione hominum cepi dolorem: pro eo quod est, maiorem quàm ille, quem in me homines opinantur. Nec illud ab hoc multũ recedit, cùm dicimus, Nihil Decla. 13

isto homine peius, nihil tuo patre abiectius, nihil hoc uino insuauius, pro eo quod est, nullus homine isto peior, nemo patre tuo abiectior, nullum uinum hoc insuauius. Rursus in laude, Nihil isto homine melius, nihil patre tuo generosius, nihil matre tua sanctius, nihil uxore tua uerecundius, nihil hoc uino suauius. Dictum est de omnibus rebus, non tantùm de singulis. Interdum etiam, ubi nihil plus compræhenditur in uniuerso, quàm in parte, ut, Nihil est te literatius, nihil est illo prudentius, nihil est isto inhumanius: nihil plus significatur hoc modo, quàm si dicas, Nemo te literatior, nemo illo prudentior, nemo isto inhumanior: quoniam literatura, prudentia, inhumanitas, non nisi in homines cadit. Quid ergo in neutro genere potiùs, quàm in masculino & fœminino prolatum est? Nempe, quia nescio quid plenius & suauius in neutro genere est. Ideoq; tali sermone delectati authores sunt, ut ipsorum crebra exempla documento esse possunt: quæ inquirentibus notiora erunt, quàm ut à me huc afferri debeant.

THEOD. Maior uiginti annor.) Sic Liuius Dec. 4. li. 8. Neu minores duodecim annor, neu maiores quadraginta.

De compositis à Somnus. Cap. XX.

A Somnus composita quædam sunt secundæ semper declinationis, quædam tertiæ. Secundæ, Cicero in Verrem: Hic etiam cùm semisomnus stupere t. Et Cælius in Antonium: Ipsum nanque offendùt semisomno sopore profligatum. Et Sallustius in Iugurthino: Signo dato, castra hostium inuadunt, semisomnos partim alios arma sumentes fugant. Insomnem, & exsomnem draconem sæpè legimus, & ferè hanc differentiam seruatam inuenimus. Hæc admonui

nui, ut in his nominibus, quæ ancipitem in compositione declinationem sortita sunt, tamen sciamus, usum frequentiorẽ imitandũ. Seneca dũt de breuitate uitæ ait: Quàm multi hesterna crapula semisomnes & graues.

Seneca autem.) Sic & Liuius: Multos in ipsis cubiculis semisomnes hausit flamma. **THEOD.**

De nominibus in osus. Cap. XXI.

NOmina quæ exeunt in osus, partim à nomine descẽdunt, partim à uerbo, partim ab utroq;. Et ea quidẽ, quæ descẽdũt à noũe, habitionẽ siue uehementiã copiã ue significãt, & affectionẽ: ut Animosus, Ingenio sus, Lacertosus, Neruosus, Saxosus, Aquosus. Hæc copiã siue uehementiã, habitionẽq; significant, q habent in se uehementiã ac copiã aquæ, saxorum, neruorum, lacertorũ, ingenij, animi. Vinosus, Mulierosus, Libidinosus, Seditiosus, Factiosus, q affectus est ad hæc, & amat uinũ, mulieres, libidinẽ, seditiones, factiões. Rursus ea, quæ à uerbo sunt, partim actionẽ significãt, partim paſsionẽ, partĩ utrũq;: Studiosus, Fastidiosus, Stomachosus, Iniuriosus, Cõtumeliosus, Curiosus, semp actiuè ab authoribus accipi solẽt. Ociosum est in re apta inculcare exẽpla, quæ uulgò sunt plurima. Hæc enim accipiũtur ꝑ his qui operã dãt studio, q fastidiũt, qui stomachãtur, qui iniuriã contumeliãq; faciũt, q nimis curãt: misi uelimus hæc à noũbus uenire, nõ à uerbis, ut Fraudulosus, qui fraudẽ facit, quod à Fraudula diminutiuo uidetur uenire potiùs q à Fraude: quẽadmodũ Meticulosus, q timidus est, à Meticulo magis, q à Metu, & Sõnículosus magis à Somniculo, q à Somno, & Siticulosus magis à Siticula, q à Siti uenit. Tenebricosus quoq; repitur, & Tenebrosus, licèt q dã ab usu regulaq; recedãt, ut Mõtuosus potiùs q Mõtosus, Saltuosus q

Saltosus, Tortuosus, q̃ Tortosus. Verũtamen quæ sunt quartæ declinat. assumũt u, ut Vultuosus, Actuosus, Fructuosus. Ideoq; illud in Psa. Oues eorũ fœtosæ: legendũ est Fœtuosæ à Fœtus, sicut eduersò plerique scribũt Monstruosum pro Mõstroso. Luca. Monstrosíq; hominum partus. Nec modò in osus faciunt nomina quartæ declinationis, uerumetiam in arius, ut Saltuarius, Actuarius, Fructuarius, quum nomina secũdæ declinationis careãt u, ut Asinarius, Caprarius. Odiosus & Inuidiosus passiuè. Ille enim significatur, qui odio habetur, & cui inuidetur, non is qui odit, & qui inuidet. Hæc passionem significant, utiq; cùm à uerbo ueniunt: secùs, cùm à nomine. Nam Odium molestiam quoq; antiquitùs significabat. Terent. in Phor. Nunquàm tuo odio me uinces. Et iterum: Si porrò esse odiosi pergitis, id est, molesti. Cicero ad Attic. Sed cùm horas tres ferè dixisset, odio & strepitu Senatus coactus est aliquando perorare. Et sic in Catone maiore: In infirmo corpore odiosa est omnis offensio. Et de Oratore: Verùm, si placet (quoniam hæc satis spero uobis quidem certè maioribus molesta & putida uideri) ad reliqua aliquãtò odiosiora pergamus. Odiosiora dixit, quasi molestiora. Inuidia autem, præter illam significationem notam, est uel dicto uel facto in alterum maliuolentiæ conciliatio: ut si quis referat, ostẽdat ue calamitates suas, ut authori calamitatum odium cæterorum concitet. Et hoc uocatur inuidiam facere, uel uocare, uel adducere in inuidiam. Inde inuidiosa res, quæ atrocitatem facti augens, inuisum illud, uel illius authorẽ facit. Et inuidia quasi atrocitas, uel detractio. In quam significationem accipio illum uersum:

Martia. de domo Neronis: Inuidiosa feri radiabant atria regis.

Inuidiam

Inuidiam nimio cultu uitare memento.

Nam latentem inuidiam quia non deprehendo, uitare nequeo: sed eam, quæ extrinsecus significatur uel uoce, uel gestu, cùm populus indignè ferre se indicat in aliquo nimium & insolentem corporis cultũ. Ideoq; subiungitur: Quæ si non lædit, tamẽ hãc sufferre molestum est: hanc scilicet uel uoce, uel gestu, uel utroque modo detractionem. Quale illud quoq; Terentianum: In Andria

Ita, ut sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.

Et illud Sallu. licèt ex Demost. sit sumptũ: Inuidiã gloria superasti. Formidolosus, Laboriosus, Operosus, pariter actiuè passiueq; accipiuntur. Terentius: In Eunu.

Egón' formidolosus? id est, egóne, qui timeã?

Sallust. Regibus boni, quàm mali suspectiores sunt, semperq; his aliena uirtus formidolosa est, id est, quæ formidatur. Cicero: Videtis ut senectus non modò languida atq; iners nõ sit, uerumetiam operosa, id est quæ agit, & rebus agendis operam dat. Idem pro Cælio: Nos laboriosos existimet, quibus ociosis ne in cõmuni quidem ocio liceat esse. Ouidius: Moles operosa laborat. Operosa, quæ ab aliquo operata est, non quæ aliquid facit, uel uehementis operis, & multarum operarum. Ita res laboriosa, uel quòd in ea laborẽ capiamus necesse est, uel quòd plena laboris est. Voluptuosus quoque & Religiosus, licèt à uerbis non ueniant, tamen istis similia sunt, ut affectionem significent, & habitionem siue plenitudinem: simulq; actiuè accipiuntur, & passiuè: Voluptuosus homo, qui perquàm amat uoluptatẽ. Res uoluptuosa, quæ in se habet uoluptatẽ, uel quæ plena est uoluptatis, & qua homo delectatur. Ille recipit, hæc recipitur. Religiosus homo, qui amat religionem. Sepulchra & monumenta religiosa

Sunt, id est, habent in se religionem. Ille adorat, hæc adorantur. Præterea Gloriosus, Famosus, Imperiosus nonnihil & ipsa à cæteris differunt. Nam licèt legamus Gloriosam uictoriam, id est, plenã gloriæ: & apud Iuuenalem: Famosos equitum cum Dictatore magistros: & Imperiosos populos, hoc est, latum imperium possidẽtes: tamen dicimus ita gloriosum hominem, affectatorem gloriæ, ut uinosum, cupidum uini: & mulierosum, nimis appetentem mulierum, qualis miles gloriosus apud Plautum, & Terentium. Et Famosum, pro infami & turpi, ut, famosa mulier, quæ noscitur impudica esse. Et Imperiosus, ostentator imperij in exercenda sæuitia, qualis Torquatus apud Liuium, qui filium securi, ob imperium contemptum, occidit, unde imperiosus appellatus est. Verùm Imperiosus & Gloriosus quando honestæ significantia sunt, pro gloriam imperiumq; habente, habitionem, plenitudinẽq; significant: quãdo inhonestæ, affectionem, ut dixi. Similiter Quæstuosus & Sumptuosus, ab affectione magis, quàm ab habitione siue plenitudine ueniunt. Quæstuosus, est homo auidior quæstus & lucri, undiq; lucella quæritãs. Sumptuosus, qui auidior est sumptus, quàm quæstus, & immoderatum sumptum facit, id est, immoderatas impensas. Quæ duo magis possunt accipi actiuè quàm passiuè, magisq; ad homines pertinent, ut, Homo quæstuosus, homo sumptuosus. Luctuosus uerò magis ad rem, ut Res luctuosa, hoc est, plena luctu. Nescio an liceat de homine misero & afflicto dicere, Homo luctuosus, sicut Fortuna huius luctuosa. Ab Industria autem non habemus Industriosus, sed Industrius. Nec à Virtute Virtuosus, more Græcorum, qui ἀπὸ τῆς ἀρετῆς non deriuant

Lib. 8. 1. decad.

ἀρετὸς, licèt habeant ἀρετὸς, sed pro illo dicunt tum ἀγαθὸς, id est, bonus, tum σπουδαῖος, id est, studiosus, Aristotele quoq;, & alijs quibusdam testantibus. Quod Cicero ad Herennium imitatus est, dicens: Ideoq; bonis uiris, id est, studiosis, amicus erat. Morosus, à More uenit, non à Mora. Primã enim habet longã, ut Mos moris, significatq; eum, qui nimis exactè, nimisq; ad unguem fieri omnia postulat, ut aliquãdo ob id indignetur ac irascatur. ut Suetonius de Cæsare: Circa corporis curam morosior, ut non solùm tonderetur diligenter, sed etiam uelleretur. Idem de Tiberio: Sed affectatione & morositate obscurabat studium. Cice. de senect. At sunt morosi, & anxij, & iracundi, & difficiles senes. Et idem secũdo de Oratore: Me quidem herclè illa ualdè mouent stomachosa, & quasi submorosa ridicula, non cùm à moroso dicũtur: tum enim non sal, sed natura ridetur. Suetonius accipit pro cupido nimis exactæ diligentiæ. Cicero uerò adiungit impatientiam & iracundiam. In significato tamen illo superiore posuit in Oratore: Vsq; adeò morosi sumus, ut nobis nõ satisfaciat ipse Demosthenes. Deniq; sic dicitur Morosus à nimia diligentia & seueritate, ut Curiosus à nimia cura, quoties plus diligentiæ, q̃ oporteat, impendimus rebus uel nostris, uel alienis. Nostris, cùm minutissima quæq; disquirimus, & nullius frugis. Alienis, cùm de rebus cæterorũ occultioribus non satis eum pudore perscrutamur, aut interrogamus. Sed non tã à Cura Curiosus uidetur descẽdere, q̃ à Curia: cuius cõpositũ est magis in usu Incuria, id est, negligẽtia. tãetsi Curia à Cura dicatur. Atq; ut Curiosus à puersa cura uocatur, ita Cerebrosus à cerebro puerso. Vnde Hora. Donec cere

Ἀριστὸς τοῦ ἐσθλοῦ θυμαρὴς οὐκ ἀπὸ τῆς ἀρετῆς ἀλλὰ παρὰ τὸ ἀρέσκω.

brosus protulit unus, id est, insanus, & cerebri peruersi. Pannosus & ipsum aliquid differentiæ habet. is enim dicitur pannosus, qui crasso panno ac uili opertus est. Nec hoc nisi de paupere dicitur: quæ exempla sunt plurima.

THEOD. Famosos equitum.) Beroaldus & Budæus pro Famosos legunt Fumosos. Notat enim poëta eos, qui natalium splẽdore, uetustissimisq; maiorum imaginibus, & quæ præ uetustate fuscum uelut à fumo colorem contraxerint, elati, nouos homines fastidiunt.

Vt curiosus à peruersa cura.) Calepinus à multa & uehementi cura potiùs dictum existimat: eoq; nonnunquàm in bonam partem accipitur, quãquàm in malam frequentiùs. Vide de huius uocis significatione Alciati annotationes in xii lib. Codicis Iustiniani.

De uerbis inchoatiuis, falsò sic dictis. Cap. XXI.

GRammatici authores uno ore uniuersi, qui de hac re scriptum aliquod reliquerunt, aiunt, illa uerba in sco, ut Calesco, Frigesco, significare inchoationem, ideoq; inchoatiua: illa in so, ut Viso, desideriũ, ideoq; desideratiua: illa in rio, ut Esurio, meditationẽ, ideoq; meditatiua appellari solẽt: In q̃bus oĩbus ab oĩbus dissentio. Sed Prisciano eruditorũ nuperrimo potissimũ respõdebo, qui (ut ordinẽ sequar) inquit in illo Vergilij uersu: Ægrescitq; medendo, significari inchoationem. Qualem medicum uoluit esse Priscianus, quo curante quis incipiat ægrotare? quanq;, quomodò curari quis antè posit, quàm ægrotus sit? necesse est ergo, ut antè ægrotare cœperit: & cùm dicitur ægrescere, ut intelligatur inter medẽdum ægriorem fieri. Et hoc de Turno Vergilius intelligit, cuius augebatur ægritudo, ad Latini salubria cõsilia. Sicut de Didone priùs dixerat, Expleri mentem nequit, ardescitq;

De significatione uerborũ inchoatiuorũ Vallа uidet præterrẽ cũ Prisciano rixari: nã aut inchoari significãt,

ut lucescit der dach bricht an, aut glisce re & intẽdi. Hæc Melanth. in Gram.

desciq; tuẽdo. Quid igitur attinet exempla repetere, quum nunquàm in sensu inchoationis reperiãtur? An illud apud Quintilianum hoc significat? Tenuit consuetudo, quæ quotidiè magis inualescit. Aut illud Ciceronis? Quantò plura ille miscebat, tantò hic magis indiès conualescebat: Et illud Ecclesiasticum? Qui sordet, sordescat adhuc. Quomodò potest quid quotidiè incipere ualidũ fieri, & quidem magis, quod dicitur respectu præcedentis? At inchoationem nihil præcedit: aut quomodò quod sordet, potest incipere sordere? et sordescere adhuc, id est, magis. quid magis? certè quàm anteà inceperat. Sed quid ibi disputamus, quum dicatur qui iam sordet, sordescat adhuc: quasi sordidior fiat, non autem sordere incipiat, quia iam sordet. Ideoq; Græcè & hoc, & cætera huiusmodi uerba, per uerba passiua explicãtur: & illud Græcè Sordescat, nihil aliud est quàm sordidetur. Plautus in Captiui duo: Ego qui tuo mœrore maceror, macesco, consenesco, & tabesco miser. Pro eodẽ penè accipit Maceror & Macesco, nisi quòd Maceror ad animum magis pertinet, quasi affligor, Macesco magis ad corpus. Videtur autẽ ratio dici uelle potiùs Macresco, ut Nigresco, Pigresco, Aegresco. Sed etiam dici potest Macesco, ut Acesco. Crebresco tamen potiùs dixerim, quàm Crebesco. Verùm ad rem. Ediuersò Vergilius:

Maria incipiunt agitata tumescere. Et iterum:
Fluctus ubi primo cœpit cum albescere ponto.
Et iterum:
Sin in processu cœpit crudescere morbus.

Vbi quid opus erat dicere, quòd incipiant res tumescere, albescere, crudescere: quum satis, imò magis proprium

prium fuisset, dicere, quòd tumescebant, albescebant, crudescebant, id est, quòd incipiebant, siue inchoabant tumere, albere, siue crudere? Quid ergo significant uerba inchoatiua? Nempe (ut breuiter finiam) quod uerba cõposita à Fio, Calefio, Frigefio, Sordefio, Aliâs Tepefio. *Inualefio, Aegrefio, & Ardefio, quæ ideo in usu non sunt, quia superuacuum esset, duas nos uoces habere idem significantes: nec, nisi ubi alterum deficit, alterius præsidio utimur. Calescens, pro calefiens, Patescens, pro patefiens, quum utrunq; reperiatur, Patesco, & Patefio, quanquàm ne in simplici quidem suo reperitur Fiens, nec quod ab hoc formaretur Fiendus. Dicemus itaq; Calescens, & Calefaciẽdus. Nec desunt qui in Fiens utantur, sed in eo, de quo loquor, significato, ut in Psalmo uicesimo primo: Et factum est cor meum tanquàm cæra liquefiens in medio uentris mei: quũ in alia translatione dicatur Liquescẽs. Ex quo liquet, eiusdẽ utrunq; esse significationis: idiomate quoq; Italico, atque Hispano (quod ex Italico oriundũ est) adstipulante, apud quod penè Latina uoce hæc uerba pronunciãtur, & certè in hunc, quẽ ego dico, sensum, quale est hoc, Ogni di magrisco, hoc est, omni die macrescо, per quod incremẽtũ assiduum atq; continuũ declaratur, nõ inchoatio. Quòd si quid inter huiusmodi uerba in sco, & in fio, intererit, hoc esse arbitror, q. hæc in sco passionẽ in se habẽt, illa uerò extrinsecus allatam: ut, In Aegypto Cæsar cũ hostes fugeret, elata læua natabat, ne libelli, quos tenebat, madefierent: meliùs, q. Ne madescerent. Et cũ fores aperiuntur, meliùs Patefiunt dicitur, q. Patescunt. At cùm quis in balneo sudore irrigatur, & fores suæ sponte aperiũtur, magis ille madescit, quàm madefit, & Suetonij est in Iulio.

hæc magis patescunt, quàm patefiũt. Inchoatiuorũ autem dicuntur præterita eadem esse, quæ primitiuorum: tamen paucissimis curæ est dignoscere, quando à primitiuis sunt, quãdo ue ab inchoatiuis, quorum multum differt significatio, licèt crebrior sit illa inchoatiuorum, ut Pinguit, Macrut, Frixit, Caluit, idem est, quod pinguis factus est, non aũt, pinguis fuit: macer factus est, & frigidus, & calidus factus est: nõ autem, macer, frigidus, & calidus fuit. Nam Pinguet idem est, quod pinguis est, Macret, Friget, Calet, idem quod macer est, frigidus est, calidus est: quorum præterita sunt, Pinguit, Macruit, Frixit, Caluit, uix unq; in hoc significato, pinguis, macer, frigidus, calidus fuit: sed in illo, pinguis, macer, frigidus, calidus factus est, ut etiam in hoc apertiùs patebit exemplo, Tam citò macruisti? tam serò pinguisti? non id significo, quòd tã citò macer, aut tam serò pinguis fuisti, quasi nunc talis non sis: sed quòd pinguis aut macer factus es, atq; etiam talis es, siue tunc eras, si de alio tempore loquimur. Quæ præterita, quia à primitiuis non ueniunt (ut significatio indicat) necesse est ueniãt à deriuatiuis in sco. Vndè probatur etiam inchoatiua non significare inchoationẽ. Quarè Seruius uiderit, qui his uerbis præteritũ non tribuit, quorum frequentiùs est, quàm suorum primitiuorũ. Nam, quod ait, quia inchoatiua sunt, ideo carere præteritis: cassa ratio est, quum ipsum uerbum Inchoo etiam præteritum habeat. Verùm hæc uerba nec inchoatiua sunt, & præteritum habẽt. Illud transeo, quòd multa sunt, quæ pro suis primitiuis accipiuntur: Conticesco, Adhæresco, Delitesco, Concupisco, Labasco, Obdormisco, Contremisco, Expauesco, & his similia.

De

De uerbis desideratiuis malè sic uocatis. Cap. XXIII.

Lib. 8. de speciebus uerborũ

NAm quæ idẽ author desideratiua appellauit, ipsius quoq; exemplo ostenditur, nequaquàm esse desideratiuæ significantiæ. Hoc enim exemplum ille affert. Vergilius in octauo,

Nam memini Hesionæ uisentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum.

Visentem dixit, pro cupientem uidere, quod Græci dicunt ὀφθίονται. Idem & in eodem exemplo Seruius dixerat: Simile est Facio facesso, Capio capesso, Lacero lacesso, Arceo arcesso, Accio accerso, quæ possumus non incõgruè desideratiua nominare. Sed quæro à Prisciano, cur magis Priamus cupiebat uidere sororem, dum iter faciebat, quàm dum erat in Troia? aut cur magis Priamus, quàm cæteri? aut cur solus? Postremò, quis nouit uoluntatem eius? quid agat, uideo: quid uelit, non uideo. Quid ergo significat uisere? Nimirùm id quod agit Priamus, ire ad uidendam sororem: quod frequentatiuum ipsius declarat Visito. Itaq; actum corporis hæc significant uerba, non affectum mẽtis: Viso, uado ad uidendum, non autem, cupio uidere. Cicero ad Atticum: Cupio equidem, & iampridem cupio Alexandriam, reliquamq; Aegyptum uisere, id est (ut ego sentio) ire ad uidendum. Aliter dicendum erat, uiso equidem & iampridem uiso. Quo certè modo ne Priscianus quidem ipse loqui auderet. Vsurpamus tamen hæc uerba (quemadmodùm de superioribus testati sumus) pro eorũ primitiuis, ut Missi sunt legati uisendi causa, id est, uidendi. Quod certè ita exponi non potest, Caussa uidere cupiendi: tolerabiliorq; (nostra sententia) expositio foret, caussa ut eant

eant ad uidendum. Similiter Facesso, eo ad faciẽdum, uel facio. Vergilius:

Haud mora, continuò matris præcepta facessit.

Frequentiùs tamẽ accipitur pro Eo ad recedẽdum, uel recedo. Vt Liuius lib. secũdo: Facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum. Capesso, eo ad capiẽdum, uel capio. Lacesso, eo ad lacerãdum, uel lacero prouocando. Accerso, uel arcesso, utrunq; pro eo ad uocandum uel uoco. Terentius in Andria: Obstetricem accerso. Quidam etiam in quarta coniugatione utuntur, ut ibi: Mitte in Ioppen, & accersi Simonẽ quendam, qui cognominatur Petrus.

Quidam etiam in quarta.) In hac coniugatione utitur Liuius, ut lib. 4. ab urb. cond. Placere itaque patrem accersiri. Et Cornel. Tacit. lib. 17. Pisonem Licinianum accersiiri iubet. Cæsar bel. Gal. lib. 5. Ex continente alios accersiri iubet. THEOD.

De uerbis meditatiuis non ritè sic uocatis. Cap. XXIIII.

COmmodiùs autem desideratiua, atq; optatiua uocarentur ea, quæ nominantur meditatiua in rio, Parturio, Esurio. Cicero: Vtinam aliquãdo dolor populi Romani pariat, quod iamdiu parturit. Et Liuius: Et quod diu parturit animus uester, alinquando pariat: affectum significauit, non cogitationem, aut actum corporis, qui per hoc uerbum indicatur. Vnde, Meditatio armorum, meditatio declamandi, meditatio gladiatorum, id est, exercitatio. Esurio, cupio edere. Quintilianus: Pater filios esurit. Valerius Martialis octauo epigrammatũm,

In omnibus Vacerra quòd conclauibus
Consumit horas, & die toto sedet,
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

Id

Id est, cœnare cupit, non cacare. Vel dicamus hæc accipi pro primitiuis. Scaturio magis pro suo primitiuo Scatet ponitur, quod est non solùm aquarum, sed herbarum, cæterorumq; sua sponte ubertim nascentium. Quòd si uolumus sua quibusq; apta tribuere uocabula, nec à cõsuetis recedere: ea quæ sunt in sco, appellemus meditatiua, id est, exercitatiua. Qui enim calescit, siue calefit, quasi meditatur, atq; ut caleat, exercetur. Terẽtius: Nunc uide, utrum uis argentum accipere, an caussam meditari tuam. Ea in so inchoatiua: hæc in rio desideratiua. Atq; hanc opinor fuisse ueram & germanam uerborum significationem, quam antiquitùs impositam, posteritas deprauauit.

In Adel.

Vbi infinitiuo, ubi gerundio potiùs utendum sit.

Cap. XXV.

Quædam orationes infinitiuum magis postulant, quædam gerundium, quædam utrunq; Adiectiua magis infinitiuum, siue actiuum, siue passiuum. Substantiua gerundium genitiui dumtaxat casus. Nam de accusatiuo mox dicam. Tu es dignus habere opes. tu es dignus honorari. tu es lætus me benè ualere. tu es lætus me honorari. Rursus, Tempus est gaudendi. locus est expostulandi. commoditas est alloquendi. Participia autem, & multa adiectiua à uerbis deriuata, utranq; formam sibi uendicãt. Sed participia iuncta infinitiuis, dicũtur seruare uim participiorũ: iuncta gerũdio, uim nominum. Timens nauigare & nauigãdi: cupiens discere & discendi: doctus, peritus, promptus, consuetus cantare & cantãdi. Timidus, cupidus, auidus nauigare & nauigandi. Nam illud admonitione non indiget, Optima res est agricolare, rectè dici: Optima res est agricolãdi, dici non rectè: quia illud resoluitur, Agricolare est optima res: hoc resolui sic nõ potest, Agricolãdi est res optima, nisi fortè dure & asperè, sic: Ipsa res agricolandi est optima. Quarè illum nõ probauerim, qui dixit: Non est mihi opus respondendi, cùm esset dicendum, respondere, ut sit suppositum, Me respondere: Opus uerò, appositum. Item, Habeo à patre mandatum conueniendi te, Latinè dicitur. Mandatum est mihi à patre conueniendi te, Latinè non dicitur: quia Mandatum hîc uerbum est, undè non potest regi huiusmodi gerundium: illic nomen substantiuum, undè regitur gerundij genitiuus: nisi in utraq; oratione expositione utaris. In prima quidẽ, ut sic intelligas, Habeo à patre mandatum conuenire te, scilicet hoc ipsum, conuenire te. In secunda uerò, ut Mandatum sit nomen, non uerbum, aut participium: quasi Mandatũ adest mihi à patre. Ad quam tergiuersationem confugere nõ poterit quispiam in talibus exemplis: Habeo in tabulis publicis à patre mandatum cõueniendi te: hîc non poteris dicere, Conuenire te. Item, est mihi iniunctũ ac mandatum conuenire te: ubi dicere non poteris, Conueniendi te. Cicero tamen ad uxorem nouo quodam modo locutus est, Cùm in animo haberem nauigandi, pro eo quod est, nauigare. ut in libro primo de Diuinatione: Haberemq; in animo nauem conscendere. Itaque subintelligitur Propositum, siue Voluntas, sicut in illo fit apud eundem: Cùm illius diei mihi uenit in mentem. Et alibi: Non minùs ei uenit in mentem potestatis, quàm æquitatis tuæ. ubi quidam uolunt accipi genitiuum pro nominatiuo. Mihi potiùs placet subintelligi Conditio, Status, Qualitas illius diei, tuæ potestatis, tuæ æquitatis, aut aliquid simile.

simile. Ita hîc Propositum siue Voluntatem, ut sit, Cùm haberem in animo propositum nauigãdi. Venio nunc ad accusatiuum gerundij. Dicimus itaq; Induxi te ad nauigandum, non autem, nauigare: nisi more Græcorum, qui quum careant gerundio, funguntur infinitiuo cum articulo, rarò sine eo: licèt nũc quidam frequentissimè utantur, ut: Non ueni soluere legem, sed adimplere. Pleriq; eruditorum dixissent: Non ueni ad soluendum legem, sed ad implendũ: quos nunc Ipse imitor, imitandos q; omnibus arbitror. Quam enim caussam habes, ut alienam linguam secteris, relinquas tuam? Quanquàm ne illam quidem sequaris, quum careas articulis, quibus Græci utuntur. Et quod illi habẽt τὸ δεῖν, tu mâlis dicere, Quia, aut Quoniam, quam Quòd, ut in eodem: Putatis, quia ueni soluere legem, quum esset dicendum Quòd. sed ad rem. Vocaui te ad currendum, nõ, currere: sto ad prædandum, non, prædari: sedeo ad audiendum, non, audire: uado ad uenandum, non, uenari. Rursus, Iussi te arare, nõ, ad arandum: cogito insidiari, non, ad insidiandum: timeo ædificare, non, ad ædificãdum. Quædam uerba cũ utroq; conueniunt: Hortor te studere, &, ad studendum: flagitor respondere, &, ad respondendum: paratus sum scribere, &, ad scribendum: ego aptus sum pugnare, &, ad pugnandum: ille est idoneus militare, &, ad militãdum. Quæ omnia rara sunt. Nam pleraq; huiusmodi accusatiuum postulant, ut Bonus, Vtilis, Commodus, Malus, Inutilis, Incommodus ad militandum.

Substantiuo gerundium genitiui.) Est & nonnunquàm infinitiuo post substantiuum locus. Cic. in Verr. 4. Potestas erat isti homini integro atq; innocẽti data, in Apronium cùm animaduertisset, sese grauissima leua re infamia. Sallust. Quibus in ocio uel magnificè uel molliter

molliter uiuere copia erat. Liuius lib. 10. dec. 3. Tempus esse aut pacem componi, aut bellum nouiter geri.

De Fore, Affore, Defore, Abfore, Consore, Profore. Cap. XXVI.

FOre uocem quidẽ habet infinitiui, ut Esse, significationẽ uerò ferè participij, quod est Futurũ, una cum infinitiuo Esse. Idem est enim Fore, quod Futurum esse, non tantùm Esse, licèt Forem fores foret idem sit, quod Essem esses esset. Quarè cum nomine iungi debet Fore, non cum participio, ne duo participia simul confundamus. Spero te amatorẽ, uel amicum fore: non autem, amaturum fore, sed tantùm amaturum: ne uideare hoc dicere, te futurum amaturum, quod ratio non patitur, quum Futurum superuacuũ sit. Item de participio passiuo futuri: Timeo te uerberandum fore: satis erat, Verberandum, uel, adiuncto infinitiuo, uerberandum esse. Participia autem præsentis temporis, & præteriti, uidentur minùs communionis habere cum Fore, quod ad futurum spectat, quàm participia futuri temporis: tamen plus habent communionis. Ibi enim ideo non cõuenit, quia superuacua significatio est: quod hîc non fit eô quòd sæpè cũ istis coniunctum illud Fore reperimus: sed ita transeunt in nomen: alioquin non congruant diuersorum temporum eodem in loco participia, ut: Spero te sapientem fore, credo me amantem tui fore, non te: seruat enim naturam nominis, non participij. Opinor te acceptum illis fore, non, ab illis. Cic. Spero amicitiam nostram notam posteritati fore: nõ dixit, à posteritate. Quòd si quando reperiatur retinere naturam uerbi, quid mirum? quum etiã, nomen ne sit, an participium, dubitari possit, & putari potiùs nomen, ut: Ego sum

dilectus ab omnibus, & Ego ero dilectus ab omnibus. Non enim hoc est participium præsentis temporis, aut futuri, nec tempus perfectum indicatiui, nec futurum subiunctiui, tamen cũ præsenti iungitur, & futuro. Propter quod debet potius nomen uideri, sicut & participium futuri passiuum in nomen conuertitur, tuncq; recipit Fore, ut Spero hunc puerũ admirandũ uirum fore, id est, admirabilem. Composita autẽ à Fore nullam controuersiam habẽt, quia ferè nuda ponuntur sine nomine & participio. Affore, ut Verg. Affore cernetis. Statius tamen libro primo Thebaidos uidetur accipere pro significatione præsentis:

Sensit manifesto numine ductos
Affore, quos nexis ambagibus augur Apollo
Portendi generos uultu fallente ferarum
Ediderat.

Defore, ut Marcus Tullius contra Rullum: Verùm arbitrantur non defore, qui illam restituerent. Abfore, quod minùs in usu est: undè dicuntur Abfuturi. Confore, & Profore apud Comicos. Profore, ut Horatius: Quæ nocuêre, sequar: fugiam, quæ profore credam, id est, profutura esse.

ALEX. AB ALEX. Non cum participio.) Liuius tamen dec. 2. lib. 8. Fore participio futuro iunxit: Et acturum se, inquiẽs, per populum fore. Et 7. de bell. Maced. Sub pellibus habendos milites fore. Sic & Cicero (ut hoc loco annotauit Theodericus) usurpauit pro Milone: In his (inquit) singulis ita semper existimabitis, uiuo P. Clodio nihil horum uos uisuros fore.

De gerundijs. Cap. XXVII.

GErundia, licèt à participijs differant, tamen propriè inter participia numerari possunt, (sicut supina inter uerba) meritoq; participialia uocata sunt. Nam & casus & genera in utroque numero habent, ex quo uerba non sunt, sed participia siue participialia. Regunt præterea casum more uerborum participiorumq; ex quo nomina non sunt. Post se inquam regunt, non ante se. Nam eiusmodi locutio, qualis est: In conuertendo dominus captiuitatẽ Sion, facti sumus sicut consolati: inaudita & planè latina non est. Græci enim hoc loco infinitiuum habent, quod uult ante se accusatiuum. Quod multis modis transferri poterat, uel sic: Dum conuerteret dominus captiuitatem Sion. Vel sic: Conuertẽte domino captiuitatem Sion, & alijs (ut dixi) multis modis. Quidam imperiti aiunt casum pro casu poni, quasi latinè diceretur, si esset dominum, quale est illud: In deficiendo ex me spiritum meum. Et alibi: In conueniendo populos in unum, & rẽges, ut seruiant domino: quum (ut ostendi) gerundium non habeat ante se casum. Sed ad propositum. Differunt gerundia à participijs, quòd ipsa significant rei administrationem sine tempore, illa uerò tempus sine rei administratione: ut, Tenet me occupatio iuris dicundi, gerundium est, nec tempus significo futurum, sed rei administrationem, hoc est, in iure dicundo. Rursus, Tenet me cura dotis numerandæ, id est, quæ numeranda est. Participiũ est futuri significatiuum sine administratione rei. Nescio an dicendũ sit gerundium esse participium præsentis temporis more Græcorum: cuius rei hoc argumentũ est, q̃ idem est In legẽdo, & In ipso legere. quod Græci melius ἐν τῷ ἀναγινώσκειν, & In libris legẽdis, idẽ est, quod Cùm libri leguntur, penè eodẽ modo, quo de futuro, In legendis libris, uidelicet qui legendi sunt. Nolunt autem grammatici gerũdium rectum habere casum,

Subiungit quædam exempla, Græca figura decipiente (ut in alijs multis) interpretẽ: uerum manu scriptum non habebat.

sed quatuor tantùm obliquos. At casu recto non caret apud Lucretium atq; Vergilium, Voluenda dies en attulit ultrò. Voluenda, non tempus futurum intelligit, sed rei administrationem, dies uidelicet, quæ uoluitur, non quæ uoluenda est, aut quæ uoluetur. Vndè indicatur, gerundium esse participium præsentis temporis. Iusiurãdum etiam uideri potest eiusdem casus, atq; etiã uocatiui. Seq de quatuor obliquis nunc dicere ramus: quo in loco breuissimè stultorũ quorundã opinionẽ reprehẽdamus, qui aiunt rectè dici, Caussa essendi rex, essendi rẽgis, essendi rẽgẽ, quũ nusq; Essendi reperiatur, & si reperiretur, non regeret casum, sicut Manendi, Viuẽdi, Existẽdi. Et de genitiuo iam exẽplum subiecimus: Occupatio iuris dicũdi. De dativo tale est: Da operã rebus agẽdis. De accusatiuo ut, Ad accusandos hoĩes duci præmio, proximũ latrocinio est. De ablatiuo, Tu delectaris criminibus inferendis. Cum accusatiuo ferè semper iungimus præpositionẽ, præter quædã pauca, quæ sunt Loco, Conduco, Mando, Curo, Habeo pro debeo, & si qua sunt alia. Vt faciendam sepulturam locarent, id est, alteri darent faciendam, uel, Ipsi locarent se ad faciendum: utrũq; enim significat. nec participium est, sed gerundium illud Faciendam. quod exemplum sumptum est ex Sulpitio. Cicero de diuinatione libro secundo: Magis numine deorum id factum est, quàm casu, ut arbitraris: & redemptorum, qui columnam illam de Cotta Torquato conduxerant faciendam: quasi locarant, & conduxerant ad faciendum. Suetonius autem in uita Cæsaris, Gladiatores (inquit) notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, ui rapiendos, reseruandosq; mandabat. Curauit iaciendos lapides, sæpè

sæpè legimus: sed ita ferè, ut alius curet, alius iaciat. Vt Cicero 7. Verrinarum, Recenti negocio ad te literas misit, mittẽdasq; curauit. Interdum idem qui curat, & qui agit: ut Plinius posterior, Petis ut libellos meos, quos studiosissimè comparasti, recognoscendos, emendãdosq; curem. Et iterum: Continẽdos cauea nido'ue curabis. Quintilianus in Mathematico: Positus in ea cõditione tristissimæ sortis, ut nec morte dignus sim, nisi me paricidã putetis: nec præmio, ni si innocentem: adeoq; ludibrijs miseræ sim diuersitatis uel necessitatis implicitus, ut impetrandum à uobis habeam odij mei fauorẽ. Plinius idem ad Pompeium Saturninum: Præsertim quum emendũ haberemus, ut, quod parentibus datur & orbis, probaretur. Suetonius in uita Cæsaris, Vt consolandos eos magis imperator, quàm puniendos habuerit. Hunc modum loquendi apud Ciceronem reperisse non memini me. In his exemplis ubiq; gerundium est. Illa autem participia in nomen transeuntia, Putaui ad te scribendum, Existimaui hanc rem tractandam, Censui tibi illud significandum, id est, dignum scribi, tractari, significari: * quæ oratio idem ualet, quod Scripsi, tractaui, significaui sed non sine deliberatione tamen, nec inconsultò. Dicebant autem antiquiores, Rogatum te uelim, Oratos uos uelim, pro eo, quod est, rogo, uel oro. Sicut posteriores, * quorum exemplo Quintilianus dicebat, Venio petiturus, Venio oraturus, pro eo, quod est, uenio petitum, & uenio oratum. Sed hoc ad supini magis rationẽ pertinet. Illud autem, quod Seruius ait gerundium esse, participium est potiùs, aut nomen, cùm inquit, Similiter etiam accusatiuo casu utimur, cùm uolumus absolutam facere elocutionem, &

Decla. 4. in princi.

Ali. Quæ omnino idẽ ualent

Ali. quorũ est Quint.

per gerundij modum aliquid dicere, ut, Petendum mihi est equum, codicem, uinũ. Hinc Verg. Pacemq; ab rêge petẽdum. Nam si dixeris, Petendus est codex, iam non per gerundij modum, sed participialiter loqueris. Hoc nõ aliter participiũ est, seu nomen, quàm illud, Petendum est mihi iumentum: præsertim quòd gerundia non regunt passiuè, sed actiuè, & nominatiuis carere creduntur, & accusatiuis præpositionẽ anteponi uolunt, sicut antè ostendi. Vt accusatiuus, ita & ablatiuus amat secum præpositionem, ut: In defendẽdo maior labor est, quàm in accusando. Indagemus (si possumus) cum quot præpositionibus accusatiuus gerundij iungitur, cum quot item ablatiuus. Accusatiuus iungitur frequenter cum Ad, rarò tamẽ cum In. Item frequenter cũ Ob, Propter, & Inter, rarò cum Ante, ut: Vado ad capiendum hostem, & in capiendum hostem. Ego ueni ob te, uel propter te redimendum. Inter nauigandum, pro In nauigando, sæpè legimus. Vergil.

Et inter agendum
Occursare capro, cornu ferit ille, caueto. Idem:
Nanq; ante domandũ Ingentes tollent animos. Totidem ferè præpositiones ablatiuo gerundij seruiunt. In, frequenter: cæteræ rariùs, De, Ex, uel E, A, uel Ab, & Cum. In: ut In nauigãdo. De: ut, De êdendo, de migrando. Quintilia. Sed quia latiùs fusus est hic locus, mixtusq; cũ elocutione, tractabitur cùm præcipere de aptè dicendo cœperimus. Etiam cum motu, ut Cicero ad Atticum lib. 8. Tu quid cogites de transeundo in Epirum, scire sanè uelim. Ex, uel E: ut, Ex defendendo, quàm ex accusando uberior gloria comparatur. A, uel Ab, Cicero: Ex quo exardescit

descit siue amor, siue amicitia (utrunque enim dictum est ab amando.) Alibi quoque, In quo etiam nos isti iurisconsulti impediunt, à dicendoq; deterrent. Et alibi, Non distinguit à non dolendo uoluptatẽ. Plinius posterior, Sermonibus dies transigebat, cũ à scribendo uacaret. Cũ, ut Quintilianus: Sed ratio rectè scribendi iuncta cũ eloquendo est. Variantur porrò gerũdia per oẽs, quos enumerauimus, casus, numerosq;, & genera. Nam (ut ego sentio) hæc omnia habent in genitiuo: ut, Delectatio fruendi principatus. fruendæ prouinciæ, fruendi imperij: Molestia educandorum filiorum, locandarum filiarum, colẽdorum prædiorum: regitq; hic genitiuus aliquando accusatiuum casum. Cic. Equidem efferor studio patres uestros, quos colui & dilexi, uidendi. Nam durum fuerat futurum, Studio uidendorum patrum uestrorum. Et quoties oportet loqui per relatiuum, necesse est loqui per hoc gerundium, ut: Hic dies attulit initium dicendi quæ uellem: non autem, dicendorum eorum quæ uellem. Illud Titi Liuij lib. 21. nisi scriptura uiciosa est, certè uicio non caret: Non enim uereor, ne quis hoc me uestri adhortandi caussa magnificè loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse. Adhortandi enim singularis numeri est: Vestri uerò pluralis. Item Cicero libro secundo de diuinatione: Doleo tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse. Plautus in Captiui duo: Nominandi tibi istorũ erit magis quàm edundi copia. In datiuo: Vaco agro colendo, uineæ pastinandæ, nemori succidendo. In plurali una uox est trium generum, ut: Vaco agris, uineis, nemoribus procurandis, qui casus regimen non habet. Absurdũ sit nanq; dicere, Do operã colẽdo agrũ, uel

Ex lib. 5. secũdi bel li Pun. uerba sunt Scipionis.

legendo librũ. Soluẽdo nõ sum, nunq̃ patitur secũ substãtiuum. Ideoq; dubitari potest, an datiuus sit, an ablatiuus. Significat aũt satisfãcere pro eo, quo obligatus sum, siue pecunia, siue remuneratione. Vt Quintil. Placeamus licèt nobis fortuna nostra pater, pauperi soluendo nõ sumus. Vult aũt semp post se datiũ, licèt nõ semp apponatur. Interdũ etiã aliũ casum, ut apud eundem: Maximi tum uirorũ, & quibus artis suæ solu endo non sit humanitas. In accusatiuo, ut, Eo ad salutandum fratrem, ad salutãdam sororem, ad salutandum sydus, ad salutandos fratres, ad salutandas sorores, ad salutanda sydera. Quod elegantiùs dicitur, quàm cum regimine, ut: Eo ad salutandum fratres, ad salutandum sorores, ad salutãdum sydera. Per alias quoq; præpositiones similiter: sed Inter rarò habet cum gerundio substantiuum, rariùs regimen. Vt Liuius lib. 2. Et ipse inter sholiandum corpus hostis uetuto percussus. Et iterum: Inter accipiendas de suis commodis rogationes. De Ante nullũ tale in præsentiarum exemplum occurrit. In ablatiuo sine præpositione, ut: Fit iniuria fundi domino, uel defringẽdo ramo, uel ligno incidẽdo: res eunt ordine lite æstimanda, id est, cùm defringitur ramus, cùm inciditur lignũ, cùm lis æstimatur: uel, defringendo ramum, incidendo lignum, æstimando litem. Sed frequentiùs usi sunt ueteres ablatiuo plurali in tali genere sermonis, ut Cicero: Orationem autem latinam profectò legendis nostris efficies pleniorem: id est, legendo nostra. Nam in singulari solebãt sæpiùs apponere præpositionem, ut, In committendo prælio. Regit autem hic ablatiuus sine præpositione casum, ut, Hos accusando, illos occidendo, totam ciuitatem labefactasti. Cum præpositione

sitione In, tum regit, ut, In tribuendo suum cuiq;: tum uariat genera, ut, In colendo agro, in pastinanda uinea, in nemore excidendo. Per De, simili modo etiam regit, ut Cicero in Tusculanis: His præsertim cognitis, quæ de nihil sentiendo paulò antè dicta sunt. Nisi dicimus, Nihil esse aduerbium, non nomen. Et uariatur per genera, ut, De accusatore constituendo, de collocanda filia, de prædio emendo. Per Ex, uel E, & A uel Ab, nescio an liceat dare tali gerũdio regimẽ. nullum enim exemplum occurrit. Variari autem per genera certum est. Cato, Ex cataplasmatis bibendis, ax aluo leuanda. Et abstineas ab offendenda republica. Sed cauendũ ne id uerbum significet motum: quale esset, Reuertor ab arando, uel, ab arando aruo: Redeo à spectãdo, uel, à spectãdis ludis: quum sit dicendum, Reuertor ab aratione, uel, ab aratione arui: Redeo à spectaculo, uel, à spectaculis ludorum. Per Cum, uix locum habet talis oratio, ut non participium sit potiùs quàm gerundium: ut, Sedeo cum uiro coronando, id est, qui coronabitur, non autem qui coronatur. Posset etiam habere regimen, sed nullum exemplum ad manum est. Atq; omnia gerundia, cùm sociata sunt substantiuis, passiuè accipiuntur: disiuncta uerò, actiuè, nõnunquàm passiuè, utiq; sine genere & sine præpositione in casu ablatiuo, & quasi absoluiè, ut apud Verg. Alitur uicium, crescitq; tegẽdo. Et alibi: Aegrescitq; medendo. Et iterum: Vritq; uidendo Fœmina, hoc est, cùm tegitur uiciũ, cùm curatur æger, cùm uidetur fœmina. Neq; id modò apud poëtas, uerùm apud Oratores quoq;, ut apud Mar. Fabium: Sed memoria excolendo, sicut alia omnia, augetur. excolendo, dum excolitur, non autem dum exco- Li. II. cã. 2

lit. Nec regit casum, quale foret, Vrit fœmina uidendo à maribus: sicut dicimus, Vruntur uiri & equi uidendo fœminas. Accusatiuus quoq; cum præpositione nõ tantùm actiuè accipi solet, ut, Tu es idoneus ad discendum: sed etiam passiuè, ut, Hæc res est facilis ad discẽdum. Sallustius in Iugurthino: Pauca supra repetam, quô ad cognoscẽdum omnia illustria magis, magisq; in aperto sint. Quidam uerò non indoctus hac ætate scribere ausus est, Iamiam urbs in periculo capiendi est, pro eo quod est, Vrbs iam in periculo est, ne capiatur: siue, Hostis parùm abest à capienda urbe: quum semper sine substantiuo gerundium accipiatur actiuè, aut, si à neutro uenit, neutraliter: nisi aliquando, ut ostendimus, in ablatiuo.

Et in libris legendis idem est.) Linacer hunc locum corruptum esse, & sic corrigendum existimat, Et in legendis libris, uidelicet qui leguntur: quum aliter nihil probet de præsentis significatione, siue rei administratione. Quæ autem de gerundijs, siue participio præsenti, doctè & copiosè Linacer scripsit, uide apud eum lib. 1. de emen. or. ser.

THOM. LINAC.

In periculo capiendi.) Hæc duobus ex Iustino locis oppugnat Mãcinellus: quasi uerò de Iustini usu loquetur Valla, & nõ celeberrimis se scriptoribꝰ addixisset.

FRANC. FLOR.

Ideo dubitari potest.) Hanc dubitationem submouet Liuius, qui datiuo iunxit belli Macedo. lib. 1. Cùm & priuati (inquiens) equum postularẽt, nec tamen solũedo ære alieno Respub. esset. Sic & alia in do gerũdia cum datiuo leguntur. Ouid. Cùm dedit huic ætas uires, onerique ferendo est. Liuius: Quæ restinguendo igni forent.

THEOD.

De supino in tum. Cap. XXVIII.

DE supinis ita ait Priscianus in compendiario quodam opusculo: Sed hoc interest inter Amandum, quod est gerundium, & Amatum, quod est supinum: quòd Amandum necessitatem amoris significat, Amatum autem imitationem ad amorem. Dignum obseruatione præceptum elegantiæ, si modò uerum, quod minimè est, tum authoritate, tum ratione. Nam authoritatis loco exemplum nullum posuit. Et quod nam quæso ponere poterat? Quid interest, Vado Venatum, & Vado ad uenandum: Vado piscatum, & Vado ad piscãdum: Dormitũ, & ad dormiendum? Sallustius: Legatos ad Iugurtham de iniurijs questum misit. Et iterum: Non mea culpa ad uos sæpè oratum mitto P. C. scilicet necessariò, non imitatione. Præterea pro ratione hoc sit, quòd Græci pro his duobus nostris transferentes utuntur uno suo infinitiuo cum articulo, τοῦ τὸ παραινεῖν: quod nos uicissim transferentes, nũc per gerundiũ, nũc per supinũ interpretamur. Si quid aũt inter hæc duo interest, id erit, q̃ supinũ nunquàm ferè est sine uerbo significãte motum ad locum, ut Eo, ut Venio. Nam illa, Do filiam nuptum, Do uenum siue uenundo ædes, Spectatũ admisi fuimus, latentem in sè motum obtinent. Idem Priscianus in alio grãdi opere, & multi cum ingenij, tum laboris, inquit, Frequenter tamen antiquissimi neutro participio futuri addebant Esse, & infinitiuum futuri significabant, ut Oraturum esse, pro Oratum ire: Facturum esse, pro Factũ ire: Nupturum esse, pro Nuptum ire. Quod mihi minimè uidetur. Nam, ut concedam, quod meritò denegare possum, ut latinè aut certè usitatè dicamus, pro eo quod est, Cupio filiam meam nuptum ire, & Nos factum ire: Cupio filiam meam nupturũ esse, & Nos facturum esse: quum dicendum sit, Nupturam esse, & Facturos esse. Dico aliud esse Oratum ire, & Oraturum esse. Ego quidem cœnaturus sum, non tamen eo cœnatum, uel

Id est, ad consolandum.

Vide Gel. lib. 1. ca. 7

uel ad cœnandum. Et scio te cœnaturum esse, sed non protinus ire cœnatum, uel ad cœnandum. Nam participium futuri cum uerbo substantiuo non habet actionem illam & motum, quem habet uerbum Eo. Atqui in possessiuo fuerat uerisimilius, si dixisset, quo etiam frequẽter utũtur authores, idẽ esse, Damnãdũ esse, & Damnatũ iri. Nam eodẽ loco dicere possumus, Credo peccatũ meum rescisendum esse, & Rescitum iri. Item Intelligo, Scio, Video, Opinor, Existimo peccatum meum patefaciendum esse, uel, patefactum iri, & cætera uerba huiusmodi. Illa aũt, quæ ad futurũ respiciunt, ut Timeo, Metuo, Vereor, Spero, Cupio, non idem faciunt: quibus maior differentia est cum passiuo participio futuri, ut, Vereor peccatum meum patefactum iri, magis quàm, Patefaciẽdum esse. Cupio culpam meam celatum iri, potius quàm, Celandam esse. Item, Timeo peccatum meum patefactum iri. Et pro illo modo per passiuum participiũ futuri substituimus hunc: Timeo peccatum meum ne patefiat, uel, Vt patefiat. quod fieri nequit in alijs uerbis. Non enim licet dicere, Scio peccatum, ut rescisatur: sed, rescitum iri, uel rescisendum esse. Denique (ut eò reuertar, undè egressus sum, & semel Prisciano respõdeam, nõ idem esse Oratum ire, & Oraturum esse) alterum præsentis temporis est, ut, Video te accusatum ire me, id est, nũc: alterum futuri, ut, Video te accusaturum esse me: & tamen, Accusatum iri me abs te uideo, accipitur pro eo quod est, Video te uel accusatum ire me, uel accusaturum esse me, uel abs te accusandum esse me.

De supino in tu. Cap. XXIX.

IDem author, & in eodem, quo supra dixi, opusculo, ita ait: Hoc interest inter Amãdo & Amatu, quòd

quòd Amando est in ipso amore, Amatu uerò pro amatione uel pro amare, id est, pro ipsa re accipitur. Et hoc manifestat ipsa etiam interpretatio Græca. Sed an hæc differẽtia uera sit, & hoc ex Græco argumentum quantum momenti habeat, Priscianus uiderit. Mea autem sentẽtia cum ex superioribus, quæ dixi in gerundio, tum ex sequentibus apparebit. Paulò pòst subiungit: Accipitur Venatum pro Adu enationem, quomodò Venatu pro Venatione: sicut Miserabile uisu, pro Visione. Et: Nec uisu facilis, nec dictu effabilis ulli, pro Visione & Dictione. Multis igitur modis, sicut & in alijs docuimus locis, nomina sunt hæc accipienda magis, quàm uerba. In hoc ego à Prisciano liberè dissentio, uel ratione, quam posteà dicam, uel authoritate, & potissimùm Marci Fabij, quem omnibus sine controuersia ingenijs antepono, qui ait, Dictu factuq; aliud esse, quàm Dicto factoq;, quæ Priscianus appellat Dictione & factione: quæ alius in significãdo figuræ sunt, quàm Visione & Venatione. Præterea Quintilianus uocat uerba participialia, sicut à multis gerundia dicuntur participialia nomina. Et (quod ad rationẽ pertinet) supina hæc per uerbum potiùs à Græcis transferũtur, quàm per nomen. Quòd si nomina forent casus ablatiui, certè alij casus non deessent. At nemo unquàm auditum habet, hic Dictus, hic Factus. sed tantùm Dictu & Factu. Propter quod necesse est aliud esse quàm Dicto & Facto, siue Dictione & Factione, id est, aliud quàm nomen. At Visu, Auditu, Cognitu, inquies, omneis casus habent, & bi ablatiui sunt. Hæc parùm prudentis, aut certè parùm perspicacis est ratio, de qua antequàm dicam, libet castigare uulgus imperitum

Li. 1. ca. 8

tum grammaticæ professorum, qui uniuersum sanè orbem stulto errore peruertunt, sic semper loquentes, Eo lectum, Venio lectu, Pergo auditum, Reuertor auditu. Qui error undè profectus, & quo ex fonte imperitiæ emanauerit, nescio: summoq; opere hallucinationem publicam admiror, quòd tandiu à nemine animaduersus est. Nunc ostendamus quæ differentia sit inter Visu & Auditu nomina, & inter Visu & Auditu uerba. Quãdo sunt nomina, significãt sensus corporis: coniunguntur cum adiectiuis, regunt casus: reguntur etiam à uerbo & participio, subseruiẽte quoq; præpositione: ut, Careo toto uisu oculorum, antea priuatus auditu aurium, nõnihil etiam ex odoratu. Hæc omnia absunt à supino. Siquidem non rem, nõ substantiam, non qualitatem, sed actionem seu potiùs passionem uerbi significant. Non iungũtur cum adiectiuo, non regunt casum, non regũtur, nec à uerbo, nec à participio, sed à nomine tantùm, eodẽq; adiectiuo, nũquam interueniente præpositione: ut, Miserabilis uisu, id est, cùm uidetur: non autem, Miserabilis sensu uidendi. Facilis uisu, id est, ut uideatur, uel facilis ad uidendum, non autem quòd habeat uisum facilem. Effabilis dictu, id est, ut dicatur, non autem ut dicat. Optimum factu, id est, ut fiat, non autem ut faciat. Difficile factu, quia difficile ad faciendum est. Incredibile memoratu, cùm memoratur, non memoratione. Dignus auditu, quod est audiri dignum, non ut sensu audiendi potiatur. Impossibile creditu, ut credatur, non ut credat. Accipenser piscis rarus inuentu, ut inueniatur scilicet, non ut inueniat. Res iocunda cognitu, ut uidelicet cognoscatur. Absurdum relatu, cùm refertur. Obscœnum aspectu, cùm aspicitur, & si qua sunt alia. At

At, Homo superbus dicto & dictis, non dictu. Sæuus facto & factis, non factu, id est, cùm dicit, non cùm dicitur: cùm facit, non cùm fit. Res uerò sæua factu & dictu, id est, cùm fit aut dicitur, non quia facit, aut dicit. Scipio clarus administratione bellorũ dicitur, & administratu bellorũ, quando est ablatiuus, id est, administratione. Cato dignus administratione reipublicæ, & administratu, eodem modo. At respublica digna est administratu, uerbũ est, id est, ut administretur, nisi addendo genitiuum facias nomen, administratu Catonis. Quarè in illo Vergiliano, quod Priscianus attulit:

Nec uisu facilis, nec dictu effabilis ulli,

quandoquidem abest genitiuus, non est nomen, ut illele uule, pro uisione, & dictione: sed uerbũ, pro eo quod est, ad uidendum uel audiendum. Nec ignoro à multis legi Affabilis, non Effabilis, quod putatur sumptum ex illo uersu Accij in Philoctete, Quem neq; tueri contrà, neq; affari queas. Quod si ita est, nomen esse confitebimur, sed tamen nequaq; supinum. Multi scripserunt de cultu agrorum, nomen est, id est, de cultione & cultura agrorum. Locus autem saxosus non est dignus cultu, nempe ut colatur, uel dignus coli. Homo dignus amatu, Puer dignus doctu, Liber dignus lectu, id est, qui ametur, doceatur, legatur. Ideoq;, quũ ex omnibus uerbis passiuis liceat uti talibus supinis, rarò tamen eisdem uocibus utimur loco nominũ. Quis enim dicat: Tu es priuatus amatu meo: Exclusus à doctu meo: Doctus sine lectu meo. profectò nemo. Ex quo apparet, quum in usu uulgatissimo sint pro uerbis, ut, Ille liber est dignus lectu, nõ posse inter nõa numerari. Ea tamẽ, quæ ambiguũ

Vide Macrob. li. 6. cap. 1.

usum

usum habent uerbi & nominis, animaduertendum est, utram in partem accipi debeant: ut, Tu es dignus gubernatu, si pro gubernatione, nomẽ erit: si pro eo quod est, ut guberneris, uel dignus gubernari, uerbum. Sed nomini accommodare solemus aut etiam debemus genitiuum: uerbo nec debemus, nec solemus. Deniq; ex duobus supinis alterũ actiuo uerbo dare possis, alterum passiuo, ut Amatum sit ab Amo, Amatu ab Amor.

De participio præteriti temporis significante actionem, & de præsenti, passionem. Cap. XXX.

PArticipia quædã in uoce passiua actionem, quædam in actiua passionem significant. Circunspectus, Consideratus, Disertus, Cautus, Tutus, Ignotus, Argutus, Falsus, Contentus, Tacitus, Profusus, Fluxus, Scitus, &, quo nonnulli utuntur, Discretus. Circunspectus est non qui circũspicitur, quem solemus appellare conspicuum, sed qui circunspicit, & in omnem partem more Iani spectat, hoc est, prudens & sagax. Consideratus, inconsideratusq;, qui agẽdo considerat, aut secùs, nõ qui consideratur, aut qui non consideratur. Disertus, qui probè disserit, non qui disseritur. Cautus, qui scit sibi cauere, non cui cauetur. Nonnunquàm tamen res, cui cauetur: ut pro Cecinna Cicero: Quô res muliert esset cautior. Tutus portus, tuta urbs, quòd tueatur alios, non quòd ab aliis defendatur. Tamen sæpè passiuè in hominibus, ut, Tutus sum ab hostibus, quòd munitus & sine periculo
Decla. 6 sum. Ignotus etiam sæpè actiuè, ut Quintilianus: Neq; quis tamen erret ignotus, nõ est filij mei nouerca, sed mater. Ignotus dixit, pro ignorans, & pro hospite & alieno

alieno, non pro ignorato. Argutus, qui est acuta quædam & accurata solertia, quasi acutè arguens & uestigans, non autem ab altero acutè intellectus & uestigatus. Falsus, qui fallit, ut Terẽtius: Censẽ me In And.
uerbum potuisse ullum proloqui, aut ullam causam, ineptam saltèm, falsam, iniquam? Aliquãdo etiã passiuè, ut idem: Carine falsus es, id est, deceptus es. Et Sallustius: Nec ea res me falsum habuit. Contentus, qui continet quod animo satisfacit, non qui cõtinetur. Tacitus homo, taciturnus, qui tacet, non qui tacetur. Vergilius tamen posuit passiuè,

Quis te magne Cato tacitum, aut te Cosse relinquat?

Profusus & Fluxus actiuè apud Sallustium: Alienu appetens, sui profusus: quasi profusor. Nam diuitiarum & formæ gloria, fluxa & fragilis habetur. Scitus, qui sciens est, & argutus. undè scitæ Platonis interrogationes dicuntur, astutæ, & uafræ, ac cum magna arte compositæ, ut apud Terẽtium quoq;, Scitum hercle hominem: hic homines prorsus ex stultis In Eunu.
insanos facit. Nisi accipere uelimus passiuè, ut apud eundem: Scitus puer natus Pamphilo est: quasi scitè, & doctè natus. Discretus, qui qualitates personarũ, & rerũ momenta discernit, nõ qui discernitur. Complacitus autem ab actiua uoce, sicut Fluxus uenit, habetq; significationẽ nec actiuam planè, nec passiuam, sicut Fluxus & Inueteratus, quod & ipsum ab actiua uoce descendit Inueterasco. Neutralis enim uerbi & actiui una uox est, sicut passiui & deponẽtis atq; communis. cui simile est Iuratus à Iuro. Iuratos enim iudices dicimus, qui iurarũt: & Excretos hœdos apud Vergilium ab excresco: & Exoletus ab Exolesco,

Cicero ad Sallu. Aetas tua iã ad ea pati enda, quæ alteri face re collibu isset, exo deuerat.

quod dum est substantiuum, significat scortum masculum, & præcipuè tam adultum: dum est adiectiuum, significat adultum, sed rarò reperitur, ut apud Plautum, Reliquit domi exoletam uirginem. Adultus, ab adulesco. Defectus quoq;, qui deficit, ut Martialis:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Quintilianus: Defectaq; labore senectus, magna pars mortis, nihil mihi reliquit, nisi diligentiam. Et hæc quidem significationis actiuæ in uoce passiua: pauciora sunt passiuæ in actiua. Euidens negocium dicitur, quod uidetur apertè, & intelligitur, non quod uidet & intelligit. Indulgentior facies, apud Quintilianum, pro pulchra, non quæ alijs indulgeat, sed cui alij indulgeant. Idem in alio loco, Fili indulgentißime adolescens uidi te, nec semel uidi. Vndè Statius:

Pulchrior haud ulli triste ad discrimen ituro
Vultus, & egregiæ tanta indulgentia formæ.

Præterea honorificentißimos, magnificentißimos, munificentißimos ludos cùm dicimus, uidemur passionem significare in participio præsentis temporis: ab Honorificens enim Magnificens Munificens ueniunt, licèt Ficens pro Faciens non dicatur, uel certè à Magnificus, Munificus, Honorificus, quæ à Facio componuntur, quod est actiuum, & tamen ita accipiuntur quasi honorificè, munificè, magnificè facti, non autem facientes. Sed causa est, quod hæc ipsa à Facio composita tam actiuè quàm passiuè significant. Siquidem uocamus hominẽ magnificum, & opus magnificum, illum quidẽ magnanimiter faciẽtem, hoc uerò magnanimiter factum.

Indul-

THEOD.

Indulgentior facies.) Accipitur & actiuè pro eo qui indulgeat. Plin. lib. 17. cap. 10. Quoniam nutricem indulgentiorem esse, q̃ matrem, sæpè conuenit. Quintil. Excogitauit indulgentissimus senex, quẽadmodum hic miser patri suo in eadem domo esset.

Participium præsentis temporis pro præterito poni. Cap. XXXI.

SOlent authores nonnunquàm pro præteriti participio substituere illud præsentis: nec solùm Latini, qui carent participio præteriti actiui, sed Græci quoq;, qui non carent. Cicero in Bruto: Cùm è Cilicia discedens Rhodum uenissem. Non enim quis discedens applicat. multùm inter principium uiæ & finem interest. Primùm discedimus: postquàm uerò discessimus, nauigamus, uel iter facimus: posteà quò tendimus, peruenimus. Quomodò ergo dixit? Discedens è Cilia ueni Rhodum: nempe utens præsentis participio loco præteriti, quod deest. Quod probatur per aliquod uerbum, cui non desit huiusmodi participium, quale est Proficiscor. Neque enim dixisset, Cùm è Cilicia proficiscens, sed profectus. Vt idem de officijs libro tertio: Si, exẽpli causa, uir bonus Alexandria profectus, magnum frumenti numerum Rhodum aduexerit. Nec tamen quis in omnibus uerbis permissum esse, quod in Discedendo permittitur, putet: uelut si dicas, Cùm amicos salutans, qui Alexandriæ erant, Rhodum uenissem: dicendum erat, Amicis salutatis. Nam is qui recedit, tandiu recedere dicitur, quandiu tendit ire, dumq; perueniat: quod non idẽ fit in salutando. Si quis tamen hoc sæpius uti uelit, faciat, sed temperatè.

Vide Priscianũ in fine lib. 11

De compendio participij. Cap. XXXII.

HAbet autem participium talem, tantamq; nonnunquàm gratiam, ut sine eo non sit latina plane oratio, ut est apud quẽdam persæpè hoc uicium admittentem, Circundedimus castris fossam, & uallum, ne hostes uenire possint, & nos opprimere: quasi fossa & uallum ideo fiant, aut hoc præstare queant, ne hostes uenire possint. sola ratio est ac cautio de oppressione. Itaq; dicendũ fuit, Ne uenientes hostes, aut, Ne aggressi hostes nos opprimant.

De participijs in ens, in substãtiuum transeuntibus. Cap. XXXIII.

PRæsentis temporis participia solent, cùm substantiuantur, neutri generis esse, ut Accidens, Contingens, Antecedens, Consequens, Decens, Conueniens, Præsens, Continens, apud rhetores pro firmamento rationis. Quædam tamen alterius generis sunt. Masculini, ut Oriens, Occidẽs, Profluens pro flumine, & Confluens, quò duo flumina conueniunt. Fœminini, Continens pro terra, quæ non est insula, ut, A' Sicilia ad continentem parùm incercapedinis est. Plinius Maior libro sexto: Alymnum à proxima continente abest 157. passus. Animans quoq;, ut Cicero: Requirat atq; appetat, ad quas se applicet sui generis animantes. Nonnunquam tamen hoc nomen in neutro genere reperitur, sed magis in plurali. Consonans pro litera non uocali. Prægnans uerò unde sit participium, nescio. Alia quoq; quædam huc pertinentia, in nostris de philosophia libris commodiùs explicantur.

Quòd participium futuri temporis in nomen transit. Cap. XXXIIII.

NEc illud quidem transeundum est, quem adhuc dum participiũ passiuum futuri tẽporis transit in nomen. Amandus, dignus amari. Colendus, dignus coli. ita & actiuum. Seneca de naturalibus quæstionibus: Nullam autem mẽtionem fecit cometarum, non prætermissurus, si quid explorati apud illos comperisset: Prætermissurus dixit, pro eo quod est, talis qui prætermitteret: nec tẽpus innuit, sed hominis qualitatem, atq; animi uoluntatem. Quintilianus in undecimo: Neq; omnino huius rei meminit usquàm poëta ipse, profectò non taciturus de tãta sua gloria. Non alio modo dixit, Non taciturus, quàm per participium passiuum iam conuersum in nomen, ut modò dixi, Tacendum, dignum taceri. sic, Neq; omnino significauit hoc usquàm poëta ipse, profectò rem sibi non tacendam. Et adhuc Plinius Iunior: Itaq; partem oneris tui mihi uindico, & tanquàm pareus alter, puellæ nostræ confero quinquaginta milia numũm: plus collaturus, nisi à uerecũdia tua sola mediocritate munusculi impetrari posse confiderem, ne recusares. Ad Quintilia. lib. 6

De Repetũdis & Repetundarũ, Ca. XXXV.

REpetundarum, & De pecunijs repetundis, non habet alios casus: & dubitari potest, participium ne sit, siue nomen, an gerũdium. Verres accusatus est repetundarum, uel, de pecunijs repetundis: Cùm dico Repetũdarum, subintelligo Pecuniarum. Quo nomine, Pecuniæ, & omnia quibus diuitiæ constant, contineri dicimus. Hæc accusatio ꝓpriè cadit in eos, qui, cùm forẽt magistratus, prouincialibus, aut ui, aut dolo eripuerũt pecunias, aut uasa preciosa, uestem, frumentum, nauigia, munos. Mutatur autẽ e in u. Repetendarum enim erat dicendum. Sed tertia coniugatio

præter cæteras hoc iuris habet, ut literam hanc immutare poßit: ſicut accuſatiuo plurali tertiæ declinationis licet mutare eandem uocalem in i, duntaxat in his nominibus, quorum genitiuus pluralis exit in ium, ut Seruio placet. Nam Priſcianus plura præcepta dat. Salluſtius in initio Catilinarij: Omneis homines, qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris animantibus, ſumma ope niti decet, ne uitam ſilentio tranſigant. Ita hoc, ſiue participium, ſiue nomen, ſiue gerũdium, à tertia coniugatione natũ, mutauit e in u, uel ob hoc ſaltèm ut differret ab illo, quod dicitur, Ad res repetendas: ut, Sunt miſſi legati ad res repetendas: quo ſignificatur, aut principi, aut populo erepta eſſe uel pecorum, uel hominũ, uel locorũ, aut terrarũ agrorumq; corpora.

LIBRI PRIMI FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN SE-cundum librum elegantiarum præfatio.

HActenus de nomine, uerboq;, & ex his duobus compoſito participio: nunc de alijs partibus orationis, quid ſingulæ proprietatis habeãt, diſſeramus: poſteà de earum diſputaturi complexu. De quo priuſquàm ego dicam, non puto mihi diſſimulandum, non deſore, qui meos hos commentarios

mentarios, antequàm legant ſumant'ue in manus, putent reſpuendos: tanquàm aut ea, quæ haudquaquàm uetuſtas ſtatuiſſet digna memoratu, continentes: aut uetuſtatem ipſam, partim negligentiæ, partim imperitiæ condemnantes, quòd præteriſſet quæ eſſent in primis (ut ego ſentio) digna quæ literis mãdarentur: aut potiùs utrunq; facientes, quòd & inepta quædam, minimeq; memoratu digna præcipiam, & ueteres illos perfectos ſanè & conſummatos, exiſtimem minùs commodè præcepiſſe. Ego uerò (ut ad illud primũ reſpondeam) non uideo cur hanc, de qua loquor, materiam ſe indignam exiſtimaſſent, aut C. Cæſar, qui de analogia, aut Meſſala, qui etiam de ſingulis literis uoluminà conſcripſit, aut Varro, qui de Etymologia minutiſſimas tractauit quæſtiones, aut Marcellus, Pompeiusq; linguæ latinæ indagatores, aut Aul. Gellius publicus perè literarum cenſor, qui ut magnum quiddam annotaſſe ſe præter cæteros apud Ciceronẽ exiſtimat, Explicauerunt, pro Explicuerunt, &, Eſſe in hoſtium poteſtatem, pro Poteſtate, quæ ipſe indigna ducerẽ opere meo: aut Macrobius Gellij æmulus, qui omnes libros uidetur excuſſiſſe, ut aliquid in latina lingua, quod auribus hominũ dignum eſſet, pro ſua uirili parte conferret in medium: aut tres illi tanquàm triumuiri, de quorum principatu inter eruditos quæritur, Donatus, Seruius, Priſcianus. quibus ego tantum tribuo, ut poſt eos quicunq; aliquid de latinitate ſcripſerũt, balbutire uideãtur. quorũ primus eſt Iſidorus indoctorum arrogantiſſimus, qui quum nihil ſciat, omnia præcipit. Poſt hunc Papias, alijq; indoctiores, Eberardus, Huguitio, Catholicon, Aymo, & cæteri, indigni qui nominẽtur, magna mercede

docentes nihil scire, aut stultiorem reddentes discipulum quàm acceperint. Multos transeo cum indoctos, quos numero comprehendere nõ licet: tum doctos, inter quos sunt Pædianus & Victorinus: quorũ alter ad orationes, alter ad rhetoricos Mar. Tul. cõmentaria cõposuit: sed prior ut ætate, ita doctrina longè antecedit. Postremò, nõ uideo cur aliquis de Grãmatica ac lingua latina cõponens, hæc suo officio minora existimet, qbus nihil sanè est in grãmatica & latinitate præstantius, ut proximus liber potuit esse documẽto. Quod quũ ita sit, dicã ne eos aut imperitia hæc omisisse, aut negligentiã minimè. Sed C. Cæsaris, ac Messalæ libri interciderũt tẽporũ culpa. Varronis uerò de lingua latina dimidiati reperiuntur, in quibus fortasse ea, quæ ego præcipio, continebantur. Cæteri autem fieri potest ut quæ à superioribus tractata non uissent, si bi non attingenda existimarent. Deniq; multi scriptores ad nostram usq; memoriam non peruenerunt. Neq; uerò aliquis hoc loco expectet, ut dicam, non esse contumeliosum prioribus, si quid ad illorum inuenta posteriores adijciãt: nulli unq ab antiquis ad eundẽ cursum conficiendũ uiam fuisse præclusam: nihil usquequaq; perfectum: nõ omnia posse omnes. Non dicam id, quod Priscianus ait, artis grammaticæ uetustissimos quosq; authores maximè errasse, recentissimos uerò & ingenio & diligẽtia longè præstitisse. Id dicam, quod uerè possum dicere, me non tam mea uoluntate (quæ ardentissima erat) ad hoc opus descendisse, quàm prudẽtissimorum atq; amantissimorum consilio, cum aliorum, tum præcipuè Aurispæ & Leonardi Aretini: quorum alter Græcè legendo, alter latinè scribendo ingenium excitauit meum: ille præceptoris

Pædiani laus.

In præfatione.

ptoris (uni enim mihi legebat) hic emendatoris, uterq; parentis apud me locum obtinens. Ad quos cùm sæpe ratim de proposito animi mei retulissem, degustationemq; quandam operis demõstrassem: uterq; pro se, ut pergerẽ, hortatus est, & ut se authore êderem, iussit: ut tam integrum mihi non esset, illorum authoritati repugnare, si repugnare uoluissem: sed currentem (ut dicitur) incitarũt. O uiros omni laude dignissimos, O de literis ac de literatis optimè meritos. nõ uereamini, ne alij eò, quò peruenistis (licèt perquàm arduum sit) perueniant: sed hortamini, incenditis, & quasi de alto manũ scandenti porrigitis. Quarè quærentibus atq; mirãtibus audaciam meam, ita respondsum uelim, me summis uiris suadẽtibus hoc opus & cõdidisse, & edidisse: quanquàm (quod ad cupiditatem meam attinet) quæ tandẽ socordia atq; ignauia mea extitisset, si commisissem, ut alius hanc laudem mihi qualemcunq; præriperet? Sunt enim qui nõnulla horum, quæ à me præcipiũtur, uel de me, uel de auditoribus meis audita (nũ quàm enim ista suppresit) in opera sua retulerint, festinantq; êdere, ut ipsi priores inuenisse uideantur. Sed res ipsa deprehendet, cuius domini uerè sit hæc possessio. Quorum unius libellos quosdam pro amicitia cùm legendos eo præsente cepissem, deprehendi quædam mea, & quæ me amisisse nesciebam, furto mihi sublata cognoui. Parco illius nomini. Erat autem locus de Per & Quàm in compositione, de qua re proximo libro disputaui: & de Quisq; cùm adiungitur superlatiuo. Negligenter ille quidẽ & insciter tractatus, ut scires aliunde decerptum, non ex se prolatum: & auditum, non excogitatum esse. Conturbatus tamen sum, & inquam homini, Hanc ego elegantiam agnosco, &

Raudensi hæc narratur fabula

mancipium meum asſero, teq; plagiaria lege conuenire poſſum. At ille erubeſcens, ioco tamen atq; urbanitate eluſit, quòd diceret, uti rebus amicorum licere, ut ſuis. At iſtud inquam abuti eſt, non uti. Nihil enim mihi reliqui fit, ubi in huius rei, in qua ipſe laboraut, palmam ſemel occupaueris. Tum ille etiam urbaniùs, quòd malus parens eſſem, qui filios quos genuiſſem et educaſſem, è contubernio eijcerem, ipſe tum miſericordia, tum amicitia noſtra ad ſe domũ ſuam colligeret, atq; educaret pro ſuis: deſtiti in illum ſtomachari, intelligens, multò magis mihi bona mea negligẽti, quàm illi bona ab alijs neglecta colligenti, uicio dandũ eſſe. Quarè quis non uidet, non inhoneſtum eſſe, ea me mandare literis ex me inuenta, quæ alij ne furto quidem ſublata, turpe ſibi ducunt, ſcriptis ſuis inſerere? Adductus ſum igitur ad hoc opus componendum, non modò magnorum hominum cõſilio, ſed etiam neceſsitate. Nunc ad inceptum redeundum eſt.

De tribus pronominibus, Mei, Tui, Sui. Cap. I.

MVltis in locis Priſcianus teſtatur, nihil intereſſe, an utamur primitiuo, an deriuatiuo, in illis pronominibus Mei, Tui, & Sui. Quid eſt, inquit, Meus filius, niſi Mei filius? & alibi, Mei ager eſt, &, Mei agri inſtrumentum, &, Mei agro dedit, &, Mei agrum colo: ſimiliter, Mei agri, & Mei agrorum, &, Mei agros, dicimus. Similiter, Tui agrũ, &, Tui agros: Sui agrũ, &, Sui agros: Noſtri agrum, &, Noſtri agros: Veſtri agrum, et, Veſtri agros. Et alibi: Amat ille ſuũ filiũ, et, Amat ſui filiũ: Benedicit ſuo filio, &, Benedicit ſui filio: Petit à me, ut proſim ſuo filio, &, Proſim ſui filio: & alijs

Lib. 1. de conſtru.

alijs adhuc locis, niſi hac ratione (ut ipſius utar uerbis). Si ipſa tamen poſſeßio in poſſeſſorẽ faciat tranſitionẽ, nõ eſt congruũ uti genitiuo primitiui pro poſſeſſiuo: quia uum habet compoſiti græci: ut, Ciceroni redit ſuus filius, nõ ſatis cõmodè pro hoc dicitur, Ciceroni redit ſui filius, nec Ciceronem laudat ſui filius, pro Suus filius, & ſimilia. Quia nec apud Græcos benè dicitur κικέρωνα φιλᾶ ἑαυτῆ υἱός, niſi more Attico pro ſimplici accipiatur. In quo Priſcianũ falli, uel ex hoc argumentũ eſt, q; nulla (ut ferè ſolet) authorũ exempla attulit, & de cõtrario illorũ uſu reticuit. Ego autẽ (quoniã de his triũ pronominũ genitiuis inter me et Priſcianũ quæſtio eſt) aliquanto altiùs repetã de natura genitiui, & de uſu doctiſsimorũ authorũ diſputabo. Et, licèt nõ pauca in hãc rem mihi dicẽda ſint, non proſequar tamẽ paruula & minuta quædã, & tot uerbis, quot ille fecit: ſed quæ eruditiſsimis euadere uolentibus ſint gratiſsima: quæ quum ignota fuerint Priſciano, declarant, eum non ſatis ſtylo oratorio fuiſſe exercitatum. Genitiuus omnis (ut taceam, ſi qui ſint alij modi) aut actiuè, aut paßiuè accipitur. Adde etiã poſſeßiuè, quod penè pro actiuè accipio. Actiuè, ut, Prouidetia dei, Bonitas dei. Paßiuè, ut, Timor dei, Cultus dei. Ibi deus prouidet et benignè agit, non ipſe prouidetur, & benignè fit. Hîc timetur & colitur, nõ timet nec colit. Poſſeßiuè, ut, Sẽdes dei, Regnũ dei. Atq; in huiuſmodi oratiõe, ut intellectus apertus atq; unus eſt, ita in illis ambiguus & anceps, Amor dei, Charitas patris, Suſpicio uxoris: dubiũ eſt de utro loquaris, an de amore, quẽ deus in nos habet, an de eo quẽ nos in deũ: de charitate patris in filios, an filiorũ in patrẽ: de ſuſpiciõe maritali, an de ſuſpiciõe uxoria.

Taceo

Taceo, quòd aliquando ambo hi genitiui eidem orationi adsunt, ut in Catone maiore Cic. Quid de Publij Licinij Crassi & pontificij & iuris ciuilis studio loquar? Crassus studet, quod est actiuè: Ius (ut sic dicam) studetur, quod est passiuè. Iterum de offic. lib. primo, Quarè L. Syllæ & C. Cæsaris pecuniarum translatio a iustis dominis ad alienos, non debet liberalis uideri. Tria igitur pronomina, de quibus agimus, sola omnium binos genitiuos sortita sunt: unos, Mei, Tui: alteros, qui iam exoleuerũt, Mis, Tis, Sis: in quorum penè locum successerunt deriuatiua Meus, Tuus, Suus. Horum binorum genitiuorum antiquitati placuit, alteros actiuè significare, alteros passiuè. Nam illa, Mis, Tis, Sis (ut coniecturâ ducor) actiuè, siue possessiuè significabant, ut hæc ipsa, Meus, Tuus, Suus: undè pronomina possessiua uocitantur. Ennius lib. 2. Ingens cura mis concordibus æquiparare. Plaut. in Pœnulo: Da diem hunc sospitem rebus mis agundis. Quamuis idem in Milite, & iterum in Mercatore, Tis pro Tui uideri possit accipere: tamen hîc cum Ennio Mis posuit pro Meis, non pro Mei. Quod non licere fieri, authoritatem ex authoribus repetamus, nec accipi unquàm Mei, Tui, Sui, nisi passiuè. M. Fabius, Et (quod inter ista difficilimum fuit, amore mei uicit etiam matrem suam. Cice. Quòd desideriũ tui ferre nõ posset, & me tui pudet. Vergil. in 6.

Quiq; sui memores alios fecêre merendo.

In And. Terẽtius, Hoc unũ scio, hãc meritam esse, ut memor esses sui. Non significatur hîc amor meus, quem in alterum habeo, sed (ut sic dicam) quem de me alter habet, & quo amor. Item, non desiderium tuum, sed alterius

rius de te: & pudor non tuus, sed de te: & memoria non sua, sed de se. Similiter in plurali duntaxat duorum. Nam Sui nõ uariat uocem genitiui pluralis, ac ne singularis quidem, ut Prisciano placet. Sis enim nõ reperitur, ut Mis, Tis. Ideoq; opinor & hæc duo illius exemplo pariter intercidisse, quum præsertim in uicem eorum succedant deriuatiua. Habent itaque hæc duo pronomina in plurali Nostrûm, & Vestrũ, quæ respondent ad illa, Mis, Tis: & item Nostri, & Vestri, quæ respondent ad illa, Mei, Tui, ut, Nemo nostrûm, Nemo uestrûm: non autem, Nemo nostri, Nemo uestri. Rursus, Habete curam nostri, sicut habemus curam uestri: non autem, Habete curam nostrũ, sicut habemus curã uestrûm. Si quis exempla desiderat sibi, facilè repêrire poterit. In diuersa opinione Seruius grãmaticus est, qui ait: Nostri autẽ & Vestri genitiuus pluralis est antiquus, & ex Græco descẽdens, sicut singularis est Mis, & Tis. Et hoc est, undè dicimus, Nostri causa fecit, hoc est, nostrum. Forsitan Aulum Gellium (ut postea apparebit) est secutus. Sed hos, & Priscianum cum alijs in errorem (ut auguror) induxit, quòd interdum inueniunt hæc nõ ad aliam referri personã, sed reciproca esse: ut, Ego omnia facio amore mei, Tu istud feci gratia tui. Vergilius:

Oblitus'ue sui est Ithacus discrimine tanto. Aeneid. 3

Sed non fuit causa cur errarent. Nam ita in his passio est, ut in illis. Nec alio modo aliquid ego facio amore mei ipsius, quàm tu amore mei. Vt enim diligor abs te, ita diligor à me: ut est apud Ouidianum Narcissum, Vror amore mei: &, Tu sicut ab altero, ita & à te ipso diligeris, &, Sibi quisque amicus est, ut alteri.

ri. Est alia præterea caussa cur errarent, quòd uiderent hæc (quæ nos distinximus per actiuè & passiuè) in multis indifferenter poni, ut: Caussa mea, & caussa mei. Fama mea, & mei. Imago mea, & mei. Potestas mea, et mei. Vsus utilitasq; mea, et mei. Memoria mea & mei. Interdũ etiã ipsa deriuatiua pronomina passiuè accipi, ut apud Terentium, Vt facilè scires, desiderio id fieri tuo: uidelicet, quo tu desideraris, non quo desideras. Quale est, Accusatio mea, &, Crimen meum: cùm accusor criminis, quasi accusatio mei, & crimẽ mei. Sed nõ satis solertis fuit, tam facilè falli. Nã hoc ultimum, ubi passiuè positum est pronomen deriuatiuum (quod quidem rarum est) non magis contra me facit, quàm contra ueteres omnes, qui hæc pronomina possessiua uocauerũt, id est, possessionem significãtia, quod nunc non faciunt: quod (ut dixi) rarum est. Ideoq; non passim hoc reperias. Non enim dicas pro eodem, Dolorem tuum, &, Dolorem tui, ut dixit Terentius Desiderium tuum, pro tui: quod scilicet ipse non dicerem. Verùm, quandoquidem non infinita sunt hæc omnia, quæ natura quadam ab usu aliorum recedunt: non grauabor de nonnullis sigillatim dicere, dum non grauentur audientes legẽtesq; hæc audire uel legere. Dicã tamen breuiter: & res digna scitu in primis, in qua uidemus maximos etiã esse hallucinatos. Primũ est: Caussa mea uenisti, & caussa mei. Caussa mea accipitur possessiuè, eo modo, quo, Via mea uenisti, Pecunia mea feci sti sumptum. Iter meo sumptu feci sti. Caussa mei uerò passiuè, eo modo, quo Beneuolentia mei: modus tamen prior est usitatior. Quid autẽ de hoc Seruius idem sentiat, posteà uidero. Fama mea, & Fama mei, eiusdem rationis est: & Mea fama frequentiùs

In Heaut.

dicimus. Imago mea, scilicet, quæ mea est, ut Statura mea, & Forma mea. Imago mei, nempe quæ de me est. Sed prior modus est usitatior. Hæc, quæ sequuntur, in utranque partem frequentiora, ut alterum tamen alterius sensus sit. Memoria mea, actiuè, quòd ego recordor: Memoria mei, passiuè, quòd alij de me recordantur, uel mentionem habent. Sæpè etiam possessiuè eo modo, quo Fama mea. Dolor meus, quem ipse patior: Dolor mei, quem alius de me patitur, uel forsitan ego ipse, simq; dolens meam uicem, sicut dicimus: Misereor mei. Copia mea, possessiuè, quam ego possideo: Copia mei, passiuè, qua ego possideor, ut: Faciam omnibus copiam mei, non meam. Meretrix facit omnibus copiam sui, non suam. Potestas mea, quam habeo: Potestas mei, qua habeor. Nec pulchrè dicas alterum pro altero, ut: Tu uides potestatẽ meam quanta est, non mei. Habes potestatem mei, non meam: nisi aliud significet, pro eo quod est, habes eandem similem'ue potestatem, ut apud Ciceronem: Bello Marsico Qu. Octauius omnibus faciebat sui conueniendi potestatem. Vtilitas mea, aliud est, quàm utilitas mei. Ibi possideo: hìc possideor. Quintilianus: Sed ut patriæ aliquid præstaret utilitas mei, id est, de me. Declam. 4

Nam fieri potest, ut in eadem re non sit utilitas sua alicui, cum utilitate sui. Quidam legunt Vtilitas mea. Idem: Quid nunc agam? aut quem ultrà esse usum mei, dijs repugnantibus, credam? usus, inquam, est non meus, sed ex me aliorum. Adhuc idem: Præsens & quidem protinus illa redditur merces, quòd omnibus, quibus insedère, odorem meliis inspirant, & breui contactu uim sui relinquunt. Vim sui, non suam, sed ex se. Quomodò tu captus amore mulieris, Decla. 13

malles

malles habere copiam sui, quàm suam. Fastidium meum, quo ego alios fastidio. Fastidium mei, quo ego ab alijs fastidior: ut Idem, Seu mulier omnibus exposita mortalibus * uarietatem fastidio mei despectuq; captauit. Hæc sunt, & his similia, non tamen plurima, quæ ancipitem naturam habent: cætera uerò minimè. Non enim sic dicimus: Pulchritudo mei, Fortitudo tui, Longitudo sui, ut Imago sui: non Prudẽtia, non Ingenium, non Sapientia, non Probitas, non Virtus, non innumera alia. Quòd si tam parua res eos mouit: debuit ed; uersò illud magis mouere, quòd quædam, quæ & ipsa non multa sunt, habent ancipitem significationem: sed quam nemo, nisi cæcus, non discernat, ut Pars, Dimidium, Medium, Membrum, Quid, Aliquid, Multum, & si qua alia. Quis enim non uideat, cùm dico, Hæc est pars mea: nõ de corporis mei parte intelligi, sed de hæreditatis? Et iterum: Hæc est pars mei: non de hæreditate, sed de corpore? Manus pars mei est, non mea. Fundus pars est mea, non mei. Dimidium tui maius est, quàm dimidiũ sui: profectò de corpore intelligo: Dimidium tuũ maius est, quàm dimidium suum: de præda, aut de cibo, aut de successione, alijsq; similibus intelligendum. Medium tui tangam, nõ medium tuum. E medio mei prodijt, non è medio meo, ut, Auferam iniquitatem de medio tui Israël. Membrum, cùm pro parte accipitur, eandem rationem sequitur: ut, Hic puer membrum mei est, quasi pars mei. Sin pro membro aliquo, & in suo significatu: ita accipitur, ut caput, ut manus, ut pes. Hic puer mẽbrum meũ est, quasi sit caput & manus. Hic digitus membrum meum est, non mei. Item, Quid mei tetigisti? Quid tui uidi? Aliquid tui uirgo perdes, si uenerit tum

Decla. 14. Aliâs uanitatem.

tum cum adolescentulis prodibis, non aliquid tuum: nì si dicamus Tui à neutrali genere, ut Cicero de Oratore libro tertio, Ex quo uereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis imitatus, id est, de tuo, non de te. Vlysse, si quid tui Polyphemus præhẽdet, omne deuorabit. Mei nihil attigit. Quicquid enim attigisset mei statim conteriuisset. Multùm mei ille auferre potest, sed plus tui: plus inquam de te, quàm de me, nõ de tuo, & de meo. Itẽ, Quicquid Melibœi diripuisti, aliquid meum fuit, non mei. Nunc redeo ad Seruium, qui ait, Tui caussa feci, & Tua caussa feci, discretionẽ hanc habent, ut Tui caussa tunc dicamus, si aliquid ipsi, ad quem loquimur, præstiterimus: utputa, Tui caussa te defendi. Vergilius in duodecimo:

Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Coniugis & mœstæ lachrymis, uincla oĩa rupi.

Tua uerò caussa, cùm alteri aliquid alterius contemplatione præstamus, ut: Tua caussa manciptum tuum defendi. Si Seruius tãtùm de hoc uocabulo Caussa loquitur, & nõ in uniuersum de omnibus huiusmodi: non rectè attulit exemplum alterius uocabuli, præsertim nonnihil natura differentis. Sin uerò de omnibus: non potest una lex dari diuersis, ut supra ostendimus. Si tamen lex est, & non potiùs contra legem omnium ueterum. Nam (ut ego dicebam) Caussa sæpiùs cũ pronomine deriuatiuo copulatur, atq; hoc quidem indifferenter, siue aliena sit caussa, siue tua. ueluti, si quis dicat, Epicurus uult omnia cuiq; agenda esse caussa sua, mihi mea, tibi tua, illi sua, nobis nostra, uobis uestra: nõ mihi tua, aut sua, nec tibi mea, nec illi uestra, nec nobis sua, nec uobis nostra: hîc nihil opus est admiscere primitiuum. Sed, ne sine exemplo loquar (quod ipse

fecit) uno ero contẽtus, sumpto ex Quintiliano: Meâ depugnasti caussa, tua peristi. Atq; hoc, quod Seruius præcepit nobis, ipse constanter usus est, neminem tamẽ secutus: quale est illud in septimo Aeneid. Non ſpe salutis, sed mei caussa. Et in octauo: Hæc signa mei caussa fiant. Et in nono: Vult enim intelligi sui caussa matrem secutam. Verùm quid mirũ de Seruio, quum Aulus Gellius, & quidem antiquior, non modò nullum exitum in hac quæstione potest reperire, sed etiam non optimè sentit. Ita enim inquit, Cur igitur Terentius: Pœnitet nostri, & nõ Nostrûm & Afranius. Nostri miseritus est, nõ Nostrûm? Nihil herclè mihi de ista re uenit in mentem, nisi authoritas quædam uetustatis, non nimis anxiè, neq; superstitiosè loquentis. Paulò pòst: Sed proculdubiò, qui recti ſsimè loqui uolet, Vestrûm potiùs dixerit, quam Vestri. Et idcircò importunissimè fecerũt. qui in pleriſq; Salluſtij exemplaribus scripturam istam syncerissimam corruperũt. Nam quum ita in Catilinario scriptũ esset: Sæpè maiores uestrûm miserti plebis Romanæ: Vestrûm aboleuerunt, & Vestri scripserunt. Ex quo in plureis libros merdæ istius indoles inoleuit. Tu Aule Gelli de genitiuo Nostri loqueris, nõ de nominatiuo Nostri pluralis numeri. Vtrũ rectius sit, ad exemplum Salluſtij (ut mihi & cæteris placet) in nominatiuo casu, nihil ad rem facit, neq; ad exemplum Terentij. Et qui (ut tu uis) Salluſtij scripturã corruperunt, non in genitiuum mutauerunt sonũ illum, sed in nominatiuũ: per quẽ casum nõ audeas tu dicere corruptè nos loqui: imò (quantum ego sentio) incorrnptiùs. Est enim una eademq; uox Nostri, ab eo quod est Ego genitiui casus; & nominatiui, ab eo, quod

Lib. 20. ca. 5.

In Phor.

quod est Noster. Neque uerò ego repugno Aulo Gellio, dicenti, mutatam scripturam esse à Nostrum in Nostri, nominatiuum tamen, non genitiuum. Nam neq; aliquis rectè in genitiuum mutasset, neq; ratione mutasset. Quin potiùs fateor: & hòc libentiùs, q; unicum illud exẽplum, quod ipse ex Plauto protulit, fortasse mendosum est, dicente:

Duorum labori ego hominum parsissem lubens.
Mei te rogandi, & tui respondendi mihi.

Ait aũt Aulus Gel. Mei enim hoc loco Plautus non ab eo dixit, quod est Meus: sed ab eo, quod est Ego. Itaq; si dicere uelis, Patrẽ mei pro Patrẽ meũ (quo Græci modo τὸν πατέρα μοῦ dicunt) inusitatè quidẽ, sed rectè ꝓfectò, eaq; rtione dices, qua Plautus dixit, Labori mei, pro Labori meo. Nolo equidẽ tam cõfidenter (ut facit Gell.) scripturã mendosam dicere & affirmare, quod inexploratũ habetur. Taceo aũt q; damnat fortasse immeritos, qui nec corruperunt scripturã, & melius sic dici putauerunt. Quæro, cur uerisimilius sit, aliquos scripturã illã mutasse Salluſtij, in qua nihil absurdi erat, quàm hunc Plauti, qui contra grammaticorum lẽges, qualis est Seruius, & Priscianus, & Donatus, qui hunc poẽtam in schola lectitabant, facere uidebanturẽ si ita diceretur, Duorum ego labori hominum parsissem lubens, meo te rogandi, & tuo mihi respondendi. Nulla nanque grammaticæ ratio uidetur posse hoc tueri. Quin potiùs, dum per indiuidua exponimus sigillatim, quod dixeramus per uniuersum, eodem casu utamur, sic, Duobus hominibus laborem detraxi: necesse est ut dicamus, Mihi scilicet & tibi, non autem Meum & Tuum. Tamen (ut ego sentio) in genitiuo permissum

Plaut. in Pseu.

missum est, ut, Affert hic accusationem duorum hominum, mei & tui, siue meam & tuam: quale hoc loco sit: sed dicendum potiùs per pronomina deriuatiua, quia possessio siue actio significatur, non passio. Quod ego mutatum esse nolo dicere ab ipso Aulo Gellio: sed à grammaticæ professoribus, quorum nihil est supercilio superbius, nihilq; improbius, & ad emendandos libros, uel corrumpendos potiùs, magis audax. Præterea à Plautus licentia uerborum potest dici usus, in qua fuit planè nemo liberior. Postremò, quid habet momenti, ex uno authore, & eo poëta, afferre unum exemplum in tanto numero omnis generis authorum, qui adeò refugerunt dare actiuam significationem his quinq; genitiuis primitiuorum, ut eos mutauerint in alteram uocem, genitiuis aliarum dictionum, cum quibus coniuncti erant natura repugnante, minimè mutatis: ut Cicero in Gabinium & Pisonem: Dico mea unius opera rẽpublicam esse liberatã. Idem ad Atticum: Solius enim meum peccatum corrigi non potest. Idem pro Murena: Ex tuo ipsius animo coniecturam ceperis. Non dixit, ac ne dicere quidem potuisset, Mei unius opera, Mei solius peccatũ, Tui ipsius animus. Et in plurali Quintilianus: Deinde cùm satis uires eorum explorauerint, suæ ipsorum fiduciæ permittunt: nõ dixit, Sui ipsorũ fiduciæ. Quod multis? quum etiam apud recentiores (de Christianis loquor) hoc sit obseruatissimum, ut in Psalmo centesimo quadragesimo primo & sexagesimo tertio, secundùm Hebraicam ueritatẽ, quorum alter ita incipit: Domine clamaui ad te, festina mihi, exaudi uocem meam clamantis ad te. Alter sic: Audi Deus uocem loquentis, à timore inimici serua uitam meam. Et in septua-

septuagesimo, secundùm aliam è Græco translationem, Domine memorabor iusticiæ tuæ solius. Est autem Solius non fœminini generis, sed masculini, ut ex Græco apparet, referturq; ad Dominum, non ad iusticiam. Item libro Regum tertio: Sustulit filium meum de látere meò ancillæ tuæ dormiẽtis. Et in Euangelio Lucæ: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Nec desunt quidã imperitè docti, qui conantur illud exponere, Tuam ipsius animam, aliud esse quàm Tui: si Tui dicere liceret homines ignaros nõ solùm theologiæ, sed etiam literarum. Interrogent Græcos, & reperient penès eos, unde nos sumpsimus, Tui esse, non Tuam, quum illi non habeant in his tribus pronominibus quam nos elegantiam. Ideoq; apud eos est Pater noster rũ uel nostri, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuũ. Adueniat regnum tui. Fiat uoluntas tui, sicut in cœlo & in terra. Panem nostri uel nostrûm, da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostri uel nostrûm, sicut & nos dimittimus debitoribus nostri uel nostrûm. Quæ nos, ne barbarè loquerẽmur, mutauimus in pronomina deriuatiua. Ex quo apparet, non modò illud Aulí Gellij, Maiores nostri, per genitiuum contra grammaticam, uerumetiam illud Maiores nostrûm contra usum esse, potiusq; in tali genere utendum esse deriuatiuo Nostri, quàm primitiuo Nostrûm, licèt hac ratione non uteremur: nec usquam contrarium exemplum reperire contigit, nisi in epistola quadã Ciceronis ad Curionem sic dicentis: Eam autem unius tui studio me assequi posse confido. Quod & sic defendi posset, Studio, pro gratia & fauore, uel amore aliorũ erga te, ut apud Horatium ad Vinnium: Ne studio nostri pecces. tamẽ malim dicere

3. Reg. 3.

Famil. li. 2. epist. 16.

Epist. 13. lib. 1.

cere, id factum esse uicio librariorum. Ac ne semper culpam reijciam in librarios falsò, dabo argumẽtum, cur & priùs, & nunc meritò in illos impetum faciam. In proxima statim epistola legitur bis, tyranno P. Lentulo, pro eo quod est, Tribuno plebis: & in præcedẽte libro ad Lentulũ, qui est illius operis primus, bis etiam idem uicium est in secunda, & undecima epistola. Et cùm omnia, ut reor (maximam enim partem uidi) exemplaria, quæ in Italia sunt, mẽdosa & depraua hoc uicio essent, nullus tamen tantum uicium animaduerterat. Itaque, sicut nunc illud emendamus, ita hoc quoq; emendare, & in pristinam synceritatem restituere audeamus sic: Eam rem tuo unius studio me assequi posse confido. Nec alia caussa factum est, ut

In And. Terentius dixerit: Saluus sum meo præsidio, atque hospitis, non Præsidio mei, atq; hospitis. Quem imitari Petrarcha si sciuisset, nõ titulum operi suo indidisset, De sui & aliorum ignorantia. sed, De sua. Aliud nanq; est ignorantia sui, aliud ignorantia sua. Si tamen sensit de ignorantia, quam de se habuit, rectè dixit. Et uulgò dicimus, Scio tuas diuitias, qui te pauperem quereris, non Tui diuitias. Aspice liberos meos, qui dicor orbus, non, Mei liberos. Cernant sua prædia, qui mihi unum fundum inuident, non, Sui prædia. Vbi non modò genus dissimile est antecedenti & relatiuo, sed etiã numerus. Quanquàm (quod ualidissimum est) ingens differentia significationis est inter primitiua pronomina, & deriuatiua. Sed ista omnia fieri cogit, quòd non licet primitiuis genitiuis dare significationem actiuã. Cuius rei & illud maximũ argumentũ, & apertissimũ est, quod subijciam, nulli adhuc grãmaticorum intellectum: quòd dicimus Mea, Tua

Tua, Sua, Nostra, & Vestra interest & rêfert: nõ autem, Mei, Tui, Sui, Nostri, & Vestri. Est autẽ illud Mea, Tua, non ex parte antè (ut quidam uolunt) sed ex parte post, nõ aliter, q̃ cùm dicimus, Hoc interest illius: quasi, hoc est officiũ illius. Ita, Hoc interest mei, si liceret Mei aliter accipere, q̃ possessiuè. Nunc dicimus Mea in uoce possessiua: sed ita tamen, ut sit primitiuum & substãtiuum, & non adiectiuum. Deniq; ita, ac si diceremus Mis regi ex parte post, atq; ideo hoc uerbũ habere aute se nominatiuũ, sicut Sum, es, est: sed in neutro genere quis dubitat, quum omnia plena sint exemplorũ? Cicero pro Plancio: Si quid meaminùs interest, id te fortè magis delectat. Et pro eodem: Non solùm quid cuiq; debeam, sed quid cuiusq; interfit. Et pro Sylla: Vestra enim, qui cum summa elegentia & integritate uixistis, hoc maximè interest. Et pro lêge Manilia: Illud primũ parui rêfert. Vbi etiã dicere possemus, Id mea parui rêfert. Sed hoc nihil ad præsens tempus. Hæc omnia resoluuntur in uerbum substantiuũ, hoc modo: Si quid minùs meũ est, Quid cuiusq; est, Vestrum est hoc maximè. Illud parui momenti est, ut appareat nõ differre naturã uerbi substantiui, & horum duorum imperfonalium uerborum: nisi quòd illud naturaliter post se nominatiuum postulat, hoc genitiuum, sed actionis siue possessionis more uerbi substantiui. Sed hoc in cæteris nominibus ac pronominibus nihil dubitationis habet, quorum genitiui actiuè, passiuè, possessiuè, & si quis est alius modus, accipiuntur. Mei autem, Tui, Sui, diuersam naturam habent. Quid igitur faciendum erat? hæc possiuè accipiuntur, non actiua, siue possessiuè. Illa uerba post se uolunt genitiuum

actiuum, siue possessiuum. Danda ergo fuit uox possessiua pro significato primitiui, nõ genitiuus possessiui, qui idem erat, qui est primitiui: sed ablatiuus, qui natura est genitiuo similimus, & in genere fœminino, uel tanquàm trium generum medio, uel suauitatis gratia, ne durum uideretur Meo, Tuo, Suo, Nostro & Vestro. Ideoq; hi ablatiui iungi sibi patiuntur adiectiua illa tanquàm actionẽ possessionẽq; significantia in genitiuo, ut suprà demonstrauimus: sic, Mea solius interest, Tua unius rẽfert, Sua ipsius interest, non, Mei solius, Tui unius, Sui ipsius: nisi in alia loquendi figura, de qua mox subijciam. Vndè naximè palàm fit, nunquàm hos genitiuos sumi, nisi passiuè, ut: Habeo curã mei solius, non Meam solius: Habeo curam tui unius, nõ Tuam unius: Vnusquisq; curam gerit sui ipsius, non Suam ipsius. Cur ita? quia passio hîc significatur, ubi superiùs uel actio, uel possessio. Cuius rei

In Heaut. unum exẽplum suffecerit ex Terentio, Hem tot mei solius soliciti sunt caussa, ut me unum expleãt? Et plura quidem iam fecimus, tres genitiuos, Mei, Tui, Sui, passiuè semper poni: Meus, Tuus, Suus, plerũq; possessiuè. Ideoq;, cùm utendum est illis primitiuorum genitiuis, mutari sonum de i in a. Nunc aliqua addenda sunt de his dictionibus, quæ legitimè cõiunguntur cum huiusmodi pronominum genitiuis: nec enim omnes possunt. Ante omnia nullum substantiuum in consortio suo sustinent: ut, Fili noli domo recedere respectu mei patris. Quod non tam placuisse Prisciano reor, quàm per imprudentiam esse lapsum, cùm dicit: Mei Prisciani eges, Tui Prisciani egeo. Et alibi: Ego Vergilius, Tu Vergilius, Ille Vergilius, Mei Vergilij, Tui Vergilij, Illius Vergilij. Hæc enim oratio declarat

declarat meum Priscianum, Vergilium ue, aut tuum: non me Priscianum, Vergilium ue, aut te: non aliter, quàm si dicas, Eges mei patris, Egeo tui domini. Quod profectò non est primitiuorum, ab eo quod est Ego & Tu: sed deriuatiuorũ, ab eo quod est Meus & Tuus. Neque discrimen facit, quòd hîc appellatiuum nomen est, ibi proprium. Vergilius:

Si qua tui Corydonis habet te cura, uenito.

Et alibi: Aeneæ mihi cura tui. Et iterum: Aeneæq; mei. quæ à Meus, Tuus: non ab Ego, Tu, ueniunt. Itaq; sic emendemus Priscianum: qui cùm de linguæ Latinæ componit, antiquitatem omnem corrigens, nomen suũ Latinè proloqui nescisse. Mei, qui sum Priscianus, eges: Tui egeo, qui Priscianus es: uel, Me Prisciano eges: Te Prisciano egeo: uel, Tui, uel te-Prisciano egeo. Nam illud Apostoli ad Corinthios: Salutatio mea manu Pauli, è Græco est sumptũ, ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου. Tertium uerò exemplum, quod idem protulit, Illius Prisciani eget, rectè dicitur. Non habent enim cætera pronomina accipitem naturam, ut illa tria, de quibus diximus. adeoq; uerum est, hos ipsos genitiuos respuere consortiũ substantiui, ut ne in possessiuorum quidem forma illud pati uelint. Vidimus licere dicere, Meam unius operam, Tuum solius studiũ: non tamẽ dicemus, Meum Laurẽtij studium, Suum Prisciani prædium: sed, Meum studium, qui sum Laurentius: Prædium suum, qui est Prisciamus. Neque tamen ob id excludo, si genitiuos hos passiuè accipiamus eo modo, quo exemplum ponemus. Nam (ut superiùs docui) aliquando duos genitiuos, alterum actiuè, alterum passiuè positum, uidemus unà iungi: ut, Quid de P. Licinij Crassi & põtificij

& iuris ciuilis studio loquar: ita fit in pronomine, ut idem author ad Atticum: Mihi fuit & laudis nostræ gratulatio tua tucũda, & timoris cõsolatio grata. Et iterum: Vehementerq; tua fui memoria delectatus. Quòd si igitur hæc pronomina, siue in genitiuo passiuè, siue mutata in uocẽ possessiuorum actiuè, non admittunt genitiuos substantiuorum: nunquid admittunt omnium adiectiuorum? Non opinor: sed propriè solorum participiorum, participialiumq; gerundiuorum, & frequẽtissimè illorũ trium (ut quidam uolunt) pronominũ, Vnius, Solius, Ipsius, & si qua alia, quæ rara sunt, de quibus mox dicam. Per genitiuum cum participio. Cicero ad Lentulum: Quocunq; tempore mihi potestas præsentis tui fuerit. Per fœmininum, sed cum gerundio. Ouidius Heroidûm,

Copia placandæ sit modò parua tui.

Per uocem mutatam in possessiuum, ut ad Ciceronem Cato: Libenter facio, ut tuam uirtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris, pari industria administrare gaudeam. Cicero de Oratore: L. Crassum quasi colligendi sui caussa se in Tusculanum contulisse. Sed hoc gerundium est, & ea exempla, quæ supra attuli, quorum unum fuit: Sustulit de latere meo ancillæ tuæ dormientis: ad quod pronomen mâlo referri illud Dormientis, quod est actiuum, quàm illud Ancillæ, quod est substantiuum: ita ut si abfuisset participium, uix tolerabile fuerit futurum, quale Boëthij:

Solantur mœsti nunc mea fata senis.

Quintilianus etiam solet omittere pronomen. ut: Acceptî, fateor, illum, qui solutus quoque non sequebatur, quem non gaudium redemptionis, non lætitia prælati, non

non hortantis erexit patris amplexus. Et in eodem lib. Rus, seruulos, penates, & omnia utiliora properanti festinatione parẽtis addixi. Omisit Sui, ut esset, Non lætitia sui prælati: & Meus, ut esset, Non meus hortantis amplexus: & iterum Mea, ut esset quoque, Festinatione mea parentis. Poëtæ etiam frequenter. Ouidius Heroidûm,

Denicq; quisquis erat castris iugulatus Achiuis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.

Id est, meum amantis. Idem:

Illa meis oculis species abeuntis inhæret,
Cùm premeret portus classis itura meos.
Ausus es amplecti, collocq; infusus amantis,
Oscula per longas iungere pressa moras.

Id est, tua abeuntis, & meo amantis. Idem in eodem opere, sed inusitatius, Et flesti, & nostros uidisti flentis ocellos: nostros dixit pro meos, & flentis pro flentium. Est enim illud flentis genitiuus singularis, non accusatiuus pluralis, quod accẽtus probat, cũ tales accusatiui habeant ultimã longam, quæ hîc nõ est: Hoc dixi, quia quidam hunc locum exponunt per accusatiuum. Illa diuersitas numerorum, meos siue nostros amantis, uix alij q̃ poëtæ permissa est. Postremò hæc pronomina, siue in primitiuorũ genitiuis, siue in possessiua uoce (ut dixi) maximê gaudẽt illis tribus, unius, solius, ipsius, quorum multa exẽpla iam protuli. Nec ab re fuerit, sicut unius, ita duorum, trium, quatuor posse dici. Item omnium, cuiusq;, plurium, & si qua sunt adhuc: ut uestram duorum, uestrã trium, uel uestram omnium operam desidero, pro uestrùm. Cicero de Oratore lib. 3. Sed uoluntati uestræ omnium parui. Cuiusq; aptius cum pronomine sui, siue suus cõiungitur,

ut

ut uellem nosse, quæ sit sua cuiusq; sententia, non sui cuiusque. Brutus ad Ciceronem: Qui uestris paucorum respondeat laudibus, pro Vestrûm. Verùm iam huic quæstioni finem imponamus.

BVDAEVS. Nemo nostrûm.) Legi apud Ciceronem in oratione de Aruspicum responsis, Cepi equidem fructum maximũ, & ex consurrectione omnium uestrûm, & ex consuentu omnium publicanorum: ubi Laurẽtius omnino, Ex uestra omnium consurrectione, dicendum contenderet: nisi uehementer falsus sum. Et de prouincijs Consularibus: Ac primum illud tẽpus familiaritatis ac consuetudinis, quæ mihi cum illo, quæ fratri meo, quæ C. Varroni consobrino nostro, ab omnium nostrûm adolescentia fuit, prętermitto, Id est, à nostra omnium adolescentia: utroq; enim modo dici potest, Ciceronis authoritate. Et de lêge Agraria, Vectigalia locare nusquã licet, nisi in hac urbe, hoc loco, hac uestrûm frequentia: ubi etiam Vestra dici potuit. Et de reditu suo ad populum, In concione uestrûm. Idem ad Atticũ quodam loco: Papyrius (inquit) Pætus uir bonus amatorq; nostri. Et ad eundem libro undecimo: Furius est illic mihi inimicissimus, qui misit filium non solùm sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei: ubi etiam Meum dicere potuit. Qui hæc & similia animaduerterit, desinet admirari cũ Laurentio illud Terentianũ, Nostri nosmet pœniter. Desinet etiam fortasse illud Tullianum emendanti assentire, ad Curionem sic scribentis: Eam autem unius tui studio me assequi posse cõfido: quum idem in Vatinium ita scripserit, Quid ergo præstantius mihi potuit accidere, quàm omnes hoc ciues meos iudicare, ciuitatis salutẽ cum unius mei salute cõiunctam? Si enim Mea scripsisset, legeretur Mea unius, non Vnius mea.

DOLET. Caussa mea accipitur possessiuè.) Nos contra Laurentium præcipimus, nullam esse differentiã inter Mea caussa, & Caussa mei. Cicer. Famil. 3. Hortensium nostrum collegam & familiarẽ roges uelim, ut si unquàm mea caussa quidquam aut sensit aut fecit &c. Idem Famil. 4. Qui nihil unquàm mea potiùs, quàm ciuium meorum caussa fecerim.

Sanè ut hæc rectè præcipit Doletus, ita ea nõ debuit contra Laurentiũ torquere: quum is cũ Doleto sentiat, ubi

ubi suprà hoc cap. inquit: Est alia prætereà causa cur errarent, cùm uiderent &c.

Meum Laurentij studium.) Inuenitur tamẽ hac forma genitiuus nominis substantiui cum pronomine possessiuo iunctus. Plin. lib. 8. Epist. Incipio ex hoc genere studiorum non solùm oblectationẽ, uerùm & gloriam petere, post iudicium tuũ uiri eruditissimi. Cicero Philip. 2. Tuum hominis simplicis pectus uidimus. In Verrem act. 5. Ne tua quidem recentia proximi prætoris uestigia persequi poterat. THEOD.

De Meme, Tete, Tutu, Sese. Cap. II.

EAdem hæc tria pronomina geminari etiam solent, priora quidem per figuram Meme, Tete: tertium sine figura. Vergilius in nono:

Meme adsum qui feci, in me conuertite ferrum
O Rutuli. *Et in 11.*
Meme duce ferrum Corripite ô Rutuli.

Et in duodecimo: *Verte omnes tete in facies.*

Sed hoc uideri potest esse sine figura. Non enim est ita acre & ardens, ut apud Quintilian. Tete hoc loco mulier interrogo. In nominatiuo planè semper figura tum est, ut Cicero in Antonium, Tutu faces illas incendisti. Sese (ut dixi) nũquàm figuratũ est, ut idem, Hic uiri fortissimi sanguine aspersus sceleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Iouis contulit sese, id est, se.

Tutum.) Non solùm Tutum & Tete, sed & Tute dicimus. Cic. act. 2. in Verrem: Tuam authoritatem tute ipse edicto prouinciali repudiabas. THEOD.

De Nostras, Vestras, & Cuias. Cap. III.

NOstras, Vestras, & Cuias, non tantùm patriam, nationemq; innuunt, sed etiam partes, & quasi sectam, ut: Nostrates philosophi non sunt ita populares

populares & fauorabiles, ut ueſtrates, qui ab Epicurꝛ ſchola prodierunt. Et, Cuiates philoſophi uos eſtis? Stoici ne, an Academici, an Peripatetici, an noſtrates Epicurei? Cicero: Putares ne unquàm accidere poſſe, ut mihi uerba deeſſent, non ſolùm iſta ueſtratia oratoria, ſed hæc etiam leuia noſtratia?

De Iſte & Ille. Cap. IIII.

ISte & Ille (ſi audire Priſcianũ uolumus) hoc differũt, quòd iſte ſpacio propinquiore, Ille autẽ longiore intelligitur. Cuius authoritas plurimos in errorem duxit, qui pro Iſtud, dicunt Illud: ueluti ſi ad hominem lõgè poſitum ſcribas, Si quid noui in illa urbe eſt, mihi notum facias: pro eo quod eſt, in iſta urbe. Quod nõ mediocrẽ peccatũ eſt. Nam de me loquens, dicere debeo. Hoc caput, hæc manus, hæc ciuitas. De te uerò, Iſtud caput, iſta manus, iſta ciuitas. De tertia autem perſona, Illud caput, illa manus, illa ciuitas. Cicero in Antonium: Remoue paulliſper iſtos gladios. Et in eodem libro: Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum uini in Hippiæ nuptijs exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in conſpectu populi Romani uomere poſtridiè. Hoc eſt, Iſtis tuis faucibus, iſtis tuis lateribus, iſta tua firmitate. Vndè naſcuntur aduerbia, Iſtic, Iſtinc, Iſtac, Iſtuc, Iſtorſum, Iſtô. Vt idem ad Valerium Iuriſconſultum, Qui iſtinc ueniunt, aiunt te ſuperbiorem eſſe factum. id eſt, qui ab iſta prouincia, in qua agis, huc in Italiam, Romamq; ueniũt. Aliquando tamen Iſte, accipitur pro Hic: ut idem, & in eundem: Quum iſto tẽpore ſtent cum gladijs armati. Et Quintilianus: Iuuenis iſte, de quo ſumma in rebus humanis monſtra gignuntur. Et iterum: Iuuenis iſte patris

ſui hæres ſolus inuentus eſt Ille. quoque nonnunquàm per dignitatem, aut per eminentiam ponitur, indicans eſſe, quod omnes debeant noſſe, ut: Alexander ille magnus. Ille Cenſorius Cato. Architas ille Tarentinus. οὗτος ἐκεῖνος ὁ δημοσθένης

De Hic, Is, Idem & Adhoc, Cap. V.

HIc & Is, habent potiùs illam, de qua modò memini, Priſciani differentiã, ut Hic ſpacio propinquiore, Is uerò longiore intelligatur. Multis tamen in locis utrunq; locum habet, ut: Qui præſert uirtutem diuitijs, is ſanè fortis eſt, uel, Hic ſanè fortis eſt. uel per compoſitionem, ut: Quæcunq; mulier adultera, eadem uenefica eſt. Et ferè per hæc duo pronomina licet ſic loqui, nec per ulla alia: licèt poëtæ utãtur Ille pro Is: quia amborum eadẽ penè ſignificatio eſt, ut Horatius de arte poëtica:

Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis,
Quo ſit amore parẽs, quo frater amãdus, et hoſpes
Quod ſit conſcripti, quod iudicis officium, quæ
Partes in bellum miſſi ducis: ille profectò
Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuiq;.

Quarè ſanctis uiris è Græco trãsferẽtibus, ſic permittamus dicere, Non qui ſeipſum cõmendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commẽdat. Poſſunt autem hæc eadem duo, de quibus loquor, pronomina, & alio modo uſurpari, ut: Alexander paruis copijs fretus, ſuperauit Darîum cum infinito exercitu, & id in adoleſcentia, uel, hoc in adoleſcentia. Item & hoc modo, Pauca ueſtis, & ea detrita & ſordida: potiùs q̃, Et hæc. Paucis numis ſuperbit, nec ijs ſuis, ſed aliunde corrogatis: potiùs quã, Et his. Idem, quod eſt ab his compoſitum, quaſi pro Etiam poni ſolet, ut Cicero:

Et

Et huic coniuncta est beneficentia, quam eandem uel benignitatem, uel liberalitatem appellare licet, id est, quam etiam. Quintilianus: Si caussam ueneficij dicat adultera, non Mar. Catonis dãnata iudicio uidetur, qui nullam adulteram nõ eandem esse ueneficam dicit. In hoc pronomine Idem, annotaui quiddã dissimile ab Is. Ibi potest addi copulatiua: hîc non potest. Quod tamẽ affirmare nõ ausim, ut, Quancunq; in sedem migrat apium rex, in eam et apes ipsæ comitantur. At si dicam In eandem, tollam copulatiuam, sic: In eandem apes ipsæ comitantur. Nam Idem habet in se uelut uim copulatiuæ. Hoc, compositum cum præpositione Ad, significat præterea, ut apud Sallustiũ: Cognoueram paruis copijs bella gesta cum opulentis regibus: ad hoc sæpè fortunæ uiolentiam tolerasse: facundia Græcos, scientia belli Gallos ante Romanos fuisse.

Hic spacio propinquiore.) In ea autem oratione, in THEOD. qua aduerbium Quàm hęret comparatiuo, in similibus quoq; orationibus, id longius remotiusq; censendũ est, quod de ipso aduerbio pendet: propinquius autem & uicinius, quod de comparatiuo. Distãtiam autem hîc non loci aut temporis, sed animi intellige, ut: Matrem longè syncerius diligo, quàm amitam. Hæc enim me & genuit & aluit: illa nihil unquàm beneficij in me contulit. Hæc refertur ad matrem: Illa ad amitam. Liuius lib. 30. secun. bel. Pun. Melior tutiorq; est certa pax, quàm sperata uictoria. Hæc in tua, illa in deorũ manu est. Quam loquendi rationem in uerbis quoq; excessus & prælationis inuenias. Cic. lib. 2. offic. Hanc ergo consuetudinẽ benignitatis, largitioni munerũ antepono. Hæc est grauium hominum atq; magnorum: illa quasi adsentatorum populi.

De præpositione Cum. Cap. VI.

CVm præpositio, per appositionem non iungitur rei notanti instrumentum, sed comitem. Et hoc est

est quod Quint. ait: Vt quæramus, nunquid apud nos sit uis quædam septimi casus, & apud Græcos sexti: Nam, inquit, cùm dico, Hasta percussi, non utor ablatiui natura: nec, si idem Græcè dicam, datiui. Propter quod Seruius & quidã alij planè affirmant esse septimum casum. Quod autem non utamur ablatiui natura, hanc caussam existimo, quòd ablatiuus aut ui nominis regitur, aut ui uerbi, aut aduerbij, aut postremò intercedẽte præpositione: quorum nihil hîc fit, nisi uolumus errorem quorundam sequi, qui subintelligunt præpositionẽ Cum. Et quomodò subintelligi potest, quæ ne poni quidem potest? Nam Percussi cũ hasta, inauditum est: instrumentum enim percussionis hastæ est: peccauitq; non incelebris huius ætatis uir, qui scripsit, Gladium, qui cũ se percusserat, eduxit. Percussit igitur gladio: non, cum gladio. Impuli te pugno: non, cum pugno. Video te oculis: non, cum oculis. Tango te manu: nõ, cum manu. Deleuit epistolam lachrymis. Absterserit sordes aqua, siccauit cretam, liquefecitq; ceram igni: non autẽ, cum lachrymis, cũ aqua, cũ igni. Sed hoc fefellit, quòd aliquando illa præpositio uideri posit iuncta nomini instrumentum significanti: ut, Acceptus est à nobis cum honore, Magna cum benęuolentia scripsit, Cum mira affabilitate me allocutus est, Cum dira truculẽtia me aspexit. Veruntamen hi ablatiui instrumentum nõ significant, sed comitem. Siquidem acceperunt me homines instrumento corporis, nõ honoris, sed honore comite. Scripsit ministerio manus, non benęuolentiæ, sed hæc socia. Allocutus est lingua operatrice, affabilitate præsenti, &, Aspexit instrumento oculorum truculentia suffusorum, quæ nihil facit ad ipsam inspectionem, sed oculi. Sunt qui

Erasmus uocat ablatiuũ modi.

uelint Priscia. sensisse, Cum hasta percussi, dici posse, uel hanc præpositionem subintelligi. Ego uerò affirmo, neminem antiquorum, neque protulisse hanc, neque subintellexisse.

De Circiter. Cap. VII.

CIrciter, Priscianus inquit, ad tẽpus solùm pertinet, ut Circiter calendas Ianuarias. Imò & quidem frequẽtiùs ad numerum, ut Circiter duûm milium militum, Circiter decem miliariorum. Sed aliquando etiam ad locũ, ut Cassius Hemina: Lapidem fuisse quadratum circiter in media arce iunctum candelis quoquouersum.

De Versùs & Vsque. Cap. VIII.

VErsùs, cõtra naturam præpositionis, semper postponitur, ut, Italiam uersùs, Megaram uersùs. Liuius, Duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romã uersùs. Sallustius: Déinde Philenorum aræ, quem locum Aegyptum uersùs, finem imperij habuêre Carthaginienses. Cicero de diuinatione, Qui cùm exercitu lustrato Aretium uersùs castra mouisset. Sursum, siue Sursum uersùs, frequenter legimus. Nonnunquàm dicitur Versùm, sicut Aduersùm. Nam ita Versùs, sicut Aduersùs: unde Quoquò uersùs, & Vtroq; uersùs, id est, in unamquanq; partem, & quocunq;, & in utrãq; partem, & déorsum uersùs. Atq; nescio quomodò non reperio hanc inter præpositiones esse numeratam: an quia postponitur, & non præponitur? Ne Tenus quidem præponi solet: de qua nunc dicam, & tamen est præpositio. An quia uice præpositionis non fungitur, quoties alia adest præpositio? ut, Ad occidentem uersùs. Quo quidem modo aduerbium est & Vsque, quæ & ipsa

ipsa sic aliquando in oratione collocatur, ut, Ad occidentem usq;.

De Tenus. Cap. IX.

TEnus (ut dixi) semper postponitur Atq; in singulari utiq; cum ablatiuo, ut Hactenus, Quátenus, Verbótenus, Capulótenus. In plurali uerò cũ genitiuo etiam, non solùm cum ablatiuo. Sed, quantum ego sentio, cum genitiuo tunc aut necessariò, aut uenustiùs fit, præsertim more Græcorum, cùm res est uel gemina, uel numero singulari carens: neque hoc apud poëtas modò, sed etiam apud oratores. Vergil. Crurum tenus hispida nanti. Et iterum:

Et crurum tenus à mento palearia pendent.

Quintil. lib. 12. Sed ille uir bonus, qui hæc nõ uocibus tantùm sibi nota atq; nominibus, aurium tenus in usum lingua perceperit: sed qui uirtutes ipsas penitus mente complexus, ita sentiat. Cælius: Nam & illi rumores de comitijs Trãspadanorum Cumarum tenus caluerunt. Curtius: Pauci hostium tenus exacti penetrauêre ad portum. Est autem significatio Vsque ad Vmbilicótenus, usq; ad umbilicum. Aethiopiátenus, Nilótenus, usque ad Aethiopiam, & Nilum. Aliquando etiam pro Non ultra, ut, Gessit Consulatum titulótenus, id est, non ultra quàm titulo: cuiusmodi nonnulla ex superioribus exemplis sunt. Lib. 8.

In plurali uerò cum genitiuo.) Aliter tamê usus est Cor. Celsus lib. 1. cap. 3. Huic abundè est (inquit) loco tepido demittere inguinibus tenus in aquam calidam.

Pauci hostium tenus.) Incidit Laurentius in Curtium non périnde castigatum: id quod in caussa fuit, ut locum citaret, ut erat, corruptum. Cæterum in castigatis ab Erasmo exemplarib. sic legitur: Pauci tamen hostium exacti penetrauêre ad Porum acerrimè pugnam cientem.

De Pridiè & Postridiè aduerbijs. Cap. X.

PRidiè & Postridiè, quemadmodùm Tenus, genitiuo seruiunt, & nonunquàm etiam accusatiuo: ut Pridiè illius diei, Postridiè nonarum decẽbrium. Cicero ad Atti. Pridiè compitalia memento. Titus Liuius lib. 7. Etiam postridiè Idus rebus diuinis supersederi iussum. Indè, ut postridiè calendas ac nonas eadem religio esset, traditum putant. Idem lib. quadragesimo octauo: Pridiè Parilia medio fermè die atrox cum uento tempestas coorta.

De Hei, Heu, Eheu, Væ, & Procul. Cap. XI.

HEi quoq; & Heu simile quid obtinent: tamen alterũ datiuo, alterũ accusatiuo iũgitur. Vt: Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore.

Verg. Aeneid. 2.

Terentius: Heu me miserum. Et ferè cum huiusmodi pronominibus. Nam cum alio nomine frequentiùs per exprobrationẽ, ut Vergil. Heu stirpem inuisam. Et Plinius libro septimo: Heu dementiam, ab his initijs existimantium ad superbiam sẽ genitos. Aliquando etiam cum nominatiuo, ut idem Vergilius: Heu pietas, heu prisca fides. Terentius in Adelphis: Heu misera. Illud uerò in Psalmo: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, nescio an uicio factum sit librariorum: quale illud in euangelio, Ascendit in arborem sycomorum, quia indè trãsiturus erat: quod scribendum est, Illac. Et illud ad Romanos: Tu autem cùm oleaster esses insertus, pro Insitus. Et in actis apostolorum: Egressi sumus foras portam iuxta flumen, pro Extra portã. Eheu nulli casui seruit. Vergilius in Bucolicis, Eheu quid uolui misero mihi. Væ quoq; datiuo. Martialis:

Carpere causidicus fertur mea carmina, qui sit
Nescio: si sciero, uæ tibi causidice.

Hæc appelles licet siue aduerbia, siue interiectiones. Nam hanc inter partes orationis non numero, siue etiam præpositiones. Procul apud quosdam casui seruit, ut apud Curtium, Procul urbem.

Procul urbem.) Seruit & ablatiuo Procul. Liuius bel. Maced. lib. 7. Deinde haud procul Seleuci castris ad caput Caici amnis statiua habuit. Plinius lib. 9. cap. 35. Pausilypum uilla est Campaniæ haud procul Neapoli.

Quòd quædam comparatiua & superlatiua aduerbia seruiunt accusatiuo. Cap. XII.

COmparatiua aduerbia, & superlatiua, præter suã constructionẽ ablatiui & genitiui, ut Scribo meliùs te, & Optimè omnium: aliquando seruiunt accusatiuo, utiq; ea, quæ à præpositionibus ueniunt, illarum naturam seruãtia. Cicero ad Octauium: Cur castra medio itinere longiùs aduersariorum castris, & propius urbem mouẽtur? Idem ad Atticum: Tamen esse officium meum putaui, exercitũ habere quàm proximè hostem. Sallustius: Proxime Hispaniam Mauri sunt. Neque hæc regere possunt datiuum, ut Prisciano placet, quale uult esse: Cùm propius stabulis armenta tenerent. Datiuus hic non regitur naturã comparatiui, sed ipsius nominis, non aliter quàm si dicam, Nauigo te propinquius terræ. Et quoniam ipsa rei serie, quædam de complexu orationis dicere incepimus; iam de hoc ipso disseramus, simulq; de natura indecli-

indeclinabilium dictionum, quarundamq; aliarum: ab eo potißimùm incipientes, quod huic loco ſimilimum eſt.

De O, uel prolata, uel omiſſa. Cap. XIII.

O Fortunati, quorum iam mœnia ſurgunt, Aeneas ait. Et alibi:
O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint, Agricolas.

Hîc accuſatiuus eſt: ibi uel nominatiuus uel uocatiuus eſſe poteſt. His enim tribus caſibus indifferẽter authores utuntur. Cic. O uariam uolucremq; fortunam. Neq; hoc in tertia perſona tantùm, ſed etiam in prima & ſecunda, ut idem: O me miſerum, ô te infelicem. Etiam non appoſito pronomine, ut idem: O miſerum & deteſtabilem hominem, ſi hæc ignoras. Idem: O te miſerum, ô te infelicem. quæ exclamatio ad omnẽ affectum cõuenit, uel miſerationis, uel indignationis. Simili modo in nominatiuo, & uocatiuo, ut idem: O fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria eſt potißimum reddita. Et iterum: O magna uis ueritatis, quæ contra omnium ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraq; fictas hoĩm inſidias ſemper ſe ipſa defendit. Idẽ: O nox illa, quæ penè æternas huic urbi tenebras attuliſti. Et iterũ: O Nonæ illæ Decẽbres, quæ me conſule fuiſtis. Aliquando ab illo ſuperſedemus, utiq; in re leuiore, neq; ita magni coloris: ut, Indignum facinus, & hominem nequam, qui non dubitaret uel in foro alea ludere, uel cum lẽge de alea cõdemnatis: Ciceronis uerba ſunt in Antonium. Et Plinius Iunior ad Octauium: Hominem te patiẽtem, uel potiùs durum, ac penè crudelem, qui tam inſignes libros tamdiu teneas. Quòd ſi excandeſceremus, dicendum eſſet, O hominem

Terent. in Eunuch. Hominem perditum miſerũq; & illũ ſacrilegum Hîc Donatus deeſſe

minem nequam, & O hominem patientem. Aut ſine indignatione, ut apud Valerium Maximum libro tertio, Sed mihi uti iſta conditione uitæ non eſt opus, ſine ullis imaginibus nobilem animum. Aliquantò hoc remißius eſt, quàm ſi dixiſſet, O animum ſine ullis imaginibus nobilem, id eſt, ſine maiorum nobilitate nobilem. Ideoq; Terentius leuioris caloris interiectione uſus eſt, Hui tam graueis hos quæſo? Sed hoc ſimile eius ſpeciei, cuius mentionem modò faciam.

qdẽ dicit ô, ſed ſic meliùs ſonare & maioris ſtuporis eſſe hoc modo pronunciatum.

De Me, cum infinitiuo & accuſatiuo. Cap. XIIII.

Mẽne incepto deſiſtere uictam, Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem? Et iterum: Aeneid. 3

Mẽne Iliacis occumbere campis, Nõ potuiſſe, tuaq; animã hanc effundere dextra? Hæc Vergilius. Ad Terẽtiam autẽ Cicero, Me ne miſerum in tantas te calamitates mea culpa incidiſſe? Et iterũ in Bruto, Tum Brutus admiratus, Tantámne fuiſſe obliuionẽ, inquit, in ſcripto præſertim, ut ne legens quidẽ ſenſerit, quãtum flagitij commiſiſſet. In his omnibus placet mihi ſubintelligi, Veréne ita eſt, me non poſſe auertere Italia regem Teucrorum? & cætera. Plin. Iunior ad Adrianum: Hominem ne Romanum tam Græcè loqui? id eſt, uérene ita eſt? uel, oportuit ne? ſiue, oportet? Terẽtius in Andria: Seruõne fortunas meas me commiſiſſe futili?

De En, & Ecce, ſuiſq; compoſitis. Ca. XV.

EN & Ecce, in eadem penè ſignificatione amãt nominatiuum & accuſatiuum: apud Comicos uerò Hem pro En, affectui ſeruiens, quo oratores non utuntur: quemadmodum nec Aſt pro At, quod

est poëtarum, syllabã illam breuem interiectione, scilicet s, longam facientium. Adiungitur autem En nominatiuo pariter & accusatiuo, tum indicando, tum exprobrando. Indicando, Vergilius:

En priamus: sunt hîc etiam sua præmia laudi.

Exprobrando:

En agros, & quam bello Troiane petisti
Hesperiam, metire iacens.

Seneca in Agamemnone, En Paridis hostem. Iuuenalis satyra secunda,

En habitum, quo te lẽges & iura ferentem
Montanum positis audiret uulgus aratris.

Oratores sæpius exprobrando, & sæpius per nominatiuum. Quintilianus, En improbitas. Cicero: En crimen, en caussa, cur regem fugitiuus, dominum seruus accuset. Ecce, similiter cum utroq; casu iungitur, ut idẽ, Ecce tibi status noster. Cum accusatiuo autẽ non memini me apud oratores legisse, sed ne apud poëtas quidem. Nam illud apud Terẽtium in Eunucho: Ecce autem alterum, nescio quid de amore loquitur: Alter scribi debet, nõ Alterum, Donato quoq; probante. Sed demus, aliquando reperiri, ut semel apud Plautum in Bacchidibus, Opus'ne erit tibi aduocato tristi, iracũdo? ecce me. Eccum, eccam, eccos, eccas: Ellum, ellam, ellos, ellas, ab Ecce composita sunt, & secum uidentur gerere casum, sed nõ gerũt: quæ Priscianus ita resoluit, Ecce eum, ecce eam, ecce eos, ecce eas: Ecce illum, ecce illam, ecce illos, ecce illas. Sergius quoq; commentans Donatum, ait, Nihil significat Ellum, nisi ecce illum. Paulóq; póst, Quum ergo Ellum sit ecce illum, & Ellam ecce illam, nihil possumus dicere

In Eunu.

dicere, nisi magis demonstratiuè. Sed pace Prisciani, Sergijq; & aliorum, hoc nec uerum, nec conuenens significatum est. Nam inter Ecce eum, & Ecce illum, quid interest? Potiùs dicendũ erat, Eccum, ecce hunc, Eccos, ecce hos de quibus agimus. Talis erat conuenientior interpretatio, sed quæ nec uera foret. Resoluuntur enim hæc per aduerbia, nõ per pronomina, Eccum, ecce hic, subintellige uirũ de quo agebamus: Eccam, ecce hæc, subintellige fœminam, de qua mentio erat. Ellum, Ellam, ecce illic uirũ, fœminam'ue, subintellige, de quo, de quá'ue agebatur. Nam ut de homine, qui ante conspectum nostrum adest, rectè dicas, Ecce ille, uel ecce ego, siue ecce illum, uel ecce me: ita malè loquaris, Ellum hominẽ, uel ellum me: & rursum de longè posito, Eccum. Terent. Eccum Parmenonem, & Eccum me: nempe non Ecce eum Parmenonem, quasi aliquis alius sit præter hunc Parmenonem. Et ecce eum me, quem me, & quem eum quæris. Plautus in Menechmo, Atq; eccam. Et in Mercatore: Ecce illũ uideto. Eccum ergo Parmenonem, id est, ecce hîc Parmenonem, & Eccum me, id est, ecce hîc me, Et, Ellum Parmenonem dicentes, non sic loquimur, quasi de parùm noto: ut solemus, cùm dicimus, Ecce ille Parmeno: quasi ille tibi incognitus, sed auditus. Ellum igitur Parmenonem, significat, ecce illic Parmeno, siue Parmenonem. Sed an possit Ecce habere accusatiuum, nõ antè indubitatum habebo, quàm exemplum uidero, nisi illud tale sit apud Vergilium:

In Eunuc.
In Heaut.

En quattuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duoq; altaria Phœbo,
Pocula bina nouo spumantia lacte quotannis,

Crateras q; duos statuam tibi pinguis oliui.
Sed de prosa magis dubitare me dico.

Cum accusatiuo autem.) Cicero tamen Ecce accusatiuo iũxit, ut pro Cecinna: Cum subitò ecce eum qui solet, suos sõlos seruos armatos fuisse dixit. Et Plaut. in Mercat. Ecce me Achantio quem quæris.

De Agè, Agitè, & Agedum. Cap. XVI.

AGè singularem numerũ desiderat: Agitè pluralem: Agedum uerò nõ singularem tantùm, sed etiam pluralem. Neq; id modò in carmine, ut Propertius, *Vos agedũm*: sed etiam in prosa, ut Quintilianus, *Agedum* (si uidetur) *extra portas prospicite squalida arua, & spinis obsitas segetes, & semesos arborum truncos.* Cice. *Agedum conferte nunc cum illis uitam P. Syllæ uobis populoq; Romano notissimam.*

Agè singularem.) Inuenitur & cum plurali. Cicero pro Milone: Agè nunc, iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Idem pro Roscio, Agè nunc illa uideamus iudices.

De An, & Aut, Ne, Vel, Ve, & eorum compositis. Cap. XVII.

Li. 2. ca. 10.

AN & Aut, coniunctiones sunt. Quintilianus inquit, Malè tamẽ interroges, hic aut ille sit. Nos quum talem tantumq; authorẽ habeamus, tamen pleriq; multis iam seculis peccauerũt, ac peccãt, quod grande flagitiũ est. Sed duæ causæ eos decipiunt. Ferè enim nunquàm decipimur, nisi mendaci quadam specie ueritatis, & ut inquit Horat. Decipimur specie recti. Vna, quòd interpretantes è Græco, nõ reperimus hanc apud illos differentiam. Quippe quum Græci unam tantùm habeant, utriq; nostrarum respondentem, putant pro una uoce Græca, unam Latinam posse sufficere. Altera, quòd reperiunt apud nos in interrogando, Aut. Et primæ quidem opinioni hoc responsum sit: Eos malè mereri de lingua Latina, qui dimidiũ uerborũ fastidiunt. Nam pleriq; utũtur Aut more Græcorum, & interrogãdo, & sine interrogatione, An omnino relinquentes. Sequenti (quod tamen caput huius erroris est) ita respondemus: Si paulò diligẽtiùs aduertissent, nõ in Aut, sed in An interrogationẽ consistere deprehendissent, ut apud Ciceronem: An uerò Romulus ille, aut pastores, aut conuenas congregasse, aut Sabinorum connubia cõiunxisse, aut finitimorum uim repressisse eloquentia uidetur? Non est hîc multiplex interrogatio, quasi de horũ singulis interrogaretur: sed duplex, sic: Nũquid Romulus hæc omnia fecit eloquentia? Hæc una pars est interrogationis, supple, An non fecit? Et hæc erit altera pars. Itẽ, Es tu Stoicus, aut Epicureus, aut Peripateticus, aut Academicus? Hæc interrogatio & benè dici potest, & malè. Nam si non constet interrogãti, te esse philosophũ: benè interrogauit, supplẽdaq; est duplex An, sic: Es ne tu Stoicus, aut Epicureus, &c. an non? Sin constet illi, te esse philosophum ex aliqua illarum sectarũ, sed cuius sis ignorans, de ipsa interroget, malè quæsiuit: quum An, non Aut dicendũ fuerit: & ubi nos modò posuimus duplex An, omittendum sit, sic: Es tu Stoicus, an Epicureus, an Peripateticus, an Academicus? quæ interrogatio potest tendi in infinitũ. Illa uerò semp est duplex: hîc ad singulas particulas binæ interrogationes sunt, ibi in uniuersum duæ. Cùm enim ẽro, An Stoicus, subintelligitur altera interrogatio ediuersò, sic, An nõ? Itẽ, Es ne Epicureus, an nõ? Es ne Peripateticus, an nõ? Es

In arte poẽtica.

Acade-

Es Academicus, an non? Afferamus aliud apertius exemplum: An est hic illo nobilior, an plus pro salute mea laborauit? an cui homines magis cupiãt? an formosior, & magis dignus cui filiã meã collocem? Hîc octo interrogationes sunt, quia octies interrogatio repetitur: ibi semper duæ, quia bis semper repetitur. Ex quo patet, non esse interrogationem in Aut, sed in An. Interrogationem, inquam, contrariorum, qualis est illa: Quid dicam? aut quid nõ dicam? Inter hæc non ambigimus, sed ipsa ambo simul ambigimus. Secùs in illo, Abeam, an maneam? De duobus ita quæro, ut utrum mihi faciendum, & utrum non faciendum sit, dubitem. Ideoq; non solùm interrogando, sed citra interrogationem quoq; utimur An, ubicunq; aliquid cõtrarietatis ineſt: ut Dubito an uiuat pater, an mortuus sit. Et in maiore numero: Nescio an pater Romæ sit, an ualeat, an uiuat, an uẽturus ad me sit. Muta uerbum dubitationis & inscientiæ in dissimile aliud uerbum, sic: Scio an pater uiuat, an mortuus sit: malè locutus es. Benè autẽ, Nescio an pater uiuat, an mortuus sit. Itaq; uerbis huiusmodi dubitationis & inscientiæ damus subiũctiuum cum An: uerbis uerò opinionis & scientiæ, indicatiuum cum Quòd & Aut, sic: Opinor quòd pater aut mortuus est, aut grauiter ægrotat. Quod præceptum est de An, hoc quoq;
Ne sit de Ne, quæ plerunq; una, solaq;, & semper in parte prima collocatur, ut: Bonus ne uir est, an malus? Aliquando cum socia, sed id sæpius apud poëtas, ut Vergil. in primo libro Aeneidos:

Qui teneãt (nã inculta uidet) homines ne, ferá ne,
Quærere constituit, sociisq; exacta referre.

Nec ne. Sæpè hoc modo: Illuc eã, nec ne, ignoro: hoc est dubitatiuè.

tatiuè. Interrogatiuè quoq;, ut pro Flacco Cicero: Vtrum uultis prætori Flacco licuisse, nec ne? id est, licuisse, an non? Quidam superuacuè addunt alterum An, sic: Nescio an benè faciam, an nec ne. Atq; ut ostendi quosdam errare in Aut, non uidentes in quo differat ab An: ita quidam faciunt in Vel, putantes Vel.
poni pro An, id est, interrogatiuè uel dubitatiuè, siue ignoratiuè, ut, Istud est aurum uel orichalcum? Nescio si sit aurum uel orichalcum: imò scis quòd est aurum uel orichalcum: & neuter uestrum dubitat, quòd uel hoc uel illud est: sed nescitis, an hoc, an illud sit. Ideoq; & tu interroga, Aurum ne sit, an orichalcum: & tu respondè, Quòd nescis, an sit hoc, an illud. Illud autem, quod est apud Quintilianum: Quærendumq; arbitrantur, iustum ne sit, sacrilegium appellari quod obijciatur, uel furtum, uel amentiam: potest quibusdam mouere dubitationem, quasi in re dubia loquamur per Vel: atq; ideo ipsum misceamus cum Ne, siue An. In quo minimè dubitandum nobis est. Talis enim ibi locutio est: Quærendumq; arbitrantur, iustum ne sit appellare aliquid nomine sacrilegij, an nõ? uel, Iustum sit aliquid appellari furtum, an non? uel Aliquid sit iustum appellari amentiã, an non? Ve ma Ve.
gis accedit ad Vel, q̃ ad An, ut, Duobus tribus ue mensibus, id est, duobus uel tribus mensibus: raroq; reperitur geminatum, nisi adiũcta Si, ut, Siue hoc, siue illud: aut adiuncta Ne, pro Vt non, ut apud eundẽ: Siue. Néue.
Cauendum etiã, nè ue sit maior trãslatio, quàm oporteat, ne ue (quod sæpè accidit) minor, néue dissimilis. Cicer. Ita iungetis, ut nẽue asperè concurrant, néue uastiùs diducantur. Lucanus sine compositione aliqua, De Oratore.

Nec

Nec quenquã iam ferre potest Cæsárue priorẽ,
Pompeiúsue parem.

id est, non potest iam aut Cæsar superiorem ferre, aut Pompeius parem. An & Ne, coniungi solent pro An, quod magis poëticum est, ut apud æmulos Vergilij, Dic mihi Damœta, cuium pecus, an ne Latinum? Illud Ciceronis multi ita legũt: Quo mihi etiã indigniùs uidetur obtrectatũ esse, Gabinio dicam, an ne Pompeio, an ne utriq; id quod est uerius. Sine interrogatione durum uidetur, ut Vergil.

Vrbes ne inuisère Cæsar,
An deus immẽsi uenias maris, ac tua nautæ &c.
An ne nouum tardis sydus te mensibus addas.

Ideo dixi durum, quia per interrogationem quiddam urgẽtius & instãtius est in hac geminatione An ne, quàm in illa simplicitate An: quod hîc non fit, ut ex alijs compositis elucebit.

Nónne
Non ne fuit satius tristes Amaryllidis iras,
Atq; superba pati fastidia? non ne Menalcam?
Non ego te uidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidijs?

In hac interrogatione non id agitur, ut respondeas ne scienti, sed ut cogaris assentiri scienti. Nec alia uis orationis est, quàm si diceres, An non, quod magis urget, quàm solum Non: licèt & hoc solũ pro illo compositio accipi soleat. Alia composita (si modò composita sunt) hæc sunt, Itáne, Ergóne, quæ interrogando

Itáne
Ergóne
responsionem non poscunt, sed assensum extorquent.

Quidam superuacuè addunt.) Nihil contra Laurentium faciunt, quæ in hoc caput ex authoribus adducuntur, quum talis loquendi forma, qualem hîc improbat Valla, nec in illis inueniatur.

De

De Nedum, & Non solùm, Non modò, & Non tantùm. Cap. XVIII.

NEdum duobus modis periti uti solent: Vno, cùm utrãq; sententiam eodem claudimus uerbo: Altero, cùm suum utriq; sententiæ uerbum damus. Primo modo sic: Funderem pro te sanguinem, nedum pecuniam. Secundo sic: Funderem pro te sanguinem, nedum pecuniam tibi crederem, & hoc affirmatiuè. Negatiuè sic: Non perderem pro te obulum, nedum sanguinem. Item, Non crederem tibi obulum, nedum pro te funderem sanguinem. Atq; in affirmando id, quod plus est, maioris q; momenti, in prima parte est ponendum: in negando id, quod minoris. Plus est & magis momentosum. fundere sanguinem, quàm pecuniam: & minus est & leuius, perdere aut credere obulum, quàm perdere aut profundere sanguinẽ. Imperiti uerò hanc dictionem accipiunt pro Non solùm, sic dicentes, Nedum laborem pro te susciperem, sed etiam mortem: quod sic dicendum erat, Mortem pro te susciperem, nedum laborem. Aut per Non solùm (nã cõtrarius modus est per Non solũ, & Non modò, ei, qui est per Nedum) sic, ne priora exempla commutemus, Non solùm pecuniam pro te funderem, sed etiam sanguinem. Item, Non modò pecuniam tibi crederem, uerumetiam sanguinem pro te funderem: hoc affirmatiuè. Rursus negatiuè, Non modò pro te sanguinem non perderem, sed nec pecuniam. Item, Non tantùm pro te sanguinem non funderem, uerũ ne obulum quidem tibi crederem. Hæc igitur differẽtia est inter Nedum, & Non solùm, siue Non modò, si ue Non tantũ. Aliquando tamẽ reperimus hoc posterius penè pro Nedum accipi. Cic. in officio. 3. Huic

igitur

regno, ille me de nostra repub. percontatus est: Duo suppositiua sunt, Ego, & Ille, quorum utriq; uerbũ accommodatur: sed sequenti palàm, antecedenti per subintellectionem, ut sit: Ego illum de suo regno percontatus sum, ille me de nostra repub. percontatus est. Conuerte ordinem personarum, simul personam uerbi mutaueris, sic: Ille me de nostra repub. ego illum de suo regno percontatus sum. Muta genus, sic: Ego illam de suo regno, illa me de nostra repub. percontata est. Muta numeros. sic: Ego illos, illas ue de suo regno, illi illæ ue me nostra repub. percontati percontatæ ue sunt: & item econtrariò. In hanc tamen formulam non cadit, quoties per comparationem ad similitudinẽ loquimur, quale est: Melius ego istud quàm uos fecissem, nõ autẽ Quàm uos fecissetis. Hoc ille ita prudenter, ut ego, fecisset: non autem, Vt ego fecissem, hîc enim subintelligitur, sic, Hoc ille ita prudenter, ut ego feci, & ipse fecisset: melius ego istuc, quàm uos fecissetis, fecissem. Verbum enim principale debet afferri, subintelligi autem quod non est principale.

BVDAE. Verbum sequi debet.) Hoc dictũ mihi perplacet. Sic enim Cicero in Bruto: O magnam, inquit, artẽ Brutus, siquidem istis, cùm summi essent oratores, duæ maximæ res, alteri altera defuit: & in Sallust. Quàm eos suæres gestæ, & uita innocentissimè acta commendauit. Et Liuius: In discrimine est humanum genus, utrum nos, an Carthaginenses principes orbis terrarum uideãtur. Idem: Pederentimq; mõtes & iugum Curalliculæ superandum. Sed si flagitiosùm puret contra id aliquid audere, Curtius nota ignominię erit afficiẽdus, qui dixit: Tum illa regnum suum, rex Parthienem petiuerunt. Idem: At mihi securitatem primùm innocentia mea, deinde dextera tua obtulerunt. Cice. de prouinciis Consularibus. Nam posteà me, ut sibi essem legatus, non solùm suasit, uerumetiam rogauit: Me accusatiuũ non ad proximum uerbum

uerbum, sed ad remotius retulit, ac si diceret, me etiam rogauit, nedum mihi suasit.

Vbi collocandum sit adiectiuum. Cap. XXV.

ADiectiuo, cùm præcedit, debent obsequi substãtiua, aliter uiciosum est, ut hoc modo: Nulla uirgo est dicenda corrupto uel animo uel corpore: dic pro Animo, Mente, sic: Nulla uirgo dicenda est corrupta, uel mente, uel corpore: aut, Corrupto uel corpore, uel mẽte, nõ erit Latinum. Quod contrà fit, aut præcedente substãtiuo, aut reiecto in finẽ adiecti uo, sic: Nulla uirgo dicenda est uel mente corrupta: corpore aut: uel corpore corrupto, uel mẽte. itẽ. Vel mente, uel corpore corrupto: aut, Vel corpore, uel mente corrupta. Similiter in plurali (uariabo exempla ad euitandum fastidium) Nemo dues est uel ualetudine infirma, uel sensibus, aut, Vel sensibus infirmis, uel ualetudine. item, Nemo felix est, uel conscientia uel membris affectis, aut, Vel membris uel conscientia affecta. Cicero tamen in Philippicis inquit: Optima sunt & mente & uiribus. Nescio an culpa librariorum sit, qui ita scripserunt, pro eo quod est, Et mente optima sunt, & uiribus, uel, Optima sunt & mẽte, & uiribus.

Adiectiuo, cùm præcedit.) Ridiculè negatur, posse dici æquè corrupta mente, & Mente corrupta: neq; uerum est, substantiua obsequi adiectiuis, sed contrà, adiectiuum prospicere ad utrunq; substantiuum, aut ad id quod propius est: & ipsi contra hanc malè explicatam sententiam etiam ex Ciceronis Philippica dicendi modum obseruauêre.

Quid momenti faciat coniunctio, aduerbiumq; disiunctiuum ex collatione. Cap. XXVI.

EX his quæ tradidimus palàm est, nequaquàm rectè dici, Corrupto uel corpore, uel mente. Debet

Multa in urbe nostra, iuxtaq; urbem, non oculis modò, sed ne auribus quidem nouimus. Quæ exempla & similia mirum est Laurentium Vallensem non animaduertisse. Is enim lib. 3. Elegantiarum, ut scitè pauca de hac re & subtiliter disseruisse mihi uidetur, ita si eius doctrinã sequi uelimus, hæc loca tueri non poterimus. In causa est (ut arbitror) quòd Laurentius ad normam Latinæ proprietatis ea redigere uoluit, quæ Græcorum imitatione usurpata sunt. Gręci enim τῷ οὐχ ὅπως ἀντὶ τοῦ οὐ μόνον οὐχὶ subinde utũtur. Demost. ἐνόμιζον μὲν ἀφ' ὧν ἐπολιτευόμην, οὐχ ὅπως μηδὲν ἀδικῶν τοιαῦτα πείσεσθαι, ἀλλὰ καὶ μέτρια ἐξαμαρτῶν συγγνώμης τεύξεσθαι. ἀντὶ τοῦ οὐ μόνον οὐχὶ πείσεσθαι. Simile est οὐχ ὅτι & μηότι crebra apud oratores & elegantiores scriptores. Plato, ἐγὼ δὲ οὐδὲ ἀνθρώπῳ, μηότι δὴ θεῷ, id est, non solùm hoc non dixerim de deo, & μηότι μητιδὴ, quæ itidem pro Non solùm non accipiuntur. Hoc etiam per Nedum latinè dici solet. Sallustius: Quippe secundæ res sapientum animos fatigant, nedum illi corruptissimis moribus uictorię temperarent. Apud Liuium in octauo secundi belli Punici, hoc modo Fabius loquitur aduersus Scipionem in Africam traiecturum: Me dictatorem, cùm uigerem adhuc uiribus, & in cursu maximarum rerum essem, recusantẽ nemo audiuit, quò minùs insectante me magistro equitũ (quod fando nunquàm auditum fuerat) imperium æquaretur meum, nedũ ego perfunctus honoribus certamina mihi cũ adolescente florentissimo proponam, id est, non modò nunc non proponã. Idẽ: Attonitus repentino malo, uix quid obijceretur intelligere potui, nedum satis sciam quomodò me tuear. Cicero pro Plancio, Ego uerò ne immortalitatem quidem contra rempublicam accipiendam putarem, nedum emori cũ pernicie reipub. uellẽ. ubi alius etiam nõ indoctus Nollem (ut arbitror) dixisset. Et pro Cluẽtio, Nec Metellus, nec Popilius clarissimi uiri uim tribunitiam sustinere ualuerũt, nedum his temporibus, his moribus sine uestra sapientia ac sine iudiciorum remedijs salui esse possimus. Lucianus: καὶ πάνυ ἁπαλὸς τὼ πόδε καὶ οὐδ' ἐςάναι χαμαὶ, οὐχ ὅπως βαδίζειν ἐδύνατο. Cicero in Acad. Anaxagoras nigram niuem esse dixit: ferres me, si idem dicerem? tu ne si dubitarem quidem. Vnam negationem Cicero duarum uice posuit. Interdum contrà duas pro una positas inuenimus. Idem libro tertio de

de finib. Sed quanquàm negent Stoici nec uirtutes, nec uicia crescere, attamen utrunque eorum fundi quodammodò ac dilatari putant. Et in quint. Tusculan. Itaque ne si iucundissimis nos somnis usuros putemus, Endymionis somnum nolimus dari. Hæc ex Budæo, de usu negationum.

De Nisi. Cap. XIX.

Nisi, quoties principium sententiæ est, indicatiuum desiderat: aliâs etiam subiunctiuum. Cicero pro Milone: Nisi fortè putamus dementem P. Scipionem Aphricanum fuisse, qui cùm à Carbone in concione seditiosè interrogaretur, quid de Tiberij Gracchi morte sentiret, respondit, iure sibi cæsum uideri. Et Quintil. Nisi fortè imperatorem quis idoneum credit in prælijs quidem strenuum & fortem, & omnium quæ pugna poscit artificem: sed neq; delectus agere, nec copias contrahere atq; instruere, nec prospicere commeatus, nec locum capere castris sciẽtem. Præter principia autem sententiarum, sic: Vapulabis, nisi caues, uel, Nisi caueas. In illo superiore Nisi, adest uerbum principale: hîc non adest.

Nisi cum Si uel Quòd frequenter iungitur. Columella lib. 4. cap. 10. Nobis neq; angusta putatione coẽrcenda semina uidẽtur, nisi si admodum inualida sunt. Quintil. lib. quinto, capite undecimo: Eadem ratio est eorũ, quæ ex poẽticis fabulis ducuntur, nisi quòd ijs minus adfirmationis adhibetur.

De coniunctione Quòd. Cap. XX.

Quòd scribas gaudeo, &, Quòd scribis gaudeo, utroque modo dicitur. Volo quòd scribas, non autẽ, Quòd scribis. Illius superioris hæc similia sunt, Credo, Opinor, Puto, Lætor, Voluptatem capio, & reliqua. Huius posterioris hæc, Mãdo, Iubeo, Impero, Exigo, Postulo, et reliqua. In illo ta

solent, in libros dialecticæ nostræ cõtulimus: quæ ideo præterimus, quod ferè nõ sunt ignota oratoribus, dialecticorum uerò nemini cognita. Illud tamen ad uerbum huc illinc transferamus. Vir malus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedit: uir autem bonus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedet, uel recedat: nescio an liceret dicere Recedit. Hoc loco eadem uerba dantur malo uiro, & bono: sed tamen malus recedere ab amicitia intelligitur, bonus non recedere: & ille non lacessitus iniuria, hic lacessitus. Et haud scio an hoc sit satis ad hæc distinguenda dixisse, quôd alibi rem significamus, alibi admonemus. Huc addamus unum, in quo non pauci falli solent, ubi debeat geminari negatio, ubi non debeat, ut hoc exemplo: Non modò stellæ, sed ne Luna quidem ad Solem seruat splendorem suum, rectè dicitur. Item hoc modo rectè: Non modò ullæ stellæ, sed ne Luna quidẽ, &c. At quoties dictionibus quædam adest contrarietas, non possis tollere alteram negationũ, ut hoc modo: Non modò stellæ non apparent, sed etiam Luna ad Solem obscuratur. Sine negatione geminata nõ rectè loqueris. item, Non modò non absoluo hunc, sed ne leui quidem pœna secum transigendum esse puto. Quidam tamen nuper scripsit: Non modò absoluendum hunc, sed nec etiam grauiter puniendum puto: cùm dicere debuisset, Non modò non absoluendum. sunt enim diuersa, Absoluendum & Puniendum. Item, Non tantùm non constanter, sed etiam trepidè & confusè locutus est. Item, non tantum inconstanter, sed fortiter & propè minaciter locutus est. Malè hoc secundum dixisti, dempta negatione. erat enim dicendum, Non tantùm non inconstanter. In quod uicium incidit Boëthius lib. 3. in Cic. Topica

Topica, dicens: Non confusè solùm, uerumetiam distributum, & in suarum partium proprietate noscantur: dicendũ erat, Non solùm non confusè. Diuersum est eorum uicium, qui ad illud non modò applicant, sed etiã cùm deberent applicare, Sed saltem, aut Sed certè, aut Sed uel: quale est Lactantij lib. 1. Quis enim mentis emotæ non modò futura prædicere, sed etiam cohærentia loqui posit? dicendum erat, Sed uel cohærentia, aut Sed saltem, aut Sed certè cohærentia possit loqui? nisi fortè culpa librarij est. Ego uerò in utroq; non authorem, sed tale genus orationis reprehendo.

Quot modis iubemus, quid etiã interſit inter præteritum, futurumq; coniunctiui modi.

Cap. XXVIII.

VEni ad me, uenias ad me, uenito ad me, uenies ad me. Scribe ad me, scribito, scribas, scribes, indifferenter penè his quatuor utimur. Horum tamen uno in negatione, Ne uenias: & altero, quo in affirmatione non utimur, in hunc modum, Ne uêneris. Nam ipsum Vêneris, duobus modis accipitur. Vno modo subiunctiuè, ut, Si uêneris, uel cùm uêneris: altero sine subiunctione. ideo illud non est uerbum principale, hoc est: ut, Si me iuueris, rem optimam feceris. Dimitte me, & diuitem feceris. Aufer huic magistratum, & eum iugulaueris. Eamus in portum, iam naues uenerint. Cice. Atqui nobis gratissimum (ut etiam pro Scipione pollicear) feceris, siquando & cætera. Sciendum tamẽ est, quòd hæc omnia uerba futuri sunt temporis. ueluti si ita commutemus: Si abstulero huic filiam, eum iugulauero, non autem Iugulauerim. Ego hoc uidero, tu uideris, uos uideritis: quasi, Ego hoc uidebo

alia exẽpla afferam, longior sim) si dicamus hoc idem sic, Quanquàm quis ignorat istum tuum animum nunquàm his angustijs, quas natura ad uiuendum nobis dedit, fuisse contentum, semperq; immortalitatis amore flagrasse? De Etsi siue Tametsi (idem enim sunt) & apud eundem & apud alios reperiẽda relinquimus exempla huiusmodi, licèt pauciora. Vnum ex Plinio satis sit ad Cornelium Priscum: Dedit enim mihi, quãtum maximè potuit, daturus amplius, si potuisset: tametsi quid homini dari potest maius quàm gloria, laus, & æternitas? Hîc non possis ponere Licèt, & Quanuis.

De Cum & Tum. Cap. XXII.

CVm & Tum indicatiuum ferè postulãt. Est autem in Cum quiddam minus, in Tum quiddam maius. Et hoc duobus modis, ut aut generale aliquid præcedat, speciale sequatur, aut ambo sint specialia. Primo modo sic, ut apud Quintil. Quod cũ omnibus confitendum est, tum nobis præcipuè, qui rationem dicendi à bono uiro non separamus. id est, omnibus multùm, mihi uerò maximè. Altero modo apud eundem, In proœ. lib. 1. Quod opus Marcelle Victori tibi dicamus, quẽ cum amicissimum nobis, tum eximio literarum amore flagrantem, dignissimũ hoc mutuæ inter nos charitatis pignore iudicabamus, id est, multùm propter amorẽ tuum in nos, plus tamẽ propter amorẽ in literas. Rarò autem alius modus quàm indicatiuus conuenit, quale fuit proximum exemplum. Idem Quintil. in 2. Quid autem est ex ijs, de quibus supra dixi, quod nõ cum in alia, quæ sunt rhetorum propria, tum certè in illud iudiciale caussæ genus incidat? Cicero ad Curionem: Graui teste priuatus sum amoris summi erga te mei, Cap. 1. patre

patre tuo clarissimo utro: qui cum suis uirtutibus, tum uerò te filio superasset omnium fortunas, si ei contigisset, ut te antè uideret, quàm uita decederet. Vix alter reperias, quale est Ciceronis in Verrem actione prima: Factum est, uti cum summum in ueteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarẽtur. Sed hoc loco adiectiua sunt, quæ distinguant illud Plus, & illud Minùs. In cæteris locis ferè adiectiua nõ adhibẽtur, qualia nũc sunt Summum, & Nonnullum. Nunquàm hoc fit, nisi sub uno uerbo. Quod si quando sub duobus fieret, nunquàm tamen in diuersis uerborum modis, diuersis ue temporibus, ut fecit Boëthius in principio tertij (ut reor) de Dialectica libri, Cum in omnibus philosophiæ disciplinis ediscẽdis atq; tractandis, summum in uita positum solamen existimem, tum iucundiùs, & ueluti cum quodam fructu etiam laboris arripio, quæ tecum communicãda compono. Nisi forte putamus hoc eodem modo pro Deiotaro incepisse Ciceronem, Cum in omnibus causis grauioribus C. Cæsar initio dicendi commoueri soleam uehementiùs, quàm uel usus, uel ætas mea uidetur postulare: tum in hac ita me multa perturbant. Tamen dicitur, non Tum. respondet enim ad illud Quum pro Quanuis, ut alio idem in loco, Satis ne constanter facere uideantur, qui quum præcipi nihil posse dicamus, tamen & alijs de rebus disserere soleamus, et hoc ipso tempore præcepta officij prosequamur: Quum scilicet pro Quanuis, aut, si scribatur Tum, non Tamen: scribendum etiam erit Soleo, non Soleam: quale est illud in proœmio quarti libri Tusculanarũ quæstionũ, Cum multis locis nostrorum hominum ingenia uirtutesq;

Brute soleo mirari, tum maximè in ijs studijs, quæ serò admodùm expetita in hanc ciuitatem è Græcis transtulerunt. Idem author opus de natura deorũ sic inchoat, quod quidam depraua re solent, dicentes Sint pro Sunt: Cum multæ res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sunt, tum perdifficilis Brute (quod tu minimè ignoras) quæstio est de natura deorum. Priscianus quoq; uir grammaticè locutus est in proœmio magni operis, & quidem in prima dictione, atq; adeò in prima syllaba, dicens: Cum omnis eloquentiæ doctrinam, & omne studiorum genus sapientiæ luce præfulgens à Græcorũ fontibus deriuatum, Latinos proprio sermone inuenio celebrasse, & ca. Quæ tanta sunt præcedentia uerbũ principale, ut non modò Demosthenes, qui contenta uoce, & uno spiritu complures uersus pronunciabat: aut Hercules, qui sine respiratione unũ stadium decurrebat: sed ne Nouellius quidem Torquatus Mediolanensis, qui uno spiritu tres uini congios siccabat, posset illam sententiam atq; periodum una uocis contentione pronunciare. tandẽ uerbum principale subiungit: Conatus sum pro uiribus rem arduam quidem, sed officio professionis non indebitam, supra nominatorum uirorum præcepta, quæ congrua sunt mihi uisa, in Latinum transferre sermonem. Quum inueniam erat dicendum, aut Quoniam inuenio. Sed ad Tum reuertamur, quod sæpe sine Cum ponitur geminatum, triplicatum, & in quanuis longum multiplicatum: sed, quantum ego sentio, in rebus paribus: ut Quintilianus, Nec indignetur Herodotus æquari sibi Titum Liuium, tum in narrãdo miræ iucũditatis, clarissimiq; candoris, tum in concionibus, supra quàm enarrari potest, eloquentem

Li. 10. ca. 1

tem: ita dicuntur omnia tum rebus, tũ personis accommodata. Taceo de eo modo, quãdo accipitur pro Aliquando, ut, Tum hoc, tum illud dicas, id est, aliquãdo hoc, aliquando illud, uel, modò hoc, modò illud.

De Quidem. Cap. XXIII.

Quidem, duobus tribúsue modis accipi solet. Uno modo ad distinguendas res, quod apud Græcos penè, ut, Unus quidem sic, alius autem sic. Ego quidem Romæ sum, tu uerò Athenis, frater autem Alexandriæ. Altero autem quasi per exceptionem illius quod affirmes, ut apud Marcum Fabium: Torquebis quidem filium, sed fatebitur mater. Adeò ut apud hunc & M. Tullium nunquàm coniungantur Quidem & Ille, quin huiusmodi sequatur exceptio, ut de Officijs libro tertio: Ab optimis illis quidem uiris, sed non satis eruditis. Et de amicitia: Qui autem in uirtute summum bonum ponunt, præclarè illi quidem: sed hæc ipsa uirtus amicitiam & gignit & cõtinet. Dicendum erat Præclarè hi quidem, ut in pronominibus ostendimus, potiùs quàm Illi: sed hoc fecit, ut Ille coniungeretur cum Quidem. In superiore modo tantùm duabus comitibus Quidẽ uti potest, quæ sunt, Verò & Autem: in hoc secundo pluribus potest, præter has duas, Verùm, Veruntamen, At, Sed, Cæterum, Tamen, Attamen, Sed tamen. Atq; in hoc secũdo modo ipsum Quidem alternatim poni potest, nunc in laudem, nunc in uituperationem: atq; id aut à uituperatione incipiendo, & finiendo in laudem: aut incipiendo à laude, & finiendo in uituperationem, ut: Tu lentus quidem es & piger, sed tamen fidelis. Rursus, Tu quidem fidelis es, sed tamen lẽtus & piger. Tertio modo, quo plenus est etiã ser-

mo uulgaris, nullo autem, aut uerò, aut sed, aliâ uè coniunctione simili sequente, sicut & hæ ipsæ nonnunquàm sine Quidẽ sunt. Cicero: Aut enim nemo (quod quidem magis credo) aut si quisquam est, ille sapiens fuit.

De Verò, Autem, Porrò. Ca. XXIIII.

VErò & Autem idem significãt, & eodem in loco poni possunt, antecedente utiq; aliqua dictione. Nunquam enim ab his sententia incipit. Colloc antur autem frequenter, ut nusquàm referantur, sed tantùm distinguant sententiam a sententia, ut mea ipsius uerba declarant, ubi sum usus modò Autem. Habent tamen aliquando nescio quid differentiæ in utendo. Cur nanq; non dicimus Neq; autem sicut Neque uerò? ut Quintil. Neq; uerò me Lacedæmonij atque Athenienses magis mouerunt, quàm populus Romanus, apud quẽ summa semper oratoribus dignitas fuit. Item, Tum propter hoc, tum uerò propter illud: non autem, Tum propter hoc, tum autem propter illud. Contrà, nõ dicimus Non uerò, sicut Non autem, ut: Sum tibi amicus, nõ autem assentator: muta illud aduerbium, & habebit locum Verò, sic: Sum tibi amicus, assentator uerò non: uel assentator autem non: & in quibusdam similibus. Incipimus enim maiora quædam capita per Verò potiùs quàm per Autem. Vergilius Iunonem cum Venere sic loqui incipientem facit:

Aeneid. 4 Egregiam uerò laudem, & spolia ampla refertis,
Tuq;, puerq; tuus.

Et ad Seruium Sulpitium scribens Cicero, ita epistolam incipit: Ego uerò Serui uellem (ut ais) in meo dolore affuisses. Præterea nõ ita dicas, Agè autẽ, Sanè autem, Iam aũt, Enim autẽ, At autẽ; ut, Agè uerò,

uerò, Sanè uerò, Iam uerò, Enim uerò, At uerò. Atque ut in quibusdam locis hæc duo, & cætera similia à me priùs enumerata habent gratiam, si ponantur: ita in quibusdam non habent: quale est, cùm idem uerbum repetitur, hoc modo. Quintilianus: Pro patre mori possum, coram patre non possum: non rectè dicas, Coram patre autem non possum: nisi reticeas uerbum, sic, Coram patre autem non. Atq; hîc sequitur negatio: aliquando autem antecedit. Cicero: Tu quum principem Senatorum auunculum domi habeas, ad eum non refers: ad eos refers, qui suam domũ non habent, tuam exhauriunt. Quarè non de eo modo intelligitur, quoties uerbum sine contrarietate repetitur, ut idẽ: Tribues his temporibus quantum poteris: poteris autem quantum uoles. Neq; quoties aliquid prælongum est, aut nõnihil immutatur, ut idẽ in Verrem: Non enim, inquit, illud peto, quod soleo, cùm uehementiùs contendi, impetrare: ut reus absoluatur, non peto: sed, ut potiùs ab hoc, quàm ab illo accusetur, id peto. Et in Philippicis: Ego autẽ ueteranos tueri debeo: sed eos, quibus sanitas est, certè timere non debeo. Tale non fuit Lactantij, qui ait: Sed (ut dixi) uenia concedi potest imperitis, & qui sapientes se non fatẽtur: his uerò non potest, qui sapientiam professi, stulticiam potiùs exhibent. Ego dixissem, his non potest. Poëtæ hoc non seruant. Vergilius:

In peroratione officiorum.

Non erit auxilio nobis Aetholus & Arpi:
At Mesapus erit. Ouidius:
Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.

Porrò, licèt eiusdem significationis sit cuius Verò, & Autem: tamen, ut puto, pro illis ponere non possis, nonnunquàm tamen eundem locum sortitur, ut, Agè uerò

uerò, Agè porrò: sed illud nunquàm in fronte sententiæ collocatur, hoc aũt sæpius, ut Quintilianus: Porrò qui confessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licẽtiam. per illa diceremus Qui uerò, uel, Quì autem confessum defendit. Apud quosdam, & præsertim poëtas, uolũt significare Longè, Certè, Posteà, Vltrà. Ideoq; sæpè non in principio sententiæ, sed in medio inuenitur.

THEOD. Enimuero.) Enimuero plerunque seruit adfectui & indignationi. Liuius dec. 1. lib. 9. Tum enimuero Menenius iam famæ magis, quàm imperij memor. Rursus li. 10. Tunc enimuero Consul, indignum facinus esse uociferari.

IBIDEM. Porrò licet eiusdem.) Porrò quoque pro Posteà seu in posterum, eleganter usurpatur. Liuius de. 1. lib. 10. Aequè adhuc plebeium prosperum ut patricium fuit, porroq; erit. Idem secund. bel. Punici lib. 10. Quibus ne indignus esset, & dedisse operam Masinissam, & porrò daturum esse. Et pro Vltra, ibidem lib. 2. Pergeret porrò ire, nec ultrà inquireret.

De Siquidem. Cap. XXV.

SIquidem ex Si & Quidem compositum uidetur: sed cur nec primam syllabam lõgam habet, quum Si longa sit: nec significationem alicuius harum, undè componi dicitur, dictionum? Est enim Siquidem idem quod Nam, ut apud Quintilianum, Atq; eam natura ipsa uidetur ad tolerandos faciliùs labores, uelut muneri nobis dedisse. siquidem & remiges cantus hortatur. Et Ciceronem: Confiteor, eos, nisi liberatores populi Romanis conseruatoresq; reipublicæ fuerint, plus quàm sicarios, plus etiã quàm paricidas esse. Siquidem est atrocius, patriæ parentem, quàm suum occidere. Nonnulli non internoscunt, quando Siquidem est una dictio, quando duplex: quod internoscere facile

Li. 1. ca. 36

facile est, ut apud eosdem ambos. Priorem libro quarto: Quarè illud stultissimè præcipitur, quod defendi non potest: silentio siquidem dissimulandum est illud, de quo iudex pronunciaturus est. At si extra causam sit adductum, &c. Posteriorem pro Milone: Deinde profectus est per id temporis, cùm iam Clodius (si quidem eo die Romam uenturus erat) redire potuisset. Et pro Flacco: O morem præclarum, disciplinamque, quam à maioribus accepimus, si quidem teneremus: sed nescio quo pacto iam de manibus elabitur. In hoc tamẽ significato apud Quidium reperitur libro quarto Fastorum, prima syllaba breui, tãquàm sit dictio composita:

Sed si fortè tibi non est mutabile pectus,
Statq; semel iuncti rumpere uincla thori:
Hoc quoq; tentemus, si quidem ieiuna remansit:
Sin minùs, inferni coniugis uxor erit.

Idem libro tertio sine titulo:

Quæ mihi uentura est, si quidem uentura senectus,
Quum desit numeris ipsa iuuenta suis.

In altero significato apud Lucanum libro quarto:

Hoc siquidem solo ciuilis crimine belli
Dux caussæ melioris eas.

De Sin. Cap. XXVI.

SIn, pro Si, nunquàm in prima parte collocatur: sed in secunda, ubi ferè duorum est oppositio: atq; hoc, siue uocali sequente, siue consonante. Terent. Si illum relinquo, eius uitæ timeo: sin opitulor, huius minas. Et alibi: Si hoc celetur, in metu: sin patefit, in probro siem. Nonnunquàm Sin unum reperitur, sed quod secundi loci uicem obtineat, ut Sallust. Imperat, ut precio, sicuti multa confecerat, insidiatores Masinissæ

In And.

nissæ paret, ac maximè occultè: Sin id parùm procedat, quouis modo Numidam interficiat. id est, si potest, occultè: si non potest, utcunque. Quorundam tamen usus est, ut dicant Sin autem, pro eo quod est Si non, quasi in Sin, aut in Autem sit negatio. mirarerq; de uulgo, nisi id apud quosdam præstanteis uiros reperirem: quale est illud in Apocal. Sin autem uenio, & mouebo candelabrum tuum: quum præsertim paulò pòst dicatur, Si quo minùs ueniam. Ego uerò in utroq; dixissem Sin minùs, uel sin aliter. Et in Euangelio: Si ibi fuerit filius pacis, requiesceret super illum pax uestra: sin autem, ad uos reuertetur. Et alibi: Si quidem fecerit fructum: sin autẽ, succides illam. in qbus omnibus Græcè negatio adest. Seruius uult, nonnunquàm Si accipi pro Siquidem, ut ibi: Tua si tibi Mænala curæ: quod mihi minimè placet.

De Quippe, Vtpote, Profectò, Vtiq;, Nempe, Nimirùm, Sanè, Certè. Cap. XXVII.

QVippe, et Vtpote, Profectò, & Vtiq;, Nempe, Nimirum, Sanè, & Certè uel Certò, similia sunt quidẽ in significato, q̃ illud quod modò dixi (de Siquidem loquor) sed ad hoc ipsum proximè accedunt, præsertim duo, Quippe & Vtpote: quæ licèt uulgò accipiantur pro Certè, cui non omnino equidem repugno, tamen malim accipere pro causatiuis, ut Quintilia. Falsa enim est querela, paucissimis hominibus uim percipiendi quæ tradatur, esse cõcessam: pleroſq; uerò laborem ac tempora tarditate ingenij perdere. Nam contrà plures reperias, & faciles in excogitando, & ad discendum promptos. Quippe id est

Li. 1. c. 1.

est homini naturale: ac sicut aues ad uolatum, equi ad cursum, ad sæuitiã feræ gignuntur: ita propria nobis est mentis agitatio atque solertia, undè origo animi cœlestis creditur. Atque licèt huiusmodi dictiones eodèm tendant, tamẽ usu dissident, & quasi diuerso itinere ad idem perueniunt. Vt enim pro Quippe hoc in loco rectè dicam Siquidem, uel Nam, aut Nanq;, uel Enim, aliqua dictione antecedẽte, ad hunc modum: Id enim est homini naturale: ita rariùs per Quoniã, quæ coniunctio habet alium suum usum, qui nulli horum alteri concedatur, ut in hoc Tulliano exemplo: Quoniam utriusq; consilij causam P. C. probatã uobis esse confido: priusquàm de repub. dicere incipio, pauca loquar de hesterna M. Antonij iniuria. Hoc idem per Quippe sic dicam, Priusquàm de republica dicere incipio P. C. pauca loquar de hesterna M. Antonij iniuria. Quippe probatam uobis esse confido causam utriusq; consulij: uel, Quippe quum probatam uobis esse confidam: uel, Quippe qui probatam uobis esse confido uel confidam. Huic similimum est Vtpote, præterquàm primo modo. Non enim habet suum uerbum, quale foret: Vtpote id est homini naturale. In cæteris omnibus usum eundẽ habet. Plinius de naturali histo ria: Vtpote quum quidam annuo & biennij spacio duraverit. Cice. ad Atticum: Me incommoda ualetudo, qua iam emerseram, utpote cùm sine febri laborassem, tenuit. Idem ad eundem: Ea nos (utpote qui nihil contemnere solemus) non pertimescebamus. Et in Philippicis: Lucius quidem frater eius, utpote qui peregrè depugnauit, familiam ducit. Sallustius in Catilin. Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fugam sequeretur.

Philip. 1.

Hic

Hic subiunctiuo, ille indicatiuo usus est. Nonnunq; nàm sine Quum, & sine relatiuo reperitur, & nescio an frequentius, cuiusmodi esset hoc: Antonius aberat a bello, utpote æger, ac iacẽs in lecto. In qua forma etiã reperitur Quippe, ut Quintilian. Si alienum & ignotum, tamen quæ communis omnium mortalium, quippe sub uno parente, naturæ cognatio est, hominem cibo forte iuuissem pœna dignum, uiderer seruasse periturã animam. Titus Liuius libro tertio: Notam iudici fabulam petitor, quippe apud ipsum authorem argumenti peragit. Profectò autem, & Vtiq; sine dubio affirmant: sed hoc secundum * nonnunquàm, aut ferè nunquàm apud Ciceronem, apud posteriores frequenter, ut Quintilianum: Solent huiusmodi negociatores aliquid proprium ac priuatum stipulari, utiq; cùm ad enam remuendunt. Quod non ita solet ad responsionem adhiberi, ut illud alterum, ut Cicero: Quis hoc renunciauit? is profectò qui interfuit. Licet idẽ facere per Certè, ut idem: Tantam solicitudinem bonorum, tantum timorem omnium in quo meminimus? certè in nullo. Et per Nimirùm, ut Quintilianus: Demus id, quod nullo modo fieri potest, idem ingenij studij, doctrinæ peßimo atq; optimo uiro: uter melior dicetur orator? nimirùm qui homo quoq; melior. Sed ut tatum omnium maximè est Nempe, ut Cicero: Apud quem hæc dico? nempe apud eum, qui cùm hæc sciret, me tamen antequàm uidit, reipublicæ tradidit. Nonnunquam sine interrogatione. Horatius enim quandam epistolam sic inchoat: Nempe hoc quæsisti. Et Persius: Nempe hoc assiduè dixit. Quintilia. quoque inquit: Nempe enim in hoc plurimum laboris exhausimus, ut rhetoricen ostẽderemus, bene

*Aliâs nunquàm

benè dicendi scientiã, & utilem, & artem, & uirtutem esse. Sanè, tum affirmatiuè sumitur, ut, Ita sanè, Sanè uerò: tũ pro Valde, ut, Homo sanè nobilis. Interdũ cũ superlatiuo, ut Sueto. de uita Cæs. Bellum sanè difficilimũ geßit. Tum permißiuè, quoties aliquid aduersario tribuimus, ut, Sit sanè ut ais: ut Quintil. Tulerit sanè filius noster meritò pœnas, dederit spiritũ supplicio: nihil de præterito loquamur, quasi esto, ita sit, ut uis. Certè modò, affirmat, modò pro Saltèm accipitur, ut, Non potero tangere? certè potero uidere, uel certè. Ideo dixi quòd pro Saltèm accipitur, quòd hanc eandem sententiam nihil differre puto ab ea, quæ est, Non potero tangere, saltèm, uel, at saltèm potero uidere. Adiungitur autem illud At, quomodò iũgitur Sed cum Tamen: licèt alterum eorum sufficeret. Significat enim nonnunq; At idem, quod Saltèm, ut in illo Vergil. At Mesapus erit. Certè coniuncta cum coniunctione Et, semper affirmat, ut Cicero: Et certè contra Cæsarem est ingressus armatus. Apud Quintilianum. Et sanè frequenter, ut libro primo. Et sanè quis concipiat uel declamantis habitum, uel orantis uocem, incessum, pronunciationem, illum deniq; animi & corporis motum? Certè coniuncta cum Scio, similibusq; uerbis, solet mutare e in o, ut, Certò scio: sicut dicimus, Manifestò scio, pro manifestè, Apertò pro apertè, Liquidò pro liquidè, Tutò pro tutè, & similia.

De Vt. Cap. XXVIII.

VT pro Quippe siue pro Vtpote accipitur sequente relatiuo, ut Quintil. Cùm me, ut cuius interrogato mari non fortunam quisq; nosse, non natales, non patrem poterat, una tamen res faceret apud

quosdam miserabilem, quòd uidebar inique cõparatus. Et alibi: "Iam illud diximus, quanto plus nitoris & cultus demõstratiuæ materiæ, ut ad delectationẽ audientium compositæ, quàm quæ sunt in actu, & contentione suasoriæ iudicialesq; permittant. Vbi est Vt, licet ponere Quippe, uel Vtpote, Quintilianus ut frequẽter utitur, utpote autem raro. Et alibi: Nec ignoro igitur quos trãseo, nec utiq; damno, ut qui dixerim esse in omnibus utilitatis aliquid. Et alibi: Theopompus his proximus, ut in historia prædictis minor, ita oratori magis similis, ut qui anteq; est ad hoc opus solicitatus, diu fuerit orator. Aliquando accipitur quasi pro Secundùm, ut Cicero: "Qui sermo, quæ præcepta, quanta noticia antiquitatis, scientia iuris, augurij, multæ etiã, ut in homine Romano, literæ: id est, secundùm id quod solent scire Romani. Et alibi: "Posteaquàm Clistenem multùm, ut temporibus illis, ualuisse dicendo: id est, secundùm illorum temporum eloquentiam. Et iterum: "Denique hunc proximo seculo Themistocles insecutus, ut est apud nos perantiquus, ut temporibus illis non ita sanè uetus. Et iterum atq; iterum in eodẽ Bruto: "Fuit, ut temporibus illis, luculentus. Erat cum literis latinis, tum etiam Græcis, ut temporibus illis, eruditus. Erat etiã in primis, ut temporibus illis, Græcis doctrinis institutus: quorũ utriusq; orationes sunt, ut Asiatico genere, laudabiles.

Li. 10. ca. 1

De senectute.

Quibus cum literis iungitur Ab & Abs. Cap. XXIX.

AB, cum duabus liquidis, & cum i, quándo fit consonãs, adiungi solet, ut, Ab lêge, Ab legatis, Ab literis, Ab rêge, Ab rogo, Ab re, Ab Ioue. Abs uerò cũ t, ut, Abs te, Abs Tito; interdum uero cum

cum q, ut Terentius: Abs quiuis homine beneficium accipere, gratum est.

De Continuò, Protinus, Statim. Cap. XXX.

COntinuo, Protinus, Statim, quid significẽt, notum est: quibus addita negatione, significatio fit qualis non ideo, ut de oratore Cicero: At si illæ seditiones saluti huic ciuitati fuissent, non continuò si quis motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine, & fraude capitali esset ponẽdum. Quintil. Non autem ut quicque præcipuè necessarium est, sic ad efficiendum oratorẽ maximi protinus erit momenti. Et iterum: Neq; id statim legenti persuasum sit, omnia, quæ omnes authores dixerint, utiq; esse perfecta. Eandem uim obtinet interrogatio, quàm negatio, ut idẽ: Continuò ne, si ille stultè cogitauit, nobis quoque stultè dicendum est? id est, num ideo? Cuius significationis mutatæ hæc causa est, quòd non planè recessum est à prima illa eius & naturali: quasi dicatur, Num aut non propter hanc solam, & se primo offerentem rationẽ. Seruius non est usus hac re eleganter in ea parte, ubi abest negatio, Non quia mulier, statim & ancilla: si autem ancilla, statim & mulier est. Tollendum enim erat posterius statim. Protinus (ut ego interpretor) pro simul siue Etiam aliquando accipitur, ut Virgil. Quin protinus omnem Perlege rent. Quintilia. Traxerat ex firmitate mentis magnam protinus & in membra constantiam. Etenim quod statim fit, quasi simul fit.

Li. 10. ca. 1

Aeneid. 6.

De Tantum abest, Tantumq; non. Cap. XXXI.

TAntum abest, aut unum Vt post se habet, aut duplex. Vnum, sic. Cice. de offic. Tantum abest ab officio, ut nihil officio magis possit esse cõtrarium. Idem pro Marcello: Tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta nondum, quæ cogitas, ieceris. Duplex sic. Idem pro lege Manil. Tantum abest ut aliquam bonam gratiam quæsisse mihi uidear, sic multas etiã simultates, partim occultas, partim apertas subeundas mihi esse intelligam. Quem modum loquendi à Græcis mutuati sumus. Hos autem duos, quos attigi modos, idẽ significare, ex hoc liquebit, quòd alterum in alterum cõuertere licet, sic: Tantum abest ut officium sit, ut nihil officio magis possit esse contrarium. Item, Tantum abes ut maxima opera perfeceris, ut fundamenta nondum, quæ cogitas, ieceris. Rursus, Tantum absum à comparatione alicuius bonæ gratiæ, ut multas etiam simultates, & cætera. Quin, quô planiùs huiusmodi orationis sensus patefiat, resoluamus per Non solũ, ut: Non solùm aliquam bonam gratiam quæsisse non uideor, sed etiam multas, & cætera. Item, Non modò officium non est, uerumetiam nihil magis officio potest esse contrarium. Et, Non tantùm abes à perfectione maximorum operum, sed fundamenta quoq; nondum, quæ cogitas, iecisti. Potest & in Nedum resolui, ut supra docuimus. Sed hoc faciendum legentibus relinquimus. Aliquando Tantum abest, & sine geminatione illa, & sine ablatiuo reperimus, sed perquàm rarò, ut in Curionem Cicero: Tantum abest, ut inflãmares nostros animos, sommum isto loco uix tenebamus. Apud Quintilia. hæc exempla non inueni, sed tale genus loquendi, Si ultra hostium adfectum, qui cæsos acie sæpè tumularunt

Decla. 6.

larunt, ultra tyrannos, ultra latrones, parùm habet non sepelire, nisi aliorũ quoq; officia præciderit, tantũq; non petita exfluctibus aqua restinguit ignẽ. Et alibi: Hoc triste spectaculum, & tantum non ipsi qui fecerat miserandũ. Et iterum: Tantumq; non durum, ac rusticum, & parùm meretricijs artibus queratur educatum. id est, Tantum abest ut restinguat ignem, Tantum abest ut ipse misereatur, Tantum abest, ut queratur durum ac rusticum, ac parùm meretricijs artibus educatum. Valerius in secundo: Tantum non suis manibus deducit: siue propè adest, uel pro propè est. id quod etiam è Græco sumus mutuati.

De Simul, Vnà, Pariter. Cap. XXXII.

SImul geminatum nõ memini me reperisse apud Ciceronem, apud posteriores sæpè, ut Quint. Simul ut pleniori obsequio demererer amantissimos mei, simul ne uulgarem uiam ingressus, alienis demum uestigijs insisterem. Vergil. In proœ. lib. 1.

Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates.

Et iterum:

Accelerat simul Aeneas, simul agmina Troum.

Cicero tamẽ rarò pro Simul dixit Vnà, in Verrem actione secunda: Vnà & id quod facio probabit, unà et in hac caussa profectò neminẽ præponendum mihi esse existimabit. Simul non geminatum, & pariter apud Quintilianum sæpe: Vt homo fortis simul & sapiens: uel, Homo fortis pariter & sapiens. Rarò cum Et geminata, ut Horatius:

Aut simul & iocunda & idonea dicere uitæ.

Cicero pro Roscio: Perditissimi est igitur hominis, simul & amicitiã dissoluere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset.

De Nudiustertius, Nudius quartus, Pridiè & Postridiè. Cap. XXXIII.

NVdiustertius, & Nudius quartus, nec ultra progreditur, sicut Biduo, Triduo, Quatriduo, & Binoctio, & Trinoctio, Quadrinoctio, & non amplius: nisi putamus sine menda scriptum esse in Philip. Nudiustertius decimus. Plautus (ut solet) licẽter, inquit, Nudiustertius, quartus, quintus, sextus, septimus, octauus, & adhuc deinceps, ut etiam millesimum fuerit processurus. Sed cur, quemadmodùm habemus Biduo, & Binoctio, non etiam habemus Nudiussecundus: nempe quia adest aliud uocabulum, & quidem magis proprium, quod est heri. De die autẽ, qui præcessit hesternũ, dicimus Nudiustertius, & de superiore adhuc, Nudius quartus, scilicet nũc de die tertio, uel quarto. De sequenti, Cras: de huic proximo, Perendiè. Cic. ad Atticum lib. 12. Scies igitur cras, ad summum perendiè. Vndè Dies perẽdinus, dies abhinc tertius. Cæsar in Commentarijs: Qui, si per te liceat, perendino die cum proximis hybernis coniuncti, communem cum reliquis belli casum sustineant. Et Comperendinare, differre in longum, de die in diem. Pridiè & Postridiè similimam obtinent significationem ei, cuius sunt Heri & Cras. Est enim Pridiè, quasi heri, non tamen præsentis diei: & Postridiè quasi cras, non præsentis diei, sed cuiusdam alterius, aut præteriti aut futuri. Præteriti sic: Pridiè quàm intrarem mare, lux serena fulsit. Futuri sic: Pridiè quàm intres patriam, sacrificiũ facito, id est, die præcedenti, quo aut mare intrasti, aut patriam intrabis. Item, Postridiè quàm pater mortem obijt, epulum feci. Et, Postridiè quàm uxorem duxero, nauigandum mihi

mihi est. Vel cum genitiuo, sic: Pridiè illius diei, & postridiè illius diei, quo aut hæc feci, uel illa faciam. Vel sine Quàm, & sine Diei, sic: Venit ad me Chremes postridie clamitans: supple, illius diei, quo hæc gesta sunt. Et, Cùm intrauì urbem, audiui hominem pridiè recessisse. Dicimus tamen, Cum has literas dabam, erat pridiè calendas Augusti, uel postridiè nonas: & hodiè est pridiè ludorũ Circensium, cras erit postridiè nundinarum. Refertur enim tale tempus non ad hodiernum crastinumq; diem, sed ad alium quendam, ueluti ad eum, quò hæ literæ legentur. Ideoq; errauit, qui scripsit sic: Cùm eum Romæ domum loquendi gratia adissem, orauit me, dicens, Postridiè ad me redeas. Dicendum erat, Cras: aut sic, Postridiè ut redirem, orauit. Rursus nõ rectè dixisset sic: Cras ut redirem, orauit, sed postridiè. Atq; ut non dicimus Nudiussecundus, ita nec Secundo calẽdas, secundo nonas, secundo Idus: sed, Pridiè calendas, pridiè nonas, pridiè Idus. Item, ut non dicimus Nudiusprimus, ita ne Primo quidem calendas. Primo nonas, Primo Idus: sed, Calendis, Nonis, Idibus. Præterea ex his duobus alterum format ex se * nominatiuum, alterum uerò minimè. Ex pridiè fit Pridianus, ex Postridiè non fit Postridianus, aut in usu non est: sed pro eo abutimur Crastinus, per quod significatur non modò dies sequens hodiernum, sed etiam quemlibet alium. Vergil. Georg. primo:

Si uerò ad Solem rapidum, Lunasq; sequenteis,
Ordine respicies, nunquàm te crastina fallet
Hora, neq; insidijs noctis capiere serenæ.

Eodem quoque modo abutimur Hesternus pro Pridianus. Terent. Iure hesterno panem atrum uorent.

* Ali. denominatiuum.

In Eunuc.

Philipp. 2 *Cicer. Videre uideor alios intrantes, alios exeuntes, quosdam ex uino uacillantes, quosdam hesterna è potatione oscitantes: non de hesterno die loquitur, quia (ut sic dicam) ab illo heri non fuerat factum, cùm hæc dicerentur. Vtimur frequentiùs hoc per abusionem, quàm illo naturali & proprio, quo & ipso frequenter utimur. Suetonius in uita Tiberij: Solennibus ipse cœnis pridiana sæpè & semesa obsonia apposuit. Itẽ in uita Caij: Marcente adhuc stomacho prídiani cibi onere. Bartholus cum Leguleis suis accipit Postridiè pro post tres dies. Vnde consequens fuit, dicere Pridiè pro eo quod est in prioribus & proximis diebus. Nam ita uulgò loquuntur, Pridiè emi domum: quum dicendum sit Nuper, de quo nunc disseramus.*

Nisi putamus sine menda.) Ciceronis locus sic habet Philip. 5. Recordamini qui dies nudiustertiusdecimus fuerit. Et paulò pòst: Legatum uerò ad eum mittere, de quo grauissimum iudicium nudiustertiusdecimus fuerit, non iam leuitatis est, sed (ut quod sentio dicam) dementiæ.

Et comperendinare.) De significatione huius uidè quæ Budæus doctissimè, ut omnia annotauit in prioribus ad, l. 2. De origine iuris.

De Dudum, Nuper, & Pridem. Cap. XXXIIII.

DVdum & Iamdudum, de paruo tempore unius horæ, aut semihoræ, aut duarum horarũ, aut certè breuissimi temporis: Nnper siue Pridem, & Iampridem, de longiore tempore decem aut uiginti dierum, aut mensis, mensium ue, & nonnunquàm annorum, pro conditione materiæ. Item, Dudum & Nuper seu Pridem, de re siue actione, quæ nõ insistit, sed statim transit: Iamdudum & Iampridem, de re siue actione

actione, quæ insistit & immoratur. Illa præteritum utiq; postulant: hæc frequentiùs præsens, nonnunquàm etiam præteritum. Dudum intraui, & Iamdudũ te expecto, id est. hora, aut semihora est, uel duæ, uel tres, uel (ut multùm) quatuor, ex quo intraui, et ex quo te expecto. Sed ipsa actio intrandi nõ insistit, sed statim desinit. Secùs autem expectandi actio. Item, Nuper ex Sicilia redij, &, Iampridẽ ex Sicilia abfum, uel, Iampridem ex Sicilia redij, id est, superioribus diebus, mensibus ue ex Sicilia redij: &, Iam multi dies sunt, uel aliquot menses, ex quo absum ab Sicilia, uel, Ex quo ex Sicilia redij: hîc continuatio intelligitur tẽporis, illic minimè. Hîc significatur mora, qua in hoc loco immoratus sum: illic momentum illud applicationis. Cæterum, quia dixi, Nuper & Iampridem non modò menses complecti, uerumetiam annos, pro conditione materiæ, tale exemplum sit: Nuper inuenta est machina, quam Bombardam uocant, id est, non multò tempore ab hinc. Iampridem Bombarda in usu est, hoc est, iam aliquanto ab hinc tempore in usu est. Cice. de diuinatione: Neq; antè philosophiam patefactam, quæ nuper inuenta est, hac de re cõmunis uita dubitauit. Idem de amicitia: Neq; enim assentior his, qui nuper hæc disserere cœperunt, cum corporibus simul animas interire, atque omnia morte deleri. Quid attinet plura hîc exẽpla repetere, quum nemo aliter locutus sit? Forsan aliquando poëtæ, apud quos legimus Iamdudum pro Continuò, sed ferè in persona loquente, & alios ut maturent hortante, ut Vergil. Iamdudum sumite pœnas. Rariùs Iampridem, ut fecit Lucanus:

Tollite iampridem uictricia tollite signa:

nisi iampridem uictricia dicamus. Quarè Boëthius uidetur malè uoluisse imitari unum locum M. Tullij in Rhetoricis, dicentis: Aliquando respondendū est, primū his, quæ aduersarius nuperrimè dixerit: cùm in commentarijs dialecticis inquit: Hoc autem quod nuper diximus: quum dicere debuisset Vltimò, aut nouissimè, aut postremò, aut proximè. In Saturnalibus quoq; Macrobius: Iamdudum, inquit, hæc quæstio ab Aristotele & proposita & soluta: quum dicere de-
cap. 1. buisset Iampridem, aut potiùs Iam olim. Plinius etiam maior (si uerè scriptum est) lib. 23. sic inquit: Somno uerò ac securitatibus iamdudum hoc fuit, quod illi Helena ante cibū ministrauit. Et iterū lib. 19. Nam dudū ex eâdē Hispania Zoëlicum uenit in Italiam, plagis utilissimum. Et Liuius lib. 41. In eo captiuorū numero, fabri qui dudū fuere assueti apud Pœnos mercede opus in arce Locrorum facere. Pridem autē & Nuper, idem significant. Est autē Nuper, non longo tempore à nunc, interdum non lōgo tēpore à tunc, ut Curtius: Qui nuper ab Alexādro missi erant. Titus Liuius: Tūc hæc ipsa indignitas agebat animos, non in retinēdis modò publicis agris, quos ut tenerent, pertinacem nobilitatē habere, sed ne uacuum quidem agrum nuper ex hostibus captum plebi diuidere. Cicero de oratore libro secundo: Quàm multa de balneis, quas nuper ille uendiderat. Pridem uerò rarum est. Plinius lib. 7. naturalis historiæ: Ipsi uerò pridē uidimus eadem fermè omnia præter pubertatem in filio Cornelij Taciti equitis Romani. Paulus Iurisconsultus: Et non est mirum, si peculium quoque defuncti pridem filij defertur patri. Vlpianus, Tenetur eum ordinem tenere, quem pridem habuit. Modestinus

destinus: Aliteris pridē sibi êditis. Sæpius cum negatione, & cum quam, & cum ita. Plinius lib. 15. Medici non pridem uenêre in Italiam. Cice. pro Roscio Comœdo: Quampridem nomen Fannij in aduersaria detulisti. Idem in Bruto. Fuit enim regnante iā Græcia, nostra autem ciuitate non ita pridem dominatu regio liberata. Papinianus, Idem in uectigalibus nō ita pridem constitutum est, ut sui temporis singuli periculum præstarent. Idem intelligitur in Dudum, quod in Pridem, ut: Quamdudum hîc sedes? respondebis, Non ita dudum, uel iamdudum.

Et iampridem pro longiore.) Cicero tamen aliter uidetur usus, ita inquiens pro Roscio: Quid tu auferre potes à Flauio, si Flauius nihil debet? quidē hoc porrō nunc restipulatur, quod iampridē ipse exegit? Idem familiar. lib. 1. Iampridem ad te misissem. Actione 2. in Verrem: Verùm Quæstores iampridem uenerunt.

Somno uerò.) Emendati codices Pliniani sic habēt: Somno accommodatū ac securitatibus. iamq; dudū hoc fuit quod Homerica illa Helena ante cibū ministrauit.

De Olim & Diu, eorumq; compositis. Cap. XXXV.

OLim & Iamolim, siue Olimiam, Diu & Iamdiu, & Tamdiu habent aliquid cum superioribus affinitatis. Quorum primum apud Ciceronem rarissimum, apud Quintilianum frequēs, qui lib. 8. sic ait: Sed in foro tamen illam iam facilitatem olim desideramus, id est, iamolim. Et alibi: Olimiam Imperator inter fulgentes uirtutes tuas liuor locū quærit, hoc est, iamolim, quod est iam à longo tempore. Olim, pro futuro, non apud poëtas tantum, ut Vergil.

Hunc tu olim cœlo spolijs orientis onustum
Accipies:

sed apud oratores quoq;, ut idem Quintil. Sunt clari Lib. 10

quoq;

quoq; hodiè eiusdem operis authores, qui olim nominabuntur. Poëtæ etiam pro Aliquando, ut idem Verg.

Ac olim seras posuit cum uinea frondes.

Nonnunquàm etiã pro Iamdudum accipitur, ut Curtius lib. 8. Olim enimuerò mero sensibus uinctis, exercitio repẽtè cõsurgit. Diu uerò nihil aliud significat, nisi per longum tempus. Diu nauigaui, Diu equitaui: non autem, Diu receßi, aut, Diu equum ascendi: Sed, Nuper receßi, aut dudum, &, Dudum equum ascendi. Quidam tamen sic loquuntur: Iamdiu est quòd receßi, utẽtes aduerbio pro nomine. Eadem ratio est in Iamdiu & Tamdiu. Ideoq; cauendũ est, ne uerba, quæ momẽtaneã actionẽ significãt, his aduerbijs applices: quale ẽ, Iã diu publicaui opus, Iãdiu duxi uxorẽ, sed, Iãpridẽ: licèt rectè dicatur, Iãdiu est opus publicatũ, &, Iamdiu uxor mihi ducta est, non aliter quàm si dicatur, Opus iamdiu est publicatum. adhuc tamen elimare non desino: &, Vxor mihi iamdiu ducta, adhuc tamen uirgo est. Significatur enim hîc continuatio temporis, quo opus quidem publicatum est, uxor uero ducta manet ac perseuerat: quod in illo superiore non fit. Ideoq;, Tuba dudum aut iamdudũ sonuit, non, Iamdiu sonuit: Iam diu mortuus est, non, Iam diu animam emisit, sed dudum: & idem in cæteris.

Quidam tamen sic loquuntur.) Est ubi reperias aduerbium pro nomine usurpatum, tametsi hoc nõ périnde uideatur arridere Laurentio. Cicero pro Quintio: Quàm longè est hinc in saltum uestrum Gallicanum: Idem ad Q. Fratrem lib. 1. Hoc de genere nihil nũc quidem te moneo serò est enim. Plaut. Agitè pingui, iamdiu est quòd uentri uictum non datis.

De Velut, Sicut, Quasi, Tanquàm, & similibus, Cap. XXXVI.

Velut, & Veluti, & Vti, tria hæc similiora sunt in significatione illis tribus, Quasi, Tanquàm, Ceu, quàm alijs tribus, Sicut, Sicuti, Vt. Ea enim sex superiora imaginem innuunt, hæc tria posteriora similitudinem: quanquàm Vt potest uideri generale & commune cum omnibus, nec non Vti, cuius proprie significatio est quæ Vt. Tu iracunderis tanquàm leo, quasi canis, uelut ursus, est metaphora: Tu iracunderis sicut uel sicuti leo,, comparatio est. Ibi enim dico te leonem: hîc autem leoni similem. quod hinc probatur, quòd illud resoluitur per uerbum substantiuum, hoc per idem uerbum. Tu iracunderis tanquàm leo, id est, tanquàm leo esses. Iracunderis sicut leo, id est, sicut leo irascitur. Atqui quomodò hoc ipsum probatur, quòd ita hæ orationes resoluantur potiùs, quàm econtrariò? Nempè q; cũ huiusmodi uerbis coniunctas inuenimus, ut: Tu incedis uelut esses rex: non autem, sicut esses rex. Rursus: Tu incedis sicut incedit rex: non autem, uelut incedit rex. ita in similibus. Ego sentio sicut Plato, supple, Sentit: non sicut Plato essem. Ego dico sicut anteà, supple Dixi, nõ sicut anteà fui. Possunt tamen illa quæ dixi, resolui per idem uerbũ, sed non in indicatiuo, ut: Tu incedis, uelut incederet rex. Adeò illa, quæ habẽt præpositionẽ, uix aliter resolui possunt. Ego uenio ad te tãquàm ad Deum: non est dicendum, tanquàm Deus esses, sed tanquàm ad Deum accederem. Denig; hæc subiunctiuũ postulant, alia indicatiuum. Seruius pro Sicut, posuit Velut, undecimo Aeneid. Nam diadema uelut aliarum Italarum gentium rẽges non habebant. Si uelim afferre exempla uiuentium, plura possem inelegãter dicta: sed unum interim afferam, qui ita è Græco interpretatur

Velut

tatur: Nam ueluti iustum est in eos animaduertere, qui aliquid perperam patrarunt: ita his, qui nos beneficio fouerunt, referre gratiam decet: Veluti pro Sicuti posuit. Sed deceptus est: quia Græci ista non distinguunt. Aliquando ne nos quidẽ distinguimus, utiq; cùm quædam enumerantur, postea aliquid exẽpli subiungimus, ut apud Ciceronem Offic. primo: Tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur, uelut ex ea parte, quæ prima descripta est. Idem de natura deorum: At quid tam temerarium, tamq; indignum sapientis grauitate atq; constantia, quàm aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, pro cognitum, sine ulla dubitatione defendere: uelut in hac
Cap. 56 quæstione. Plinius naturalis historiæ libro secundo: Præter hæc inferiore cœlo relatũ in monumẽta est lacte sanguineq; pluisse M. Attilio, M. Porcio consulibus. Et sæpe alias carne, sicut L. Volumnio Seruio Sulpitio consulibus. Exq; ea non perputruisse, quod non diripuissent aues. Et iterum: Quidam ro ammes odio maris ipsa subeunt uada, sicut Arethusa fons Syracusanus, in quo redditur iacta in ueum, qui per Olympiam fluens, Peloponesiaco litori infunditur. In hoc igitur solo modo loquendi, uelut cum Sicut similitudinẽ habet, cũ reliquis illis, quæ iam enumerauí, dissimilitudinem, quæ nequaquàm licet ponere in tali genere sermonis. Significant enim imaginem, id est, non ipsam planè ueritatem: aliquando tamen propè ipsam quoque ueritatem, tum affirmando, tum uerò negando, ut, Pater tu non amas me quasi filium, imò te fili amo quasi filium. Ego non amplector illum uelut filium, licèt mihi filius sit. Ille diligit me tanquàm filium, licèt non attineam: hic planè imago est.

est. Habet autem Quasi quiddam proprium, quale est: Obijcis mihi quòd uxorem repudiauerim, quasi tu idem non feceris, uel quasi uerò. Quæ exempla nusquàm non plurima sunt. Vti etiam accipi solet pro Vt, & hæc duo pro Quod. Vergil.

Nanq; uidebat uti bellantes Pergama circùm
Hac fugerent Graij.

Quintilianus: Neq; ego grauissimum patrem suprema sua iuueni iactasse crediderim, ut hæredem filium scriberet. Ceu magis est poëtarum: sed quo multi, & præsertim Plinius, utuntur. Quidam indoctè his temporibus utitur pro Sicut. Declam. 3

Seruius pro Sicut.) Sic & Tanquàm sæpè usurpatum inuenies. Cicero in Bruto: Ita tanquàm Curio copia nonnulla uerborum, nullo alio bono, timuit oratorum locum: sic Lentulus & Plinius Nat. hist. libro nono cap. tricesimosexto: Vt tanquàm in uictu frugum noscitur ratio: sic omnes qui istis gaudẽt, præmia uitæ suæ calleant.

De Non quia, & Non quòd, de Quô & Vt quia, Vt quod, Cap. XXXVII.

NOn quia negem hoc benè esse compositum, sed quia legem hanc esse componendi in omnibus principijs recusem. Iterum idem Quintil. Et febrem quiete & abstinentia, non quia rationem uidebat, sed quia ualetudo ipsa coẽgerat, mitigauit. Iterũ: Quod ego non idcirco potissimùm in hac parte tractare sum aggressus, quia non in cæteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quàm diligentissimè putem, sed quòd magis eius rei necessariam mentionem facit ætas ipsa discentium. Iterum: Non quia prodesse unquàm satis sit, sed quia hoc prospicere debet, ne quid peius

peius, quàm fecerit, faciat. Ex his exemplis uidere licet, nunc bis. Quia, repeti, nunc unũ Quia esse, & unum Quòd. Et ubi est Quia, ibi semel bis'ue posse esse Quòd. Præterea in secundo membro nũc indicatiuũ, subiunctiuũ, nunquàm tamen idem reperiri uerbum, præsertim modo uerbi mutato, ut fecit quidã, qui ait: Non quia amicus non essẽs, sed quòd ita amicus eras: quum dicere debuisset, Non quia nõ amicus, sed quia, uel, sed quòd ita amicus esses. In quo illud obseruatione dignum, de caussa efficiente dicendum esse Quia & Quòd: de finali, Quô uel Vt. de duobus prioribus exempla inspeximus: de posterioribus Cice. in Philippicis: Non ut proficerem aliquid, siue, non quô proficerem aliquid. Quidam ignari huius differentiæ, scribunt non raro Quô pro Quòd, ut apud eundem & eodem in loco: Primùm igitur acta Cæsaris seruanda censeo, non quô probem: quum scribendum sit Quòd, pro eo quod est Quia. Quid significet certè quòd in altero membro est Quia, cùm dicit: Sed quia rationem habendam censeo pacis atq; otij. Et nemini dubium est, Quòd resolui per Quia: & Quô, per Vt: & hoc in loco à Cicerone significari caussam efficiẽtem, cui competunt Quòd & Quia: non finalẽ, cui competunt Quô & Vt. Quod liquidè probatur, cùm in eadem sententia de utraq; caussa fit mentio: quale est, Non castigo te, quòd odio habeam, sed quô meliorem efficiam. In primo mẽbro est caussa efficiens, in secundo caussa finalis. Mutemus iterum caussas sic. Castigo te, non quòd odio habeam, sed quòd amem. Rursus, Non castigo te, quô uoluptatem ex contumelia tua contraham, sed quô meliorem reddam. Vbi est Quòd, illic posse poni Quia & ubi Quô, illic Vt, uel duplex, uel simplex, iam dictũ est.

Philipp. 1.

De

De finali Quô.) Per Quô efficiens quoq; causa significatur, non solùm finalis. Cic. pro Quintio: Non eo dico Cai Aquili, quô mihi ueniat in dubiũ tua fides & constantia: aut quô non ijs, quos tibi aduocasti, uiris electissimis ciuitatis, spem summã habere P. Quintius debeat. Ibidem: Non quô ei deesset ingenium: nam neq; parùm facetus scurra Sex. Neuius, neq; inhumanus præco est unquàm existimatus. THEOD.

De Facio ut, & Committo, ut. Cap. XXXVIII.

INuitus feci, ut C. Flaminium de senatu eijcerem. Et alibi idem Cice. Faciundum puto, ut paucis ratio nem nostri consilij demus. Et Quintil. Quòd si nemo miratur poëtas maximos sæpè fecisse, ut in principijs operum suorum Musas inuocarent. Discrimen habet hic loquendi modus ab altero. Alibi nanque fit aliud propter aliud, ut cùm quis inuigilat diligentiùs faciendæ mercaturæ, cur id faciat, interrogatus, Vt liberi mei honestius uiuant, respondebit. Aliud est ergo quod ipse facit, aliud propter quod hoc ipsum facit. Non ita in exemplis à me modò recitatis. Quid Cato fecit, ut Flaminium eijceret de senatu? Nempè hoc ipsum quod fecit. Quid faciunt poëtæ, ut musas inuocẽt? Nempè nil aliud, nisi quod musas inuocãt. Idẽ est igitur in genere huiusmodi principiũ, & finis siue opera & effectus. Idem fecit Cicero quodã in loco, in uerbo Committo: Qui secundùm naturam uiuere uolet, nunquàm committet, ut alienum appetat: & quod alteri detraxerit, sibi assumat. Idem est hoc, ac si dixisset, Qui secundùm naturam uiuere uolet, nunquàm alienum appetet. ut in superioribus: Inuitus C. Flaminium de senatu eieci: & paucis ratio nostri consilij est reddenda: & ita in cæteris. De senc. Lib. 3. off.

De Quòd & Cùm. Cap. XXXIX.

QVòd & Cùm, quiddam peculiare in oratione exhibẽt, ut in Bruto Cicero: Augebat etiam molestiam, quòd magna sapientum, ciuiumq; bonorũ penuria iã in ciuitate esset. Idem ad Sulpitiũ: Quo in periculo nonnihil me consolatur cũ recordor hæc me tũ uidisse. Quid est quod augeat Ciceroni molestiã? aut quid eũ cõsolatur? uel quòd magna penuria sapientũ esset, uel cùm recordaretur suæ prouidẽtiæ? Nempè hoc ipsum, quòd magna penuria sapientum esset, & quòd illud suum consilium recordaretur. Idem est igitur id, in quo molestiã consolationem'ue capit, & propter quod ipsam molestiam ac consolationem capit:

Quæ de caussa, Vt, Tamen, & similia abijciuntur quandoq; ab oratione. Cap. XL.

SAepè admirari soleo, quòd nunquàm tibi grauem senectutem esse senserim. Quid miraris Scipio te non sensisse, quod sentire non posses? Quippe quod nunquàm fuit. Miraris quòd nunquàm senseris me fuisse luscum, qui nunquàm fui. Mirandum potiùs foret, si sensisses me luscum aut grauiter tolerantem senectutem. Verùm sic locutus est Scipio cum Catone, quasi diceret: Miror senectutem tibi, ut sentio, non esse grauem. Et alibi idem Cicero: Declarat autem studium bellicæ gloriæ, quòd statuas quoq; uidemus ornatu ferè militari: non quod uidemus, sed ut uidemus, quòd sunt statuæ ornatu ferè militari, declaratur studium bellicæ gloriæ. Et alibi: Non tam me ista fama delectat, falsa præsertim, quàm quòd spero amicitiæ nostræ memoriam sempiternam fore: pro eo quod est, Quàm q; amicitia nostra (ut spero) sempiterna erit. Et

Lib. 1. off. de magna ni.

In Lælio.

Et alibi: Num etiam contemnitis, quòd sensistis tam charam populo Romano Auli Hirtij uitam fuisse? pro eo quod est, Quòd, ut sensistis tam chara uita Hirtij populo Romano fuit. Et alibi: Et eo studiosiùs hoc negocium suscepimus, quòd te non sine causa uelle cognoscere rhetoricam intelligebamus: pro eo quod est, Vt intelligo, non sine caussa uis cognoscere rhetoricam. Quintilianus in secundo: Sicut Polycratem cũ Busirim laudaret, & Clytemnæstram, quanq; is, quod his dissimile non est, composuisse orationem, quæ est habita contra Socratem dicitur: Non est hoc, quòd cõposuisse dicitur orationẽ contra Socratẽ, simile illi, q; laudauit Busirim, & Clytemnæstrã: sed hoc ipsum, quòd composuit orationem, ut dicitur. Nanq; dum fortius opus permisit ætas, terram manibus subegi, & difficultatem labore perdomui, & inuito solo nonnihil tamen fœcũditatis expressi: subintelligo quamuis, sic: Quamuis solũ esset inutum, tamen nonnihil expressi fœcũditatis. Et in his pristinè fortunæ reliquijs miseris & afflictis, tamẽ haberet quosdam, quorum animos ne supplicio quidem suo satiare posset. id est, quamuis reliquiæ pristinæ fortunæ miseræ sint & afflictæ, tamen haberet quosdam, & cætera. Illud hoc loco non omittamus, quærentes ubi est Quamuis, Licèt, Etsi, Quanq;, similiaq;, & Tamẽ, unde incipienda sit construi oratio? Vtrinq; prohibetis: sed nimirùm à uerbo, cui adhærebat Tamen, ipso Tamen excusso: quod idcircò in ligatura & quasi iunctura orationis insertũ est, q; oratio undè nõ debuerat, inceperat: ut, Etsi uereor iudices, & cætera. Quòd si à principali uerbo cœpisset, superuacuum fuisset inserere Tamen. Nunc igitur, cũ rectè inchoatur, illam

Lib. 1. ad Heren.

Quintil. Decla. 12

Exordiũ est orationis pro Milone.

dictionem ut superfluam, quasi functam officio suo de bemus abijcere.

De Dúntaxat. Cap. XLI.

DVntaxat, licèt idem significet quod Solùm, tamẽ ferè solet aliter in orationis serie dispo ni, nec recipere post se illud Sed etiam, ut Solùm, ut Tantùm, ut Modò faciunt. Cicero pro Deiotaro: Quod ipsum & si non iniquum est, in tuo dúntaxat pe riculo. Et de Oratore: Ita loquamur, ut ei tradamus
Cap.3. ea dúntaxat, quæ nos usus docuit. Quintilianus in un decimo: Ergo cùm iudex in priuatis, aut præco in pu blicis dicere de caussa iusserit, leniter consurgendum, tum in cõponenda toga, uel (si necesse erit) ex integro injicienda, dúntaxat in iudicijs: apud principem enim, & magistratus, ac tribunalia, nõ licebit. Paulò pòst: Narratio magis prolatam manum, amictum reciden tem, gestum distinctum, uocem sermoni proximam, ac tantùm acriorem, sonum simplicem frequentissimè po stulabit in his dúntaxat. Caius tamẽ & Paulus præ ter morẽ hac dictione sunt usi. Alter enim ait sic. ff. lib. 50. tit. 16. cap. 235. Fabros tignarios dicimus, non eos dúntaxat qui tigna dolarent, sed omnes qui ædifi carent. Alter sic: ff. lib. 26. tit. 7. cap. 11. Quum tutor non rebus dúntaxat, sed etiam moribus præponatur: in primis mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonij, pro dignitate natalium constituet. Semel quoq; Titus Liuius lib. 46. Nec animum uobis dúntaxat fidelem ac bonum præstitit, sed omnibus interfuit bellis, quæ gessistis.

De Quandoquidem, Quandô, & Quátenus. Cap. XLII.

Quandoqui-

QVandoquidem & Quandô, idem significant, & significant Quoniam. Cicero & Vergilius frequentiùs superiore utuntur, Quintilianus posteriore. Cicero igitur de Oratore: Quæ sunt in hominum uita, quãdoquidem in ea uersatur orator, at que ea ei subiecta materia, omnia quæsita, audita, le cta, disputata, tractata, cognita esse debent. Vergil.

Quandoquidem Ausonios coniungi fœdere Teu Aeneid. 10
ris. Sine Quidem.

Hic tibi, fabor enim, quandô hæc te cura remordet. Aeneid. 11
Mirorq; cur Priscianus illud Vergilianum Quan dô pro Aliquando exposuerit, quod accipiendum est pro Quoniam:

His se, quandô ultima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis. 2. Aeneid.

Quintilianus: Quandô igitur orator est uir bonus (is autem citra uirtutẽ intelligi non potest, uirtus etiam si quosdã impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est) mores ante omnia oratori studijs erunt excolendi. Eiusdem significati est Quatenus, apud se culum dúntaxat Quintiliani. Is ita ait: Sed quátenus luctus nostri in ius uocantur, & flenti disputandum est, & orbitati suæ mater irascitur, superemus, quam exorare non possumus. Et eius discipulus Plinius iu nior: Et quátenus negatur nobis diu uiuere, relinquæ mus aliquid, quo nos uixisse testemur. Nam Cicero dixit Quátenus solummodò pro Inquãtum, sicut Eá tenus pro intantum. Vt in Lælio, Videndum est quá tenus amicitiæ tribuendum est. Seculum autem Quin tiliani à Liuio, Vergilio, Horatio exordior, quorum ultimus in sermonibus sic ait:

Surrentina uafer, qui miscet fece Falerna

Vina, columbino limum bene colligit ouo,
Quatenus ima petit, uoluens aliena uitellus.

THEOD. Mirorq; cur Priscian.) Iniquius hic Valla carpit Priscianum. quare locũ integrum adscribam ex lib. Grammat. 15. ut quiuis inspiciat, iniuriam Prisciano Laurentium intulisse. Quando autem (ait Priscianus) & interrogatiuum, & relatiuum est, & infinitum. Interrogatiuum, ut, Quando uenisti? Relatiuum, ut, Quando eram iuuenis peccaui. Infinitum, Quando ueniam faciam. Accentu tamen discernitur, quo modo & nomina interrogatiua, & relatiua. Inuenitur tamen etiam pro Aliquando, & pro causali coniunctione. Vergil. in 10.

Aspera quis natura loci dimittere quando
Suasit equos.

Quando pro aliquando. Idem in 1. Aeneid.

Hic tibi, fabor enim, quandô hæc te cura remordet,

De Igitur, Ergo, Quarè, Quamobrem, Quapropter. Cap. XLIII.

IGitur atq; Ergo, breuioribus adhibentur conclusionibus: Quare, Quamobrem, Quapropter, maioribus: nisi ita dicas: Nescio quarè sic loquaris, intelligo quamobrem sic facias. Illud autem primum, quod protuli, sæpè ad significandam coniunctionem partium orationis adhiberi solet, & ferè post aliquam rem interiectam, quasi in hũc sensum (Vt autem continuem, aut ut pergam ad sequentia: ac ne sim longus in exemplo, ut necesse foret, afferam breue ex poëta sumtum)

Vergil. in Bucolicis. *Et certamẽ erat, Corydon cũ Thyrside magnũ,*
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere uersibus ambo
Cœpere.

Ergo, etsi rariùs, tamen nonnunquam & hoc modo usurpatur.

De

De Adeò, Vsqueadeò, Vsqueeò & Tantò. Cap. XLIIII.

ADeò exponunt pro Valdè, ut Terentius: Iuuenem adeò nobilem. Significat etiam Intantum, nonnunquàm sequẽte, Vt, nonnunquàm non sequente, ut apud Quintil. Cuncta (si uidetur) iura percurrite: nusquam adeò pro nobis solicita lex est, ut quod præstat, extorqueat: dedit cæco talionis actionẽ, non manus recusantis impellit, iniuriarũ, cædis agere permisit, sed non cogit inuitos, adeò penè leuius est ultionem perire, quam potestatem. Genus seruitutis est coacta libertas. Hic eadem sententia fuerit, si dixero, Adeò, ut penè leuius sit ultionẽ perire, quàm potestatem. Nam sæpè hoc modo legimus Adeo positũ cum uno uerbo, nõ cum duobus: quale fuerat exemplum superius, ut apud eundem: At cùm protinus respondendum est, omnia parari non possunt, adeò ut paulò minùs promptis etiam noceat scripsisse, si alia ex diuerso, quàm opinati fuerint, occurrerint. Licuisset hoc etiam sic dicere: Adeo paulominùs promptis etiã noceat scripsisse. Idem efficit Vsqueadeò & Vsqueeò, ut apud eundem: Hinc tumor, & uana de se persuasio, usqueadeò, ut illo discipulorũ tumultu inflati, si parùm à præceptore laudẽtur, ipsi de illo malè sentiant. Sine Vt, & per indicatiuum, apud Ciceronem: Ne si quando ei dicendum erit de iusticia, de fide, mutuetur à Platone, qui, cùm hæc exprimenda uerbis arbitraretur, nouam quandam finxit in libris ciuitatem: usqueeò illa, quæ de iusticia dicenda putabat, à uitæ consuetudine, & à ciuitatum moribus abhorrebãt. Multi adhunc ipsum modum usurpant Tantò.

In Eunu.

THEOD. Idem efficit Vsqueadeò.) Vsqueò nõ raro prõ eo quod est Tamdiu, usurpantur, & ferè additur dum, uel donec, uel Quoad. Cato de re rust. cap. 56. Vbi Vineam fodere cœperint, panis P. V. Vsqueadeò dum ficus esse cœperint. Idẽ cap. 67. Fraces quotidiè ejiciat, amurcam commutet usqueadeò donec in lacũ, qui in cella est, postremum peruenerit. Cice. pro P. Sestio: Atq; hoc scitis omnes, usqueadeò hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit Sestium uiuere. Idem act. 5. in Verrem: Liciti sunt usqueeò, quoad se efficere posse arbitrantur. Colu mel. lib. 12. cap. 22. Spatha lignea permisceto quam sæpissimè, usqueeò dum ea, quę addideris, in pice colliquescant. In illo Catonis de re rust. cap. 40. Librũ ad librũ uorsum facito, arcitoq; usqueadeò quò prȩacueris: pro Quatenus positum uidetur.

De Quin & Quinetiam. Cap. XLV.

Q Vin pro Quinetiam, siue Atq; etiam. Verg.

1. Aeneid. Quin aspera Iuno,
Quæ mare nũc terrasq; metu, cœlũq; fatigat,
Consilia in melius referet.

Quin pro Vt non, ubi desideratur utiq; subiunctiuum uerbum, idemq; non principale, ut idem:

3. Aeneid. Hìc tibi ne qua morȩ fuerint dispendia tanti,
Quin adeas Vatem, precibusq; oracula poscas.

Quin pro Cur non, semper interrogatiuè & per indicatiuum. Idem:

Quin tu aliquid saltèm potiùs quorũ indiget usus
Viminibus molliq; paras detexere iunco?

Nescio quid uiderit Seruius, qui hunc locum exposuit per Quinetiã. Sed duo priores sensus nulgò sunt noti, in carmine & in prosa frequẽtes & obuij. De tertio afferam ex oratoribus quoq; exẽplum. Cice. pro Rabirio: Quin compescitis istam uocem indicem stultitiȩ, testẽ prauitatis? Quintilianus in paupere amatore: Quin tu potiùs admittis iuuenis cõsilij rationẽ? Quin

Quin pro Quinetiam.) Quin pro Qui nõ, frequens est apud Ciceronẽ: ut in Verrem act. 7. Quis est uestrum Iudices quin intelligatur? Et iterum: Ecquis fuit quin lachrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum & ibidem: Tamen in tanto conuentu nemo erat quin rationem numerumq; haberet. THEOD.

De Secundùm præpositione. Ca. XLVI.

SEcundùm nonnunquàm pro iuxta & post. Verg.

Dulcibus illa quidem illecebris, aut plena secundùm Flumina.

Quintilianus in pariete palmato, Tu iaces secundùm occasionẽ, & expeditum tibi in proximo facinus est. Sulpitius: M. Marcellum post cœnæ tempus à Magio Syllone familiari eius pugione percussum esse, & duo uulnera accepisse, unũ in stomacho, alterum in capite secũdùm aurẽ. Hìc Iuxta significat. Item, quod ab altero secundum est, id iuxta est, atque post. Ideoq; Secundùm pro post accipitur, quasi secundo loco. Idem Quintilia. in Gladiatore: Nam quod unum mihi secundùm patrẽ fortuna uidebatur parasse præsidium, id ego sperare in illa sorte non poteram. Cicero: Proximè autem & secundùm deos homines hominibus maxime utiles esse possunt. Idem. Appellat L. Annium, qui erat institutus secundùm filiam. Liuius lib. nono: Hetrusci belli fama exorta est, nec erat ea tempestate gens alia, cuius secundùm Gallicos tumultus arma terribiliora essent. Secundùm etiam accipitur pro eo quod est pro, ut, Secundùm te litem do. Secundùm me iudica. Secundùm se iudiciũ des, id est, pro me, pro te, pro se. Et pro in, ut, Secundùm quietem, id est, in quiete somni. Secundùm autem Platonem, secundũ Pythagoram, sensus hic notissimus est.

De Iam & Iamiam. Cap. XLVII.

IAm eleganter usupari solet aliquando quasi pro Tunc, ut Cicero: Ipsa uerba compone, & quasi eo agmẽta (quod ne Græci quidem facit itarunt) iam nemi nem antepones Catoni. Quinti. Quòd si satis prudenter ea uiderint, iam propè consummata fuerint præcipientis opera. Aliquando significat præterea, quasi nodus quidam inter sententias, ut Vergil.

Iam maris immensi prolẽ, & genus omne natantũ,
Iam uarias pelagi uolucres.

Huiusmodi exempla sunt crebra. Idem efficiet iunctum cũ Verò. Iam uerò urbibus constitutis, & cætera. Iamiam de futuro palàm est quid significet, ut, Iamiam aderit. Et de præsenti, licèt ad futurũ resolua

2. Aeneid. tur, *Iamiamq; manù tenet, & premit hasta, quasi,* Nunc tenebit. Nonnunquàm figuratè per indignationem, miserationem ue accipitur, ut idem Vergil.

Iamiam nec maxima Iuno,

4. Aenei. *Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.*

Cic. in Verr. Iam Dolabella neq; me tui, neq; tuorũ rum liberorum, quo te aliqui innocentem putant casu, miseret. Quintil. Iamiam mâlo uenena, ferrũ, subitos ictus, improuisamq; mortem, qui incæstum non credit, torquere non debet: qui credit statim debet occidere. Et hæc per indignationem. Per miserationem uerò, Sallustius in Iugurt. Iamiam animo meo charissime frater, quanquã tibi immaturo, & undè minimè decuit, uita erepta est: tamen lætandum magis quàm dolendum puto casum tuum. Per exhortationem quoq; ut apud Quintil. Iamiam commilito quicunq; casus manet, etiam si te imperator damnaturus est, habes solatium: satius est quàm à patre occidi.

De

De Tantisper, Paulisper, Aliquantisper, Parumper, & similibus. Cap. XLVIII.

TAntisper, ferè postulat post se Dum pro Do nec, siue Quamdiu: nã & Donec duobus modis accipitur. Dabo operam uoluptatibus, donec moriar, id est. usq; ad mortem: &, Dabo operam uoluptatibus donec uiuo, id est, quàm diu uiuo. Eiusdem naturæ est Dum. Ideoq; in priore sensu amat subiunctiuum, in posteriore indicatiuum more Donec, ut apud Ciceronem: Deinde est in carcerem ductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem coniectus deferretur, compararetur. Terentius: Ego, te meũ esse, dici tantisper uolo, dum quod te dignum est facis. Sunt tamẽ qui pro Tantummodò accipiẽt. Sunt qui etiam pro Interea. Cætera quoq; sic à Per composita, ad temporis breuitatem referuntur, Parumper, Paulisper, Aliquantisper: Sunt qui per imperitiam hæc accipiũt pro suis primitiuis, quæ sunt Parùm, Paulùm, aliquãtulum.

Donec. Dum. In Heaut.

Eiusdem naturæ est dum.) Dum, sequente Ne, uenustissimum habet usum in significanda exceptione. Cato de re rust. cap. 33. Quamaltissimam uineã faciro, alligato q; rectè, dum ne nimium constringas. Liuius decad. 1. lib. secũdo: Verginius dicere, passurũ se adsignari agros, dum ne cui, nisi ciui Romano, adsignaret. Qui loquendi modus etiam per Modò ne solet enunciari. Gellius libro 1. cap. 3. Declinandum sit de uia, modò ne summa turpitudo sequatur. THEOD.

De Ferè & Temerè. Cap. XLIX.

FErè significationem habet non omnibus notam, nisi quãdo significat penè: cuius significatio est, Paulùm abfuit quin, ut penè, siue ferè in manus hostium incidi. id est, paulùm abfuit quin in manus hostium inciderem. Altera significatio est, cùm subintelligitur

igitur aliqua uniuersalis, ut Quintil. Hæc sunt ferè emendatè loquendi, scribendiq; partes. id est, ferè omnes. Ideoq; illud Omnes adiungitur, ut idem: Nam in omnibus ferè minùs ualēt præcepta, quàm experimenta. Similiter de loco, de tempore, similibusq;, ut: Vtor ferè hac ueste in faciēdis sacris. id est, in omni ferè tēpore: ferè Romani orbē subegerunt. id est, ferè totū orbē. Ferè fit, ut iuuenes ament. id est, ferè, ubiq;. Cuius significatiōis imperiti corruperūt illud Ciceronis de amicitia. Memini illū in eum sermonē incidere, quitum ferè multis erat in ore: quum scribendum sit Quitum ferè erat in ore. id est, ferè omnibus. Pro ferè accipitur Temerè apud omnes post Ciceronem natos,
Li. 1. ca. 4 ut Quintilianus: Illud ingeniorum uelut præcox genus non temerè unqàm peruenit ad frugem. Sunt enim quædam, quæ sequens ac proximum M. Tullio seculum adiungēda existimauit: ut Proculdubiò, Obitèr pro specialiter, tali causſa, uel pro statim, Quoties pro quando. Nam Cicero ferè nunquàm utitur, nisi addat Toties. Citra pro Sine, ut ibi: Plusq;, si sapere, usus sine doctrina, quàm citra usum doctrina ualeat. Interim, pro aliquando. Meo nomine, Tuo nomine, Hoc nomine: pro, Mea, tua, hac causa, siue hoc respectu, ut ibi: Minùs est quod flendum meo nomine, quàm quod illius gaudendum est. Et alibi: Ago animo gratias hoc solo nomine crudelissimis fatis, quòd maximum facinus non in prima cui mei parte posuerūt. Cicero rarissimè, ut in Bruto: At uerò, inquàm, ego tibi Brute non soluam, nisi prius à te cauero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum. Et pro Sylla, An cùm tāto imperio, tantaq; potestate non dicis fuisse regem, nūc priuatum regnare dicis, quo

quo tandem nomine? Sed hoc declinabile est. Nunc autem de indeclinabilibus agimus, qualia & hæc sunt: Alioqui, Aliâs, Nihilominus, Super, & Supra, diuersiùs aliquantulum à Ciceronis usu. de qua differentia in commentarijs à me in huius orationes, & illius declamationes componendis, disseretur.

Promittit commēta ria in Ciceronis orationes & Quintiliani declamationes.

De Perinde, Próinde, Súbinde, Identidem, Itidem, & Item. Cap. L.

PErinde flagitat post se Ac si, uel Atq; si, cū significatio eius sit ita, ut, Fac pērinde ac si tua res esset, id est, ita quasi. Cum negatione uerò etiam Quàm, ut Suetonius de uita Domitiani: Nulla tamē re pērinde motus, quàm respōso casuq; Asclitarionis Mathematici. Quod si nō sequatur nec Ac si, nec negatio, accipietur pro Aequè, ut Plinius iunior: Funus Ruffi clarissimi uiri & pērinde felicissimi. Pro ita, id est, quod est multum, ut idem Suetonius de uita Galbæ: Quarè aduētus eius nō pērinde gratus fuit. Próinde idem est quod Ideo, uel potiùs Ideoq;: semper enim dependet à superiore sentētia. Quidam, quorum est Lucretius, accipiunt Próinde in eam significationem, quam dedimus Pērinde, ubi Próinde duas syllabas habere facit. Súbinde reperitur pro Inde uel Dēinde, Statim, ut T. Liuius lib. 3. Súbinde arreptus à Publio Numitorio Spurius Oppius. Et Horatius ad Celsum: Si dicet rectè, primùm gaudere, sūbinde Præceptū auriculis hoc instillare memē to. Etiam pro identidem siue Frequenter cum quodam interuallo, ut si iter faciens crebrò ad comitem respiciam, an me sequi possit, dicam, Súbinde respicio: Cicero autem diceret Identidem. Nam Súbinde uti non solet, ne æquales quidem eius Varro, Sallustius,

Cæsar

Cæsar, licèt illi utãtur nouissimo pro ultimo, multiq; alij, quod Cicero nõ facit. Itidem & Item significant id quod similiter. Hæc omnia ab Inde cõposita, Priscianus, multiq; alij pronunciari uolunt accentu in antepenultima syllaba, qualia sunt (ut eidem placet) composita à Quando, Aliquando, Siquando, Nèquando, Núnquando. Est enim hoc ultimum & ipsum compositum. Ideoq; per n, in tertia litera scribendum est, non per m, pro eo quod est num aliquando. Est autem huius monosyllabæ significatio penè eadem, quæ An, subintelligitq; utiq; negationem, ut: Num ego te spoliaui? quasi dicat, ego non te spoliaui. At quoties per negationẽ interrogamus, subintelligitur affirmatio, ut: Non ego te spoliaui? quasi dicat, ego te spoliaui. Affirmatiua autẽ responsio hæc propria est, Etiam ut: Vidisti me hodiè? si uidi te, respondere debeo, Etiã, uel Sic. Plinius ad Tacitum: Studes, inquã, respondet, Etiam. Vbi? Mediolani: Vulgò autem respondemus. Ita: neque hoc sine authoritate. Simo apud Terentium dicenti Dauo, Mihi' ne' respondit. Ita.

Prisli. 15

In And.

THEOD. Perinde flagitat.) Has quoque dictiones, Quasi Tanquàm, Quàm, ut, & Ac, admittit périnde. Cicero pro Cluent. Périnde quasi ego non ab initio huius defensionis dixerim, inuidiosum fuisse illud iudicium. Liuius ab urbe cond. libro quarto. Et perinde hoc ualet, plebeius'ue consul fiat, tanquàm seruum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat. Cornel. Tacitus libro secundo: Et enata humo uirgulta périnde haberi quàm pila & gladios. Quintil. Instit lib. septimo cap. quarto: Sed périnde paupertas, humilitas, opes, ut cuique ingenio uis est, in diuersum trahuntur. Plin. libro sexto Epistol. Sed périnde illis ac meis parco.

De Nunc. Cap. LI.

Nunc

NVnc, solet usurpari sine significatione temporis, ut de Diuinatione Cic. Quæ quidem multo plura euenirent, si ad quietem integri iremus. Nunc onusti cibo & uino, confusa & perturbata cernimus. Et de oratore: Et si in huiusmodi genere nihil esset, nisi falsum atque imitatione simulatum, maior ars aliqua esset requirenda: nunc ego quid dicam? Et in eodem: Nam si ita diceres, & cætera. Nunc uerò fateris, & cætera.

De Benè, Malè, Peiùs, Pessimè. Cap. LII.

BEnè nonnunquàm accipitur pro Valde, ut Cicero: Habetis orationem benè longam. Quintilianus: Cùm multa disertè, summisq; clamoribus, quæ neq; ad iudicem, neque ad declamationem pertinent, decantauerunt, benè sudantes beneq; comitati per forum reducuntur. Huic simile quiddam habet Malè, ut Comici frequenter utuntur. Malè mihi timeo, pro eo quod est, ualdè timeo. Cicero in Bruto: Addebat etiam, id'que ad rem pertinere credebat, scriptores illos malè mulctatos, id est, ualdè, & quasi benè mulctatos, sed in malum illorum. Ideo'que non benè dixit mulctatos, sed malè. Neq; id solùm in positiuo aduerbio, sed in superlatiuo quoque, ut, Pessimè mulctatos. Atque adeò in comparatiuo, sed frequentiùs cum uerbo Odi, ut idem in Philippicis: Quo neminem ueterani peiùs oderunt: Peiùs, quasi magis & ualidiùs. Idem ad Marium: Oderam multò peiùs, quàm illum ipsum Clodium: Illum enim oppugnaueram, hunc defenderam. Nec tantùm per comparatiuum cum hoc uerbo, uerumetiam per positiuum, ut Terentius in Adelphis; Illud rus nulla alia causa

tam

tam malè odi, nisi quia propè est: Tam malè, pro eo quod est tam ualde. Per aliud autem uerbũ, ut Ouidius Heroidum: Peiùs adulterio turpis adulter obest.

THEOD.

De Super, Supra, Intrà, Infra, Subter. Cap. LIII.

SVper & Supra, licèt in eodẽ loco sedere possint, tamen in hoc plerunq; differunt, quòd illud contiguum est, hoc interiecto spacio, ut: Sedeo super lapidem: magis quàm supra lapidem. Rursus, Aquila uolat, uel, Nubes pendent supra nos potiùs, quàm super nos. Non tamẽ sic semper, ut apud Quintil. Nec ulla est supra terras adeò rabiosa bellua, cui non imago sua sancta sit. Et Liuium lib. 44. Vbi circa muros supra subterq; terram per dies quindecim pugnatum est. Intrà & infra etiam differunt: quia intrà ad numerum & spacium refertur, ut, Intrà 20. dies, & Intrà muros: non autem, Infra 20. dies, uel Infra muros. Infra ad dignitatem & ad locum, ut, Infra dignitatem meã est, &, Infra tectum, id est, subter tectum. Deniq; Intrà habet relatiuũ Extra: Infra uerò Supra. Subter quoq; relatiuum habet Super. Ideoq; tactum rei ferè significat, ut: Hic urinator mirificè natat, duratq; subter aquam.

Super pro Insuper siue præterea, & uelut ultra id q̃d dictum est, utimur uenustissimè. Pliniùs Nat. histor. lib. 2. cap. 7. Vno quidem uel præferenda cunctis bonis, q̃ de gloria, de pecunia, ambitione, superq; de morte non cogitant. Item pro Præter. Sueto. in Clau. Consulatus super pristinum quatuor gessit. Et pro Inter, apud eundem in Cæsare dictatore: Et pridiè quàm occideretur, in sermone nato super cœnam &c.

De Sicut, Ita, Itaq;, & Sic. Cap. LIIII.

Sicut

SIcut habet nonnunquàm uenustatem magnam, atque utilitatem in disponẽdo, quoties antecedentem annectit cum sequente sententia, ut apud Quintilian. Sunt & alia ingentia quidẽ, quæ adiuuãt, uox, latus patiens laboris, ualetudo, constãtia, decor: quæ si modica obtigerũt, possunt ratione ampliari. Sed nonnunquàm ita desunt, ut bona etiã ingenij, studiaq; corrumpant, sicut & hæc ipsa sine doctore perito, studio pertinaci legẽdi, scribẽdi, dicendi multa & continua exercitatione per se nihil prosunt. Plinius lib. 7. Ferunt, Crassum auum Crassi in Parthis interẽpti nũquàm risisse, ob id ἀγέλαστον uocatum, sicut nec flesse multos. Seruius grammaticus hac dictione & benè & frequenter utitur. Possumus eodem modo, quo Sicut, usurpare duo alia, Quemadmodum & Quomodò, aut si quid aliud est eiusmodi naturæ. Habet & aliam naturam Sicut, ut non modò res similes copulet, quod est frequentissimum: sed diuersas quoq;, & sæpè contrarias, ut idem Quintilia. Sed hæc eloquendi præcepta sicut cognitioni sunt necessaria, ita n[illegible] satis ad uim dicendi ualent, nisi illis firma quædam facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, accesserit. Quod licet dicere etiam per Vt, & quidem frequentiùs, ut idem: Quod ut optimum, ita longè difficilimũ. Sed in hoc genere sermonis bonam sibi partem uendicat illud Ita. De quo hoc etiã addam, quòd nonnunquàm accipitur pro Itaque: sed hac differentia, ut nunquàm ipsum antecedat in eâdem sententia altera dictio. Cicero in Tusculanis: Ita nobilissima ciuitas Græciæ, & olim potentissima, sepulchrũ ciuis sui ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset, Possumus per Itaq; sic dicere, Itaq; ciuitas, uel, Ciuitas itaque: eodem modo quo Sic, pro

Cap. 39.

Lib. 10. in prima.

Sicq; Quintil. ubi de adolescente in opere duro, ac utrili se exercente dixisset, intulit, Sic effectum est, ut quemadmodùm aliqui putant, posset citò militare. Ac
Philip. 1. cipitur etiam Ita, pro Valdè, ut Cicero: Nec ita multò pòst edictum Bruti affertur & Cassij. Quintilianus: Nec res est ita magni temporis ac laboris.

De Nam, Nanq;, Nam quòd, Quòd autem, & Quòd uerò. Cap. LV.

NAm & Nanque quiddam simile habent, quòd Ita & Itaq;: quippe quũ Nanq; soleat & primum locum sortiri, & secundum, aliquando etiam tertium: Nam nõ solet, sed prima semper est dictionum. Præterea hoc aliquando accipitur pro Autem, ad distinctionem sententiarum, ut in Sallustium Cicero: Nam quod in uxorem atq; filiam meam petulãter inuectus es. Idem ualet ac si dixisset, Quòd autem in uxorem, &c. Siue Quôd uerò, ueluti sæpe incipere solemus, ut idem: Quòd autem scribis, quid de exitu belli sentiam, magis consilium petere possum, quàm ipse alijs dare. Idem de oratore libro. 1. Quòd uerò uiros bonos iure ciuili fieri putas, quia legibus & præmia proposita sint uirtutibus, & supplicia uicijs: equidem putabam, uirtutem hominibus (si modò tradi ratione posit) instituendo & persuadendo, non minùs & uitio metu tradi.

De Iterum, Antehàc, Posthàc, Déinceps, & Rursus. Cap. LVI.

ITerum refertur etiam ad primam uicem, non tantùm ad posteriorem: nam. Iterum uoco te, id est, iterata uice, usitatũ est: Iterum uocaui te præter hãc uicem, minùs est usitatum. Cicer. pro lêge Manil. Cùm tantam multitudinem cum tanto studio uidere-

mus, quantam non iterum in eodem homine præfecien-
do uidimus. Antehàc & Posthàc huic similia sunt: hoc est, ante hoc, uel post hoc tempus. Aliquando tamen reperimus Ante illud, uel Post illud tempus. Sallust. Sic erat accẽsa libidine, ut sæpius peteret uiros, quàm peteretur: sed ea sæpè antehàc fidem prodiderat, creditum abiurauerat. Sueton. in Domitiani uita: Pari arrogantia cùm procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus ac deus noster sic iubet fieri. Vndè institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter. Déinceps similiter accipitur pro Debinc, & pro Dêinde, atque etiam pro Gradatim. Cicer. in Tuscul. Omnes qui dêinceps accubarẽt, ad lyram canerent. Et ad Thermum, Sed tamẽ tres fratres, summo loco natos, promptos, non indisertos, te nolo habere iratos, quos uideo dêinceps tribunos plebis per triennium fore. Sed redeamus ad Iterum, quod aliquid nouitatis exhibet, cùm dicitur: Iterumq; ad tarda reuerti Corpora. Quomodò iterum? nunquid semel antea redierant? minimè Quid ergo? Aut accipiendum est quomodo Rursus pro Econtrariò. Cicer. Offi. libro tertio: Neque me doloribus dedi, quibus essem confectus, nisi restitissem: nec rursus indignis homine docto uoluptatibus. Aut Reuerti Redireq; pro Venire, ut idem de fato: Ad Chrysippi laqueos reuertamur: quum nihil de Chrysippo meminisset. Quintil. Si uerum est, post uetusta secula, & innumerabiles annos reddi rursus alijs corporibus animas, fortassẽ in me renatus sit aliquis ex illis. Reddi, quasi dari: nã idem hoc uerbum efficeret. Et alibi: Sed ad illos iam perfectis constitutisq; uiribus reuertamur, quod in cœ-

nis grandibus sæpè facimus, ut cùm optimè satiati sumus, uarietas tamen nobis ex uilioribus grata sit. Non aut reuertẽdum ad uiliores libros, quasi ab his inciptendum sit: sed cùm satiati fuerimus bonis libris, tanquàm cibis, posteà nos ad uiliores conuertamus.

De Vltro Citroq́, Huc, Illuc, Sursum, Deórsum, Vltrô, & Sponte. Cap. LVII.

VLtro Citroq́ in factis & in dictis. Quintilianus in cæco: In limine iuuenis, sicut solet, ultro citroq́ commeare. Cice. lib. 6. de repub. Multisq́ uerbis ultro citroq́ habitis, ille Nobis consumptus est dies. Cùm ego te alloquor, tunc uerba ultro quasi ultra eunt: cùm te alloquẽtem audio, tunc uerba citro quasi citra ueniũt: sicut pedes, cùm à loco recedo, tũc ultro eunt: cùm redeo, tunc citro. Nec elegans esset, Huc atq́ illuc commeabat, nisi errabundum & incertum iter significes. Quidam tamen Sursum & Deorsum utuntur, opinor imitantes Terent. qui in Eunuch. ait: Sex ego te totos Parmeno hos menses quitum reddam, ne sursum deorsum cursites. Nescio an de Athenis hoc dictũ sit, quibus portus in imo, urbs uerò êditiori loco sita est: fortè sic loqui deceat per Sursum Deorsumq́, si de fortunæ mutabilitate dicatur, quæ nũc tollit, nunc deprimit. Vltrô tamẽ à Sponte sic uidetur (ut breuiter dicã) differre, quòd Vltrô, est quasi sine requisitione, ut Vltrô ad te ueni, id est, à te non requisitus ueni. Sponte ad te ueni, id est, meo cõsilio: licèt ad res inanimatas trãsferimus, ut, Multæ arbores suâ sponte nascuntur. id est, per se.

DOLET. Multa Laurentius leuius tradidit, quàm tantùm uirum deceat, ut in expositione harum particularum, Vltro citroq́, quas, cũ in uerbis sunt, ita interpretamur, ut

sit Vltrô citroq́ idem quod mutuò uel Vnà. de factis uerò nulla est opus expositione: rem exempla satis ostendent. Cice. in Verrem act. 7. Monumentum sceleris audaciæq́ suæ uoluit esse in conspectu Italiæ, uestibulo Siciliæ, præteruectione omnium qui ultro citroq́ nauigarent. Idem pro Roscio Amerino: Posteà homines cursare ultro & citro non destiterũt. Et exẽpla superiora motum omnino expressum habent: alia subiũcio, quæ quanquàm in facto etiam posita sint, motum tamen non ita expressum habent. A quibus quod planè in dictis & uerbis est, non seiungemus, sed cum his ultimũ à me profetur. Cicero de amicitia: Nam implicati ultro & citro uel usu diuturno, uel etiam officijs, repẽtè in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione dirũpimus. Idem offic. 1. Magna etiã illa communitas est, quæ conficitur ex beneficijs ultro citroq́ datis acceptisq́ &c.

Paulò suprà, undè hæc desumpta sunt, Doletus satis petulãter Laurentiũ exercet, nunc ineptias eius ridens, nunc ignorantiam miserans, nunc audaciam repræhendẽs: ut uerè de eo scripserit Stigelius: Ergo sic odijs Dolete natus, Sic'ne es cõuicijs calũnijsq́ Cõsutus? cupias ut hinc timeri. Quãdô igitur hac calũniandi licẽtia, potiùs ingenio suo morem gerit, quàm ut saltem probabili aliqua de caussa ostendat se summis uiris maledicere: indignus quidẽ existimabitur cui pro Laurẽtio respondeatur, dummodô sciat, quæ ex Cicerone exẽpla adduxit, ijs Laurentij de his uocibus Vltro citroq́ præceptũ confirmari. Quòd autem Doletus hæc per Mutuò uel Vnà exponit, nihil Laurentio superior est, qui eadem pleniùs, & crassiore aliquantò (ut sic dicam) demonstratione interpretatur, ubi ait: Cùm ego te alloquor. &c.

De Et, Ac, Que, cum suis compositis. Cap. LVIII.

ET, multifariàm solet in usu accipi: cuius conditionis est Que, & ab eo eõposita negatiua Neque, & per apocopen Nec. Vergilius: Audieras, & fama fuit. Martialis:

Quòd nummos cernis mitti, nec credis amice,
Falleris, & nummos ista tabella rogat.

Lib.1.ca.1 Quintil. Has primùm audiet puer, harum uerba effingere imitando conabitur. Et natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus. Et, pro Quia accipiendum eſt. Ouid. in faſtis:

Nil aliud Veſtam, quàm purã intellige flammam,
Nataq; de flamma corpora nulla uides.

Lib.1.off. Quæ, pro Quia, ſiue Nanq. Similiter Cicero: Non ſolum nobis nati ſumus, ortusq; noſtri partem ſibi patria uẽdicat, partem amici. Duplicantur interdũ hæ coniunctiones, ſed in rebus diuerſis uenuſtiùs, ut, Te admirantur & ciues, & hoſpites. Vergil.

O qui res hominumq; deumque: id eſt, O qui res & hominum & deorum. Salluſt. in Iugurth. Seq; uobiſq; dignum eſt, id eſt, & ſe & uobis dignum eſt. Rarò tamen in proſa, in carmine uerò frequentiùs. Quintilian. Nihil ocioſum pati, quidq; in inuentione, quidq; in elocutione annotãdum erit. Quarè de Nec, & de Neq, et de Sine, ſimilibusq;, quoties geminãtur (quum facilia inuentu ſint) omitto exempla. Et quoq; initijs ſentẽtiarum competit, ut idem libro primo: Et finitæ quidem ſunt partes duæ, quas hæc profeßio pollicetur. Eiuſdem naturæ eſt Ac, & Atq. Cice. Ac ſi uolumus huius rei, quæ uocatur eloquentia, ſiue artis, ſiue ſtudij, ſiue exercitationis cuiuſdam à natura profectæ, cõſiderare principium, & cætera. Idem. Atque cæteri imperatores, qui de illo triumpharunt, & cæt. Interdum etiam & affectui ſeruit, ut idem pro Milone: Et ſunt qui de uia Appia loquantur, taceant de Curia. Et in Philip. Et ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuncios repudiauit. Idem: Et poſteà miramur, quarè ferae moleſtè populus Romanus. Interdum neque copulam, neque affectum ſignifi-

ſignificat, ut ſi hoc modo loquar, Superaui illum in palæſtra, & eſt tam uaſtus, & ſum tam puſillus. Ve idem de ſenectute: Defendi legem Voconiam magna uoce, bonisq; lateribus, & uidetis annos meos. acſi dixiſſet: Defendi legem Voconiam iuuenili uoce atque lateribus, & ſum ita ſenex. Interdum etiam tali modo: Defendi fortiſſimè illam legem, & hoc in tam prouecta ætate, uel, & id in tam prouecta ætate. Vel per Que ſiue per Atque, ſic: Id'que in tam prouecta ætate. Repudiaui uxorem, id'que authore patre eius, uel, Atque id authore patre eius. Item per negationem: Duxi Paulam uxorem, neque hoc, uel, neq; id ſine prudentum hominum authoritate, uel, nec id ſine conſilio, uel, & hoc non ſine conſilio. Quæ exempla & mihi relatu longiora ſunt, & legentibus (ut ſupra dixi) facilia inuentu. Illud non indiget admonitione, Que pro Et, Et quoque pro Etiam debere accipi, ut alterum quaſi membra cum membris, alterum quaſi corpora cum corporibus copulat: aliter abſurdum eſſet. Hoc admonendum eſt, Et pro Etiam apud Ciceronem nuſquàm reperiri: ſicut in cæteris illo poſterioribus, ut à Vergilio incipiamus: ut, Natus & ipſe dea. Quintilia. Tamen ſi quid aduerſus te ipſe commiſit adoleſcens, ſit hoſtis & meus: Cicero dixiſſet, Sit hoſtis etiam meus, uel meus quoque. Idem inquit: Quod inter omnes conſtat, niſi inter eos, qui ipſi quoque inſaniunt, inſaniſſimum. Quintilianus, id eſt, ſecutum ab illo proximum, dixiſſet, tum illo modo, tum etiam ſic, Niſi inter eos, qui & ipſi inſaniunt. Simili ratione de Nec pro Nec etiam. Vt idem: Perſolui gratia nõ poteſt, nec malo patri. Cicero et ſuperiores omnes dixiſſent, ne malo quidem patri. Interdum miſcemus,

Et atq; Nec, nunc ab hoc, nunc ab illo principium sumentes, ut: Et pacem respuis, nec bellum geris, uel, Nec bellum geris, & tamen respuis pacem: uel sic, Et pacem non uis, nec tamen bellum geris, uel: Et pacem non uis, & bellum gerere non potes. Nam in Nec, siue in Neq; (de utroq; enim loquor) inclusa est Et, uel Quæ, in quæ resolui potest: & ubi est Nec uel Neq; id resolui potest per Et non, uel Quæ non. Poëtæ etiam maiorem in his sibi licentiã permittunt. Nec & Neq; sequente Enim aut Verò, pro simplici, non pro composita negatione accipiuntur. Siquidem idem est Nec enim, siue Neq; enim, quod Non enim: nisi ita resoluimus, Non etenim: Neq; uerò, idẽ quod Non uerò, si modò, Non uerò dicere licet.

De Vicissim, Inuicem. Mutuò. Cap. LIX.

VIcissim non memor sum usquàm esse apud Ciceronẽ et Quintilianum, & ferè maximos quosq; authores, nisi pro secundo loco, siue ediuersò, uel contrariò. Vergilius tantùm semel, neq; id apertè uidetur usus pro Inuicèm & Mutuò:

Quid posit uterq;, Vicissim experiamur.

Quod imitatus est Suetonius, & alij plures. Cicero semper (quod ego quidem sciam) sic, Id acciperet ab alio, uicissimq; redderet. Et iterum: Sed ego admiratione quadã uirtutis eius, ille uicissim opinione fortasse nonnulla, quam de moribus meis habebat, me dilexit. Itidem Quintilianus, apud quẽ, & cæteros illius ætatis, non modò Inuicem tali modo usurpatur, quale est in declamationibus, Inuicem sustinentes, inuicẽ inmixi, id est, alter alterum sustinens, & uterque alteri inmitens: sed etiam in sensu, cuius est Vicissim, ut in lib. 10. Tam contumelioſos in se ridet inuicèm eloquentia, & qui

qui stultis uideri eruditi uolunt stulti eruditis uidentur. Et iterum Neque enim uideo quæ iustior acquirendi ratio, quàm ex honestissimo labore, & abijs, de quibus optimè meruerũt: qui si nihil inuicèm præstẽt, indigni fuerunt defensione. Plinius posterior: Habes res urbanas, inuicèm rusticas scribe. In eádem significatione est, Mutuò: de quo modò attigi, non solùm in hac, qualis est, Inuicèm se amãt, & mutuo se amãt, & Mutuus amor, sed in ea, de qua disputaui. Idẽ Quint. in eodem statim pòst loco: Ac ne tanq; pauper quidem mercedem accipiet, sed mutua beneuolentia utetur, id est, respondente Cicero: Fac me mutuò diligas, hoc est, fac mihi in amore respondeas. Li. 12. ca. 7

Vicissim pro Alternatim seu Peruices, est apud Suetonium in Nerone: Reliquos non nisi uicissim, tum Lucios tum Cneos. Eodem significato uicibus inuenit usurpatum. Plinius lib. Natur. hist. 7. ca. 2. Androgynos esse utriusq; naturæ, inter se uicibus coëuntes. THEOD.

De Scilicet & Videlicet. Cap. LX.

SCilicet & Videlicet uidentur significare idem quod Certè, sed usum suum habẽt, & præcipuum per amaritudinem quandam cum derisu permixtam, ut apud Vergilium: Scilicet is superis labor est. Et apud Terẽt. Id populus curat scilicet, Et apud Quintilia. Hoc uidelicet expectasti, & ne captiosum esset officio tuo, maturiùs redijsse, ex industria tẽpus triuisti. Nonnunquàm sine hac amaritudine & irrisione ut apud eundem: Sed est uidelicet ultima quædam calamitatũ rabies, & nouissimè in furorem uota ipsa uertuntur. Nonnunquàm post relatiuum, sicut solet poni quidem, nonnunquàm & ante, uel sine relatiuo. Et hi sunt ferè modi utendi his duabus dictionibus apud doctissimos: apud quos uix reperias illũ uulgò usitatissimum In And. Decla. 12

mum modum, cùm ea, quæ confuse dicta sunt, per singula postea exponimus: quale esset, Quatuor sunt uirtutes, scilicet, uel uidelicet, Prudentia, Iusticia, Fortitudo, Modestia.

SECVNDI LIBRI FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN TERtium librum elegantiarum præfatio.

Laudat iureconsultorũ uoluminaab elegantia.

PErlegi proximè quinquaginta Digestorum libros ex pleriſq; iuriſconſultorum uoluminibus excerptos: & relegi cũ libenter, tum uerò quadam cũ admiratione: primùm, quòd neſcias, utrùm diligentia ne an grauitas, prudentia an ætas ſcientiarũ an orationis dignitas præſtet, & maiori laude digna eſſe uideatur: deinde, q; hæc ipſa ita in unoquoq; illorũ oĩa ſint egregia et perfecta, ut uehemẽter dubites, quẽ cui præferendũ putes. Cui ſimile quiddã (ut de ultima tãtũ parte, quæ ad nos pertinet, dicã) in epiſtolis Ciceronis admirari ſolebã: quæ quũ à pluralibus ſcribantur, omnes tamen ab uno eodemq; audaciùs dixerim, ſi perſonas ſuſtuleris, ab uno Ciceronе ſcriptæ iudicentur: ita uerba ac ſententiæ charactereq; ipſe dicendi ubiq; ſui eſt ſimilis. Quod eô magis in iuriſconſultis eſt admirandum, quòd illi eâdem ætate

te cuncti exſtiterunt, in eodem quaſi ludo ac ſchola inſtituti: hi uerò inter ſe etiam ſeculis diſtãt, licèt omnes poſt Ciceronem: ideoq; quibuſdam in uerbis ab eo differentes, quales omnes à Vergilio uſq; ad Liuium fuerunt. Nam Seruij Sulpitij atq; Mutij Scæuolæ nihil extat, ſed alterius Mutij recentioris. Et priſci illi quidem iuriſconſulti quales quantiq; in eloquendo fuerint, iudicare non poſſumus: quippe quorum nihil legimus. His autem, qui inter manus uerſantur, nihil eſt, mea ſententia, quod addi adimi'ue poſſe uideatur, non tam eloquentiæ (quam quidem materia illa nõ magnoperè patitur) quam Latinitatis atq; elegãtiæ, ſine qua cæca omnis doctrina eſt, & illiberalis, præſertim in iure ciuili. Vt enim Quintilianus inquit: Omne ius, aut in uerborum interpretatione poſitum eſt, aut æqui prauiq; diſcrimine. Et quantum momenti in uerborum interpretatione ſit, ipſi iuriſcõſultorum libri maximè teſtantur: in hac re præcipuè laborantes: utinamq; integri forent, aut certè iſti non forent, qui in locum illorum etiã Iuſtiniano uetante ſucceſſerunt. Nota enim ſunt eorum, & nimis nota nomina, ut ſuperuacuum ſit ea per me recenſeri, qui uix quintam partem Iuris ciuilis intelligunt, & ob imperitiæ ſuæ uelamentum aiunt, non poſſe doctos euadere in iure ciuili facundiæ ſtudioſos: quaſi iuriſconſulti illi aut rudiceè locuti ſint, id eſt, iſtorum more, aut huic ſcientiæ non planè ſatisfecerint. Quid de illis loquor? ego mediocri ingenio & mediocri literatura præditus, profiteor, me omnes, qui ius ciuile interpretantur, ipſorum ſcientiam edocturum. Quòd ſi Cicero ait, ſibi bomini uehementer occupato, ſi ſtomachum moueant, triduò ſe iuriſconſultum fore: non'ne & ipſe audebo

Li. 12. cã. 3

dicere

dicere, si iurisperiti (nolo dicere iurisimperiti) stomachũ mihi moueãt, aut etiã sine stomacho me glossas in Digesta triennio cõscripturũ, lõgè utiliores Accursianis? Merentur enim, merentur summi illi uiri nanciscì aliquem, qui eos uerè riteq; exponat, uel certè à malè & Gothicè potiùs quàm Latinè interpretantibus defendat. Gothi isti quid ni et Vandali existimãdi sunt? Nam postquàm hæ gẽtes semel iterumq; Italiæ influentes, Romam * ceperunt, ut imperium eorum, ita linguam quoq; (quemadmodùm aliqui putant) accepimus, et plurimi forsan ex illis oriundi sumus. Argumẽto sunt codices Gothicè scripti, quæ magna multitudo est: quæ gens si scripturam Romanam deposuare potuit, quid de lingua, præsertim relicta sobole, putandum est? unde post illorum aduentum primum, alterũq;, omnes scriptores nequaquàm facundi. Ideoq; prioribus multò inferiores fuerunt. En quò literatura Romana recidit. Veteres admiscebant linguæ suæ Græcam: isti admiscent Gothicam. Neq; uerò hoc dico, ut iuris studiosos carpã: imò ut adhorter potiùs, persuadeamq;, sine studijs humanitatis nõ posse, quam cupiunt, assequi facultatem: malintq; iurisconsultorum, quàm leguleiorum similes esse. Nam (ut Vergiliano uersu utar:)

O fortunatos nimium, bona si sua norint
Agricolas.

Ita ego appellem iuri operam dãtes fortunatos, si norint sua bona. Quæ enim disciplina, scilicet quæ publicè legitur, tam ornata, atq; (ut sic dicam) tam aurea, ut ius ciuile? an (ut hinc incipiam) ius põtificium (quod Canonicum uocant) quod ex maxima parte Gothicum est? an philosophorum libri, qui ne à Gothis quidem

* Aliâs inuaserunt.

Ius Canonicũ maxima ex parte Gothicum.

dem aut Vandalis intelligerentur? quos ego ob hoc maximè errare, quòd loquendi facultate caruerũt, in libris meis de dialectica ostendo: quos iam êdidissem: ni si amici me hos potiùs êdere coégissent. An grammaticorum, quorum propositum uidetur fuisse, ut linguam Latinam dedocerẽt? An denique rhetoricorum, qui ad hanc usque ætatem plurimi circunferebantur, nihil aliud docentes, quàm Gothicè dicere? Vna supererat iuris ciuilis scientia adhuc inuiolata, & sancta, & quasi Tarpeia arx urbe direpta: Hanc etiam isti Gothi, non Galli, per speciem amicitiæ polluere atq; euertere tentauerunt, euertereq; pergunt. Hanc ipse (quantum in me erit) ut Manlius Torquatus, protegam, imò omnes, qui hoc nomen profitentur, protegere debent. Quod si fecerint (ut spero & opto) non legulei, sed iurisconsulti euadent. Quod ad meum autẽ hoc opus attinet, non fraudabo iuris conditores debita laude. Tãtum igitur deberi puto huius facultatis libris, quantum illis olim, qui Capitolium ab armis Gallorum, atq; insidijs defenderent: per quos factum est, ut non modò tota urbs non amitteretur, uerumetiam ut tota restitui posset. Itaq; per quotidianam lectionem Digestorũ, et semper aliqua ex parte incolumis, atq; in honore fuit lingua Romana, & breui suam dignitatem atq; amplitudinem recuperabit. Sed ad reliqua pergamus.

De Tanti & Quanti cum suis compositis, deq; Pluris & Minoris. Cap. I.

Atque ut ab eo potissimùm incipiam, quod nec ab aliquo (quod sciam) traditum, & tradi difficilissimum est: duo, Tanti & Quanti, cõpositaq; cum eis, Tantidem, Quãtilibet, & Quanticunq;, totidemq; comparatiu

De hoc Lius li. 5. ab urb. cond.

Laus librorũ iuris.

comparatiua, Pluris & Minoris: præterea nulla nec comparatiua, nec nomina, nec dictiones queunt in genitiuo casu adiungi his uerbis: Taxo, Emo, Vendo, Venundo, Mercor, Comparo, Aestimo, Liceor, Addico, Distraho, Metior pro æstimo, Constat, Conduco, Loco, Fœneror, Paciscor, Pango pepigi, Condemno, Postulo, et si qua sunt alia similis horum significationis. Neq; enim audiuimus unq̃: Vendidit patriam hic auri: aut, Achilles uendidit corpus Hectoris auri, Priamus q; illud redemit magni põderis auri: sed per ablatiuũ sic: Vendidit hic auro patriam, & Exanimumq; auro corpus uendebat Achilles. Hæc Vergilius: Valerius quoq; lib. 5. Magno ubiq; precio uirtus æstimatur. Quanti uerò & Tanti, cæteraq; (ut dixi) genitiuum non mutant, ut Terent. in Eunuch. Quid agas? nisi ut te redimas captum quàm queas minimo: & si nequeas paululo, at quanti queas, id est, tanti te redimas quanti queas. Cur non dixit Quanto, ut congrueret cum illis Minimo & Paullo, aut Minimi & Pauxilli, ut congrueret cum hoc Quanti? nisi quia Tanti & Quanti mutare non licet, & ab eis, quæ dixi, cõposita. Quintilianus in pastu cadauerum: Hoc unum supererat, ut defectum tantidem uenderes. Et in Verrem Cicero: Aiebat te tantidem æstimasse, quanti sacerdotem. Iuuenalis: Quanticunq; domus constet. Idem (quod ad prædicta comparatiua pertinet) Balnea sexcentis, & pluris porticus empta, cur non dixit: Et pluribus, ut copularet coniunctio eosdem casus? Titus Liuius libro 48. Mancipia minora annis uiginti, quæ post proximũ lustrum decem milibus æris, aut pluris uenissent, ea quoq; decem tanto pluris, quàm quanti essent æstimarentur. Adeò ut

6. Aeneid. lib. 1

Ca. 1

ut interrogati, per eundem sæpè casum respondere nequeamus: ut Plautus in Epidico: Quanti eam emisti? auli: quot minis? quadraginta minis. Horatius. Quãti emptæ? paruo: quanti ergo? octussibus, heu heu. Nam illud apud Ciceronẽ, Quanti addictus? mille numûm: nõ est illud Mille genitiui, sed ablatiui casus, ut mox docebo: quasi millenario numûm, id est, numorum. Et hæc quidem interrogatio est per genitiuum: responsio autem per ablatiuum. Aliquandò è diuerso: ut, Emisti ne decem minis istum equum? imò pluris. Aliquando hi duo casus iuxta idem uerbum hærent: ut, Emisti istum equum decem minis, an pluris? Quòd si aduerbia forent (ut nonnulli existimare solent) cur potiùs dictum est. Tanti & Quanti, Pluris & Minoris, non Tanto & Quanto, Pluri & minori: quum huiusmodi uerba utique ablatiuum desiderent? Cur non idem fit in cæteris comparatiuis, quæ palàm aduerbiantur? Non enim dicitur, Emi equum uilioris carioris ue, quàm tu: aut, Viliori cariori ue quàm tu: sed, Vilius quàm tu, aut cariùs: neque, Vendidi ædes melioris, peioris ue, quàm tu: sed, Meliùs peius ue, quàm tu. Cur deniq; (quod non minùs mirandum est) hæc ipsa, quæ nominatiui, quoties substantiuis maritantur, formam naturalem, & legem uerborum custodiunt, excepto Tantidem? quia est substantiuum, quod ablatiuum datiuumq; non agnoscit, Tantodem: solasq; has uoces habet Tantundem & Tantidem: dicendumq; erit: Quanta pecunia istum equum emisti? sicut, Quot minis? Iuuenalis,

Metiris Quanto precio: q; ni tibi deditus essem.
Deuotusq; cliens, uxor tibi turgo maneret.

Liuius lib. 22. Hic miles magis placuit, cùm precio

minore

minore redimendi captiuos copia fieret. Itaq; genitiuos illos, Tanti emi equum, quanti potui, sic exponere non possumus, Tanti precij, & quanti potui: sed sic, Tanto precio, quanto potui. Et per comparatiuum: ut illud Cicer. Non pluris uendo, quàm alij, fortasse etiam minoris. Cùm aliquem doces, non ita exponas, Pluris, id est, precij. & Minoris, id est, precij: Nã huiusmodi expositio fecit, ut plerique fallerẽtur: sed sic Pluris, id est, pluri precio: Minoris, id est, minori summa.

3. Offic.

De Mea, Tua, Sua, & Cuia. Cap. II.

NOn tantùm in his causis, quas ostendi, nonnunquàm aliter respondemus, quàm quo modo interrogati sumus: sed etiam in illis tribus pronominibus, de quibus proximo libro disputaui, tam primitiuis, quam deriuatiuis: quorum diuersam cõuicimus naturam esse, & præter hæc unum, Cuius, cuia, cuium: quod à ueteribus non inter nomina, sed inter pronomina numerabatur, ut Meus, mea, meum. Nec Græci relatiuum, undè hoc nomen descẽdit, inter nomina, sed inter articulos collocant: & nos pronomina quædam, articularia solemus appellare. Ideo'que, ut dicimus, Mea est, Tua est, Sua est: & Mea, Tua, Sua interest: ita Cuia est, & Cuia interest. Plau. in Epid. Ego illum conueniam, atq; adducam ad te, cuia est fidicina. Cice. pro Murena: Ea cædes potissimùm crimini datur ei, cuia interfuit: non ei, cuia nihil interfuit. Igitur interrogati, cuius hominis est hoc est opus: respondebimus, Meum, non Mei. Cuius domini hic fundus? Tuus, aut Suus, non Tui, aut Sui. Rursum, Meum'ne fundum possides, an tuum? respõdebo, Neutrius, uel Illius interrogamus adhuc respondemus'q; per

Vtà Diomede li. 1.

per uarios casus: Meum'ne prædium est, an illius? respondebo, Illius, certè non tuum: Similiter de Cuius, ad quod nunquàm respondeas per eundem casum, nisi in tribus pronominibus deriuatiuis, ut, Cuium pecus? respõde, Meum, uel Illius. Interrogatur etiam per diuersos casus, ut, Cuium pecus, tuum'ne, an Meliboei? sed per talem dictionẽ nunquàm respondetur: nisi si dicas, Est cuium est, uel, Est cuium esse debet, & si quid est simile.

De Tanti, Quanti, Magni, Parui, cum Interest & Refert. Cap. III.

EAdem Tanti & Quanti, positiua quoque duo, Magni & Parui, sola in genitiuo iunguntur cum illis geminis uerbis Interest & Refert. Cætera autem, uel aduerbialiter, uel in uoce nominatiui siue accusatiui, & in primis horum comparatiua superlatiuaq; Magis & Minùs, Maximè & Minimè, atq; horũ germana: Multùm, Plus, Plurimùm, Parùm, Paululum, Paulùm, Pauxillum, Nihil, Aliquid, & si qua sunt alia. Tanti interest, Quãti interest, Magni rêfert, Parui rêfert, ac Multùm rêfert, Plurimùm interest, Maximè rêfert, Magis rêfert. Paulùm rêfert, Minus rêfert, Parùm rêfert. Quinetiã non modò quatuor hæc nomina id naturæ habẽt, cum his duobus uerbis: uerùm etiam cum multis alijs, ut, Magni æstimo, Paruifacio, Parui pendo, Quanti facio, Tanti facio. Sed cum huiusmodi uerbis nonnunquam alia nomina iunguntur, ut, Plurimi æstimo.

In uoce nominatiui.) Plinius Nat. hist. lib. 7. cap. 6. Adeo'q; incessus, & omne quidquid dici potest, in grauida rêfert. Lib. 11. cap. 15. Multùm tamen in ijs rêfert & locorum natura.

De Mille & Milia, Cap. IIII.

Vide Gel. li. 1. ca. 16.

ATq; (ut promissum exsoluam) illud Ciceronis, Mille numûm, singularis numeri esse, tum exemplo eiusdem, tum præcepto M. Varronis comprobabo. In Philippicis: Inuentus est qui L. Antonio mille numûm ferret expẽsum. Et pro Milone: Quo in fundo, propter insanas illas substructiones, fẽ cilè mille hominum uersabatur. Qualia exempla plura repeterem, nisi Varronis præceptio satis esset, qui in libris de Analogia inquit: Cùm peruentum est ad millenarium, assumit singulare neutrum, quod dicitur Hoc mille denariûm, à quo multitudinis numerus fit Milia denariûm. Et paulo pòst: Vt sic utrunq; sine casibus uocis dicemus, ut Hoc mille, huius mille: ita Hoc decies, huius decies. Hæc hactenus. Illud quoq; præter hæc addamus, Mille hominũ dici, & Milia hominum. Iterum, mille homines dici, Milia uerò homines non dici. Cuius rei caussa est, quòd propriè dicimus Mille homines, ut Centum homines: Milia hominum, ut Centenaria, uel turbæ hominum. Hoc substantiuum est, illud uerò adiectiuum. Itaq; nõ licet dicere Milia homines: quia duo substantiua non cohærent sine copula: neq; in his ullus certus ineſſet sensus. Mille hominum licet dicere, quia mille substantiuatur, ut Multùm hominum, pro Multi homines. Item mille hominum, pro mille homines: idemq; erit quod Milium hominum, si Milia singulare haberet, quod non habet, nisi pro miliario, quod constat ex mille passibus, uel pro seminis genere: uel more Varronis, quia dicimus Hoc mille: uel quia (ut maximè reor) nec adiectiuũ planè, nec substantiuũ est, sicut Hic, hæc, hoc, Iste, ista, istud, & nõnulla alia ꝓnomina: Nã cætera

Philip. 6.

Lib. 2

adiectiua non patiuntur sibi ita adhærere adiectiua, ut pronomina. Dicimus enim, Hic robustus messor, Ista robusta mulier: nec dicimus, Antiquus robustus messor, Antiqua robusta mulier. At nomina numerorũ sunt istis pronominibus similia, ut, Centum aureæ pateræ, Mille amatæ naues. Ergo latinè dicetur, Mille ex hoĩbus: sicut dicetur, Isti ex illis. quæ locutio idẽ est quod Mille hoĩm. Cæterum nomina numeralia, siue substantiua, siue adiectiua sint, inter se iungi recusant: quia nec duo substantiua, nec duo adiectiua sola esse possunt, ut, Duo cẽtum, Tria mille, quum præsertim sint sua propria nomina, ut Ducẽta, Trecenta, & Supra mille & milia, quod planè substãtiuũ est. Ideoq; dicimus, Mille hoĩm, Duo milia hoĩm: nõ Duo mille, Tria milia, Quatuor milia hominum, & déinceps. Nec (ut dixi) Tria aut quatuor mille, sed Bis mille, Ter mille, aut Bis cẽtum, & Ter centum, non Duo centum, Tria centũ, aut (ut aliqui indocti loquuntur) Ducentũ, Tricẽtum, sed Tercentũ. Verg.

Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci.

Et alibi:

Hic iam tercentum totos dominabitur annos.

Reperimus tamen apud ecclesiasticos sæpè hoc modo dici, quale est: Debebat decẽ milia talẽta: & duodecim milia signati. Quod defendi non potest, nisi resoluas sic: Signati duodecim milia, talẽta decem milia: quasi dicatur, Numero duodecim milia, & numero decem milia, & subintelligatur entia. Debebat talenta entia decem milia signati entes duodecim milia, nisi interponas uerbum substantiuũ, sic. Signati erant duodecim milia, quod in altero exẽplo fieri neqt. Quo certè modo ipse nõ loquerer: sed potiùs Duodecim milia

Vide annot. Vallę in not. Test.

signatorum, aut duodecim milia signata, et Decem milia telentorum, & Duodecim milia drachmarum argenti. Cuius erroris (si error est) caussa (ut opinio mea fert) hinc fluxit, quòd sæpè legimus Decem milia pondo argẽti, quasi illud Pondo sit nominatiui, aut accusatiui casus, & non potiùs genitiui. Sæpè Decem milia, Quingenti pedites, non Peditum. Ita cùm numerus posterior defuerit, putant rectè dici posse, Decẽ milia pedites, quod falsum est. Nam cùm dicimus, Decem milia, Quingenti pedites, sic intelligimus, Decem milia peditum & quingẽti. Quo sæpè modo loquimur, nec aliter loqui possumus. Atq; ut nũc ad hoc Quingẽti subintelligimus Pedites: ita ad illud Milia subintelligimus Peditũ: quale esset in superioribus exemplis, Duodecim milia & ducenti signati, uel Duodecim milia signatorum & ducẽti, & ita in cæteris. Rariùs autẽ reperitur Mille pro Millia. Nam illud, Quicunq; te angariauerit mille passus, uade cum illo & alia duo: subintelliguntur Millia passuum. Alioqui dixisset Alios duos, non Alia, uel potiùs Alios bis mille.

THEOD. Decem milia talenta.) Hac forma loquendi, quanquàm non solũ à Laurentio, sed & à Budæo ac Erasmo improbata, sæpè tamen usi sunt Latinæ linguæ principes. Cicero pro Rabirio: Quid uociferare decem millia talẽta Gabinio esse promissa? Varro: C. Hircius circùm piscinas suas ex ædificijs duodena millia sestertia capiebat. Liuius belli Maced. lib. 8. Argenti probi duodecim millia Attica talenta. Curtius lib. 5. Credimus in huius urbis gaza fuisse centum & uiginti millia talenta.

BVDAE. Nec dicimus, Antiquus robustus.) Contrà Cicero pro lege Manilia: Cùm ita clausa, inquit, nobis erant omnia, ut neq; priuatam rem maritimã, neq; publicam gerere iam possemus. Qui lêge Laurẽtiana iudicabit, is mihi uidetur ita pronunciaturus, Videri duorum adiectiuorum collisionẽ esse in ijs tribus dictionibus, Rem priuatam

priuatam maritimã. Quid in illo loco Milonianæ? Vbi uidet homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum uirum inimicissimum suum, certissimum consulem, palàm agere cœpit. Non, Inimicissimũ suum, duo esse adiectiua collidentia uidentur? Et de prouincijs consularibus: Tuus pater Philippe non'ne uno tempore cum suis inimicissimis redijt in gratiam? Quòd si respõdebitur, Inimicissimos pro Inimicis substantiuè accipi, quale illud Plauti in Asinaria: Iube aduenire eum quæso, meritissimo eius, quæ uolet, faciemus. Et illud Varr. Nunc contra uillam urbanã quàmaximam habeant, dant operam, ac cũ Lucullì uillis pessimo publico ædificatis certant. Et rursus illud Liuij: Nec ambigere, quin Brutus pessimo pùblico id facturus fuerit, si libertatis immaturę cupidine alicui Regum priorum regnum extorsisset. Id uerò si quis tueri institerit, non contendam. Sed tamen idem Cice. ad Attic. ita scripsit lib. 2. Fuit enim mihi commodum, quòd in eis orationibus, quæ Philippicę nominantur, enituerit ille tuus ciuis Demosth. & quòd se ab hoc refractariolo iudiciali dicẽdi genere abiunxerit. Quæ locutio similis est illi primo loco citatæ. Sic idẽtidem Homerus, τὸν δ' αὖτε πρὸς εἶπε μέγας κόρυ θαίολος Et Αγριον ἐν στήθεσι θέτο μεγαλήτορα θυμὸν. Demosth. πρὸς λεπτίνην. Επειτα ἕκτωρ ἀτελῆς εἰσὶν ἀθρόοι παμπληθεῖς ἄνθρωποι. Idẽ Cic. in Catilinã: Nullum insigne honoris, nullũ monumentum laudis postulabo, præterquàm huius diei uestram memoriam sempiternam. Vergil. in 10. Aeneid.

Si nulla est regio, nobis quam det tua coniunx
Dura, per euersæ genitor fumantia Troiæ
Excida obtestor.

De numeralibus. Cap. V.

ET quoniã de numeris cœpimus, de ipsis aliqua dicere prosequamur. Et primùm hoc admoneamus, in quo plerique falluntur, Triceni scribendum esse non Trecenteni, nec Triceni, cùm significat trecẽtarium numerum, quod syncopatum est sicut cætera. Dicimus enim Duceni pro Ducẽteni, Treceni pro Trecenteni, Quadringeni, Quingeni, Sexceni, Septingeni, Octingeni, Nongeni, uel Noningeni, pro Quadringen

dringenti, Quingenti, Sexcẽteni, Septingẽteni, Octingenteni, Nongenteni uel Noningenteni. Centeni autem & Milleni nõ syncopãtur, quia non sunt prælongæ dictiones, sicut superiores. Triceni aũt caret syncopa, sed immutauit g in c, sicut Viceni pro Vigeni, & Triceni pro Trigeni. Est enim similimæ uocis c, & g, quẽadmodũ d & t: propter quod dicimus Quadringẽti pro Quadrincenti. In quo noũe t & in d, & c in g mutatũ est. Atq; quoniã dixi quosdam fãlli similitudine uocum: recẽseamus hæc ipsa infra Centũ, ut supra Centum fecimus. Dicimus igitur, Singuli, Bini, Terni, Quaterni, Quini, Seni. Septeni, Octoni, Noueni, Deni, Vndeni, Duodeni, Ternideni, Quaternideni, Quinideni, Senideni, uel Deniquaterni, Deniquini, Deniseni, Denisepteni, Denocteni, Denoueni, Viceni Viceni singuli, Viceni bini, Viceni terni, uel (ut posteà ostendemus) Singuli & uiceni, Bini & uiceni, & ita deinceps. Tum Triceni, Quadrageni, Quinquageni, Sexageni, Septuageni, Octogeni, nõ Octuageni (Octoginta enim dicimus, nõ Octuaginta) Nonageni, uel Nongeni, non Nouageni: dẽinde Centeni. Ideò autẽ hæc nomina in plurali protuli, quòd in prosa scribẽtes ferè plurali utuntur. In carmine frequenter etiam singulari. Et singularẽ quidem horũ nominum numerũ non prosa oratione scribentium, * ait Priscianus esse. sed poëtarum, ut Verg. Gurgite septeno rapidus mare summouet amnis. Veruntamen non tantùm poëtarum uideo esse, sed nonnunquã etiam aliorum, ut Plin. lib. 17. Traduces gallica cultura binis utrinq; lateribus. Si pars quadrageno distet spacio quaternis, uicenis inter sẽ obuij miscentur. Et in 25. Altera maior solijs laterum modo inclusa quoq;, quia septena est. Et in

Prisc. non dicit solũ esse poëtarũ, sed autores (inquit) non ppriè etiã singulari numero ea protulisse inueniuntur. Adducit aũt poëtarũ exẽplã tantùm

in 26. Prodigiosa sunt, quæ circa hoc tradit Theophrastus, author alioqui grauis, septuageno coitu durare libidinem contactu herbæ, cuius nomen speciemq; nõ posuit, septuageno, id est, septuaginta coitibus per singulas noctes. Nam ita hæc nomina exponuntur, ut, Creabantur olim bini consules, id est, per singulos annos duo. Vtuntur ergo oratores legitima significatione horum nominum. Binus enim siue Bini, significat singulis duo: Ternus siue Terni, singulis tres: Quaternus siue Quaterni, singulis quatuor. At poëtæ non ita. Septenus enim gurges, non est singulis septem, sed septem tãtùm uni flumini Nilo. Nec in singulari modo significatione hæc abutuntur, uerùmetiam in plurali, ut idẽ: Per duodena regit mũdi sol aureus astra. Duodena astra, pro Duodecim astra. At hoc Septeno Priscianus exponit Septenario, quod mihi non placet, quum inauditum sit, & flumen aliquod habere septenarium alueum, & fontem ẽdere septenarium riuum: siquidem hæc nomina numerum aliarum rerum, quæ non nominantur, indicant, non multiplicationem sui ipsorum, ut, Lapis centenarius, non quòd sit centuplus lapis, sed centum librarum: Homo centenarius, non quòd sit centum geminus, sed quod habet centum annos: Grex centenarius, non quòd sint centum greges, sed grex centum capitum. Rursus non dicimus, Centenariam libram, sed Centuplam: nec Centenarium annum. sed Centuplum annorum. Tamen dicimus, Centenarium, Septenarium, Duodenarium numerum. Siquidem numerus omnia complectitur, siue centenarius, siue decentenarius, siue alius quiuis numerus cæterarum rerum, librarum, annorum, similiumq;. Ideoq; rectè dicimus, Centenarium

Prisc. in fine lib. de ponderibus & mensuris.

numerum annorum ingressus est, non autem Centenarium annum: & Millenarium numerum portat pondo, non autem Millenaria pondo. Potuisset igitur Priscianus commodiùs exponere, Septeno gurgite pro septenarij numeri gurgite. Qua expositione uti solemus in illis numeralibus, quæ ultimum numeri eius significant: Decimus, Undecimus, Centesimus, Millesimus, id est, qui ultimus est ex decẽ, ex undecim, ex cẽtum, ex mille. Aliquando etiam sic: Hoc aruum attulit centesimum, illud uerò sexagesimum, tuum uerò trigesimum fructum: id est, centenarij numeri, sexagenarij, tricenarij fructum, uel centuplum, sexagentuplum, tricentuplum. Plinius lib. 18. Admiscetur huic far, ut mitiget amaritudinem eius, & tamen sic quoq; ingratissimum est uentri: nascitur qualicũq; solo cum centesimo grano: ipsumq; pro læta mine est. Non ultimũ granũ è centenario numero intellexit, sed grana cẽtenarij numeri, siue granũ centuplũ siue centenũ, eo modo, quo idẽ author dixit Viceno. Hac etiã ratione appellata est Quadragesima, quòd quadraginta dies continet. Quo uocabulo eloquentissimi Christianorum utuntur. Quidam etiã Quinquagesima, Sexagesima, Septuagesima: atque (ut ad rem redeam) utimur superioribus illis nominibus crebriùs in plurali numero, Singuli, Bini, Terni. Trinum igitur quum habeat singularem numerum: apparet, non esse naturæ istorum. Quinimò non memini comperisse me illud in plurali, licèt & singulare perrarũ sit, ut Trinum nundinum. Promulgari enim debebat antiquitùs rogatio apud Romanos trino nũdino: quod (ut opinor) aut tribus in locis uno die, aut tribus diebus uno in loco celebrabatur, ut Trimus, triũ annorũ, ita Trinus

trium

trium dierum, aut trium locorum. Priscianus autem ait, Trinundinũ pro trinũdinarum, Ciceronis exemplo pro Cornelio: Primò ex promulgatione trinundinum dies ad ferẽdum potestasq; uenisset. Quod si ita esset, à Tris compositum esset, non à Trinum, ut ait Priscianus, sicut Trinoctium: sed forsan per Apocopen dicimus Trinundinum pro Trinum nundinum, aut planè Trinundinum. Quintilianus lib. 2. Siue non trino fortè nundino promulgata, siue non idoneo die, siue contra intercessionem, uel auspicia, aliud'ue, quod legibus obstet, dicitur lata esse uel ferri. Titus Liuius libro tertio: Postquàm uerò comitia Decemuiris creandis in trinundinum indicta sunt. Idem libro quinto, nisi êditioni menda inest, ait: Anteà trina loca cum contẽtione summa Patricios explere solitos, nũc iam octoiuges ad imperia obtinenda ire. Donatus tamen hoc nomine utitur, & discipulus eius, non tamen magistro indoctior: Hieronymus, cum alibi, tum ad Marcellam: Et trinam negationem, trina posteà confessione deleuit, id est, triplici. Cæteri quoq; eodem nomine utuntur. Vnde dicta est Trinitas, trium personarum una diuinitas. Seruius super illud Vergilianũ: Terna arma mouenda, ait figura poëtica: nam Trina debuit dicere. Arma enim sunt tantùm numeri pluralis. Sed hæc ratio Seruij quàm sit efficax, ipse uiderit, qui uult hoc nomen aptum esse nominibus numeri pluralis: quod etiam reperimus coniunctum cum nominibus singularem numerum habentibus. Et quid præterea dixisset, si apud Vergilium foret Quaterna arma? nunquid legendum esset Quatrina? Verùm non est Trinum de numero eorum, de quibus disputauimus, quorum singularem non frequentari ab oratoribus di-

ximus, sed à poëtis, & quidem impropriè: etiam non nunquàm impropriè pluralẽ, quod aliquãdo ipsi quoque oratores faciunt: sed necessitate in his nominibus, quæ singulari carent, ut Codicilli: Licèt Iustinianus utatur, ut Liberi, ut Pugillares, ut Nuptiæ, ut Arma, ut Castra: aut si non carent, suntq; uel diuersi generis, ut Nundinum et Nundinæ, Delicium & Deliciæ: uel diuersæ significationis, ut hæc Aedes, et hæ Aedes: uel diuersi & generis & significatl, ut Epulum & Epulæ. Necessarium est autem dicere Binos codicillos, et Ternos, et Quaternos, nõ Duos, Tres Quatuor, ratione dictante. Quid enim si de diuersis codicillis dicendum mihi sit, quomodò dicam? Duos codicillos scripsit pater, unum ad me, alterum ad uxorem. Illud enim Vnum, & illud Alterum ad quid referur? ad Codicillũ, quod non reperitur? Dicendum est ergo Vnos. Quòd si Vnos, ergo & Binos dicendum erit: quod ex Ciceronis exemplo liquebit. Duplices similitudines esse debent, unæ rerum, alteræ uerborum. Quòd si dixisset, Duplex similitudo: subiunxisset, Vna rerum, Altera uerborum. Verùm, quia in plurali locutus est: non putauit alteri numero locum esse oportere. Dicamus ergo Binos codicillos, non Duos. Rursus, Duo testamenta, non Bina. De cuius naturæ nominibus quibusdam nominatim faciamus mentionem: si tamen illud monuerimus, ex prædictis colligi, utroque modo posse dici: Relinquo filijs meis testamento singulis, siue cuiq;, si multi, siue utrique, si duo fuerint, dena prædia: uel, singulis, siue unicuiq;, siue utriq; decem prædia, cùm ego & fratres mei ex bonis paternis habuerimus singuli, siue unusquisq;, siue uterq; unum prædium, uel singuli, siue unusquisq;, siue

siue uterq; singula prædia: quæ etiam uno loco coniunxit Cicero in Paradoxis, Capit ille ex suis prædijs sexcenta sestertia, ego centena ex meis. Non dixit, Aut sexcenta & centum, Aut sexcena & centena, quæ tamen diuersa sunt, ut intelligamus, ab illo sexcenta capi uno anno, non singulis annis, ab hoc centena non uno anno, sed singulis annis. Ego tamen puto scribendum esse Sexcena, non Sexcenta. Multa hîc, & multifariam uiciosè dicta repetere liceret, sed uereor tãtos uiros carpere. Vnum tantũmodò dixerim ex tertio li. Regũ: Septena retinacula in capitello uno, & septena retinacula in capitello altero: cũ dicendum esset, Septem in uno, & septem in altero, aut Septena in singulis, aut Septena in utroq;. Et si fuissent plura duobus, Septena in unoquoq;. Cuius conditionis est illud in eodem libro, Quòd abscõderim de prophetis domini centum uiros, quinquagenos & quinquagenos in speluncis: hoc modo nõ rectè dicitur, sed eo modo, quo paulò antè dictum erat. Tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos in speluncis, id est, in singulis speluncis quinquaginta. Quidam iuris studiosi accipiunt Dena pro Viginti, non intelligentes, significari singulis duorum decẽ. de quorum imperitia quid multis dicendũ? quum putent rectè dici. Vnaquinque, quasi una sit nomen, nõ aduerbium. Ne illud quidem obticebo (quemadmodũ superiùs ostẽdi) illa nomina supra Centũ syncopari, infræ uerò Centũ minimè. Ita è diuerso aduerbia infra Centũ syncopari, ultra nõ syncopari, ut Vicies pro Viginties, Tricies ϕ Triginties. Déinde Quadragies, Quinquagies, Sexagies, Septuagies, Octogies, non Octuagies, Nonagies, non Nouagies. Cætera nõ syncopantur, Quinquies, Sexies

Sexties, Septies, Octies, Nonies, Decies, Centies, Ducenties, Trecenties, Quadringenties. Septingenties, Octingenties. Noningenties, Millies. deinde Bismillies, Termillies, Quatermillies, Quinquies millies, Vicies millies, & deinceps &c.

Nunc ad institutum redeamus, ab hoc potissimùm nomine incipientes.

De Litera & Epistola. Cap. VI.

Litera in singulari numero significat elementum ipsum a, b, uel manum scribentis, ut ad Atticum Cice. Nam Alexidis manum amabã, quòd tam propè accedebat ad similitudinem tuæ literæ. In plurali uerò epistolam, præterquàm apud poëtas, qui pro epistola uersus gratia in singulari semper utuntur, ut Ouid. Quàm legis à rapta Briseide litera uenit, Nã quod Cicero ad Cælium scribit, ad se nullam literam Bibulum misisse: ita ait, quasi nullum uerbum misisset: quod ut uehementer extenuaret, nõ dixit uerbum aut syllabam, sed literam. Frequẽtissimum igitur est Literæ pro epistola. inter quæ duo nomina hæc elegantiæ differentia est: quòd dicimus Vnam epistolam, Vnas literas: Duas, tres, quatuor, quinq; epistolas, Binas uerò literas, ternas, quaternas, senas, septenas, octenas, nouenas, denas: nunquàm aliter, quale esset, Vnas, binas, ternas, epistolas: Duas, tres, quatuor literas: In hoc tamen conueniunt, ut dicamus, Dedi singulis, uel unicuiq;, uel utriq;, siue singulas literas, siue singulas epistolas. Iterum in maiori numero non conueniunt, ut Dedi singulis duas literas, uel binas epistolas: sed binas literas, & duas epistolas: non autem secùs, de quo iam dixi. In quo obseruandum est de cæteris quoq; uocabulis, ut si dicas, Accepi abs te binas literas

literas, non subiungas, quarum alteri respondi per proximum tabellarium, alteri nunc respondeo, sed Alteris. De epistola uerò apertum est, ut, Accepi duas epistolas, quarum alteri iam respondi, alteri nunc respondeo. Cicero uerò ferè ait: Accepi literas, accepi epistolas. Plinius frequenter etiam Recepi, nisi libri mendosi sunt.

De Aedes, & eius deriuatiuis. Cap. VII.

Aedes in plurali accipitur pro domo, nec unquàm aliter, ut, Aedes meas non proscribam. In singulari, atq; adeò in plurali, pro templo, ut Cicero in Philippicis libro primo: Ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati fuimus, in quo templo (quantum in me fuit) ieci fundamenta pacis. In quo templo, id est, in qua æde Telluris. Sed in hac re differt à templo, quòd semper in utroq; numero habet adiectionem, ut, In æde Iouis, Mercurij, Mineruæ, in æde Concordiæ, Telluris, Honoris, Virtutis, in æde sacra, & in plurali Sacras ædes, ædes deorum, ædes Nympharum. Nam cùm ait Lucretius de Ioue loquens: Ipse suas ædes disturbat: périnde est, ac si dixisset, Iouis ædes. Igitur pro templo dicemus duas, tres, quatuor deorum ædes, duas sacras ædes, pro domo binas, ternas, quaternas, priuatas ædes. Aeditui autem ab ædibus sacris, quas tuentur, appellati sunt, nõ à priuatis. Aediles quoq; magis à sacris ædibus dicti sunt, quibus curandis præpositi erant. Aedificare autem magis ad domos hominum spectat, quàm deorum: nec domos tantùm, uerumetiam naues, ut Cicero: Qui cùm maximas ædificasset instruxisset q; classes. Neq; hoc indignũ est admonitione, eum, cui domus ædificatur, dici ædificare, ut idem de consulari uiro inquit: Qui cùm

Vide Adri. Card. Aedificare nauẽ, & Fest. Pompei in dictione ędificare.

cùm ædificasset in palatio plenam dignitatis domum. Similiter in cæteris uerbis, ut Horatius de prædiuitibus:

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

ALEX. AB ALEX AND. Aedes in plurali.) Aliter non raro summi authores usi sunt. Curtius lib. quinto: Stabant ad fores ædis eius, in qua rex uescebatur. Cice. pro Cluentio: Atque illo tempore in æde T. Annij hominis honestissimi: & Liuius: duumuiri creati fuêre ædibus dedicandis.

De Liberi, Pugillares. Cap. VIII.

Liberi pro filijs singularem nõ agnoscit, cuius natura à superioribus dissentit. Nam ut dicã: Lêgo Titio ternas ædes, unas in foro, alteras in Iaiculo, tertias in Suburra: ita non dicam, Ex terniis liberis meis, unos, alteros, tertios: sed, Ex tribus liberis meis, unum in alienam familiam dedi, alterum abdicaui, tertium hæredem instituí. Cuius rei caussa est, quod cùm dico Vnum, alterum, tertium, adiungi solet Filium, & tres liberos, quasi tres filios: quod ita non fit in Aedes, & in Literas, nisi subintelligas Domũ & epistolã. Sed quid facies in cæteris, in Nuptias, & in Pugillares? absurdum sit dicere, Vnam nuptiam, unam pugillarẽ. Pugillares autem significat tabellas cereas, siue ligneas, siue alterius materiæ, in quibus stilo scribimus. Liberum tamen pro filio, & apud Quintilianum, & apud Paulum Caiumq; reperio.

LONGO. Et apud Vlpianum quoque: Locupletior non est factus, qui liberum adquisiuit. Modestinus etiam: Non potest quis nolle suum liberum esse. Alciatus putat iureconsultos plus satis tribuisse uulgari consuetudini, cùm dixerunt liberum pro singulari numero.

THEOD. Pugillares autem.) Vt pugillares masculino genere dicimus: ita & pugillaria neutro. Gellius lib. septimo cap. nono: Fugillaria noua, nondum etiam cera illita, accepi

accepisse. Catullus: Et negat mihi uestra redditurũ pugillaria, si pati potestis.

De Hortus & Odor. Cap. IX.

Hortus quoq; eiusdem naturæ est. Nam in singulari pluraliq; pro hortis olitorijs accipitur, id est, olera producentibus. Est enim olus omnis herba satiua qua uescimur, & cuius folijs & caule in edulium utimur. Horti uerò in plurali arboribus consiti dicuntur, & uoluptatis amœnitatisq; caussa parati. In superiore igitur significatione dicemus, unum hortum, duos, tres hortos. In posteriore, unos, binos, ternos, quaternos hortos: nisi alicuius authoritas aliud sibi uendicauerit. Odor huic simile est: qua uoce, notum est, quid in utroq; numero significetur: in plurali uerò tantùm odoramenta, ut, Odores ex Arabia sunt. Hoc tamen nomen raro cũ numeralibus iungitur, sed cum alijs adiectiuis. Odor.

De Commeatus. Cap. X.

Commeatus autem, & si qua sunt similia, non recipiũt talem ambiguitatem. Siquidem superiora in uno sensu habent utrunq; numerũ, in altero tantùm pluralem: hoc uerò in altero tantùm singularem. Est enim commeatus in singulari tantùm pro facultate, ad tẽpus, à militia, ab aliõ ue ministerio recedendi, quam præbet militi imperator, præpositus ue inferiori, eumq; quò uelit, ad præscriptũ diem reuersuro: licèt Liuius libro 23. ait, Magna pars sine commeatibus dilabebatur. In utroq; autẽ numero pro cibarijs ad alimoniam reipublicæ, aut exercitus, aut alicuius multitudinis. Interdum etiam priuatim. Cicero pro lêge Manilia: Iam commeatu & priuato & publico prohibebamur.

In

In utroq; autem numero pro cibarijs.) Commeatus etiam pro transportatione, traiectu, uel commeatione accipitur. Cæsar belli Gall. lib. 5. duobus commeatibus exercitum reportare constituit. Et paulô infra: Et prioris commeatus expositis militibus.

De abusione pluralis pro singulari, & de reditu parenthesis. Cap. XI.

EX his, quæ dixi, colligi potest, non uerum esse quod aliqui uolunt: Quoties author in numero plurali loquitur, declarari dignitatem quãdam, & (ut sic dicã) magisterium. Quid enim caussæ est, cur hæc nomina pluraliter, non singulariter efferantur? quid Athenæ potiùs, quàm Athenæ? quid Roma potiùs, quàm Romæ? Sed ne in re aperta dicam pluribus, huic opinioni repugnant, cum ipsa rhetorica ars, quæ iubet nos uti modò plurali pro singulari numero, modò singulari pro plurali: tum plurima exempla, adeò, ut uno atque eodem loco de se orator in utroq; numero loquatur. Vergil.

O Meliboee, deus nobis hæc ocia fecit.
Nanq; erit ille mihi semper deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues, -

Hîc de se loquens Tityrus nũc Nos, nunc Me ait: Homerus quoq; Iliados decimotertio:

Ερχομαι εἴττιοι ἔγκος ἐνὶ κλισίῃσι λέλειπται,
οἰσόμενος, τὸν γὰρ κατεάξομεν ὁ πρὶν ἔχεσκον

Et in prosa, ut Quintilianus in ægro redempto: Vtinam hoc saltẽ mihi serò fata præstarent, ut residuum laborantis animæ in tuo poneremus amplexu. Et Cice. in Philip. quod exemplum in alium etiam usum uolo adferre prolixius, ait igitur: Itaq; ego ille qui semper author pacis fui, cui que pax, præsertim ciuilis, quanquàm

Id est, Venio si qua in taberna culis hasta relicta sit laturus, certè em̃ fregimus, q̃ priùs habebam.

quanquàm omnibus bonis, mihi tamen in primis fuit optabilis. Omne enim curriculum industriæ nostræ in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est. Hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consecuti sumus. Ego itaq; pacis (ut ita dicam) alumnus, qui quantuscũq; sum (nihil enim mihi arrogo) sine pace ciuili certè non fuissem: periculosè dico: quemadmodùm accepturi P. C. sitis, horreo, Sed pro mea perpetua cupiditate uestræ dignitatis retinendæ & augendæ quæso, oroq; P. C. ut primô, si erit uel acerbum dictu, uel incredibile, à M. Cicerone esse dictum existimetis sine offensione, quod dixero: nec id priùs, quàm quale sit explicauero, repudietis. Ego ille (dicam sæpiùs) pacis semper laudator, semper author, semp̃ amator, pacẽ cũ M. Antonio esse uolo. Hæc in eum quoq; finẽ retuli, ut ostenderẽ, oratores, cùm inceptæ orationi aliquid longius inseruerunt, redire iterũ ad id quod inceperant. Aliquando etiam frequentiùs memoriæ iudicum reficiendæ gratia, uel eodem uerbo repetito, ut in proximo exemplo, uel quod idem efficiat, ut apud eundem & in eodem opere: Collegam tuum, aiũt, in hac sua fortuna, quæ bona ipsi uidetur, mihi (ne grauius quidpiam dicam) auorum & auunculi sui consolatum si imitaretur, fortunatior uideretur: sed eum iracundum audio factum. Aiunt, & Audio, idem efficiunt.

De Questubus & Quæstibus. Cap. XII.

QVestus in plurali pro querela à Queror, undè fit Conqueror, cuius datiuus et ablatiuus Questubus, ut Portubus. Quæstus in utroq; numero, cuius in plurali datiuus & ablatiuus est Quæstibus

stibus à Quæro: undè fit Cõquiro, deriuatur per syncopen à supino Quæsitum, significatq; lucrum numarium. Nam lucrum uocamus etiam non numarium, ut amicitiæ, gloriæ, scientiæ, cæterorumq; huiusmodi. Quæstum quoq; nonnunquã recipi pro actione ipsa atq; artificio lucrandæ pecuniæ, ut apud Ciceronem: Nam de artificijs & quæstibus, qui liberales habendi sunt, qui sordidi sunt. Et Quintilianus: Nam ut primùm lingua esse cœpit in quæstu, institutũq; eloquentiæ bonis malè uti: Quæstu dixit, quasi adquisitione.

Lucrum

De Scala, Pondo Cap. XIII.

SCala à quibusdam in singulari usurpatur, Sallustius cum alijs quibusdam ostendit pluralem tantùm habere, cũ dixit in Iugurt. Dein ubi unæ atq; alteræ scalæ imminutæ sunt, qui superstiterãt, adflictis sunt: nõ dixit Vna atq; altera. Pondo autem caret singulari numero, teste Foca. Dicimus autẽ Duo pondo, tria pondo, non Bina pondo, terna pondo. Quintil. in 1. Quid quòd quædam singula proculdubiò uiciosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur. Nam Duo & Trepondo diuersorum generum sunt barbarismi: at Duapondo, & Tripondo usq; ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, & rectè dici Messala confirmat. Forsitan huius rei caussa est, quòd sicut superiùs de Liberis diximus, ita hîc, si quis ita loquatur, Relinquo liberis meis duo pondo auri, alterũ signatum, alterum rude, intelligitur libram. Idem est enim Duæ, tres, quatuor libræ, quod Duo, tria, quatuor pondo, ut quidã uolũt: quod multi authores nõ probãt ut Liuius lib. 22. Argenti pondo bina, & sex libras in militem præstaret: legendum sit Selibras. Quidam etiã singularẽ huic nomini dant, & huius ipsius authoris

ris (si êditio uerax est) nonnullæ exempla sunt. Quale est etiam Columellæ: Scilæ aridæ pondo libram, & quadrantem adijci oportere: sed nunc pro pondere utdetur accipi. Huiusmodi conditionis est Ludus & Ludi: sed hæc in alterum librum reseruamus. Nunc aliquid etiam de numeris addamus.

Scalas numero tantùm plurali dici oportere. Valla & alij existimauerũt, moti authoritate Sallustij ita scribentis: Deinde ubi unæ atque alteræ scalæ comminutæ sunt, & cætera. Sed numero quoque singulari scala frequenter reperitur. Proprie tamen singulari numero ea significatur, quæ ex teretibus lignis, aut funibus, alia'ue simili materia constans, huc atq; illuc trãsferri potest. Plurali uerò, ea quæ latiores habet gradus, & immobilis ac fixa permanet. De hac Plinius: Etiamnum scalis tectum Ephesiæ Dianæ scãditur, De illa Caius iurisconsultus: Vel scalam sciens cõmodauerit ad ascẽdendum.

PEROT.

Lib. 14. cap. 1.

De ordine numerorum. Cap. XIIII.

PLato uno & octogesimo anno scribens mortuus est. Isocrates quarto & octogesimo anno cum librum, qui Panathenaicus inscribitur, scripsisse dicitur, uixitq; quinquennium posteà. Cuius magister Leontinus Gorgias centum & septem compleuit annos. Hæc Cicero: cuius ex uerbis datur intelligi, ante Centum præponi numerum minorem, post Centum uerò postponi: quod Quintilianus quoq; confirmat, cùm ait: Artium autem scriptores antiquissimi Corax et Thysias Siculi, quos insecutus est uir eiusdem insulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis (ut traditur) discipulus. Is beneficio longissimæ ætatis (nam centũ & nouem uixit annos) cum multis simul floruit. Et paulo post: Nam & Isocratis præstantissimi discipuli fuerũt in omni studiorũ genere. Eoq; iam seniore (octauũ enim & nonagesimũ compleuit annum) pomæridianis

Cicero de Senect.

Li. 2. ca. 1

scholis Aristoteles præcipere artem oratoriam cœpit. Hoc tamẽ uidetur fieri intercedẽte copula. Nam ea sublata, ut quisq; numerus maximus est, ita primo loco præponitur, dũtaxat citra Centum, ut, Maiõr uiginti quinq; annis, non autem maior quinq; uiginti annis. Etiam in illis, quæ supra tractaui, numeralibus Viceni singuli, uicenibini, uiceniterni, aut Singuli & uiceni, bini & uiceni, terni & uiceni. Supra centum naturalem ordinem sequimur, ut superiora exempla docent, Centum & septem compleuit annos, cẽtum & nouem uixit annos. Plinius lib. 7. Naturalis historiæ:

Cap. 49. Centum uiginti natos annos Parmæ tres êdiderẽt, Brixelli unũ 125. Parmæ duos 130. Placentiæ unum 131. Fauentiæ unã mulierem 131. Bononiæ L. Terentium Marci filium. Arimini uerò M. Apomum, C L. Tertullam 137. Citra Placentiam in collibus oppidũ est Velleiacium, in quo 10. natos annos sex detulêre. Quatuor centenos uicenos. Vnum 150. Marcus Mutius Marci filius, Galerius Felix, ac (ne pluribus moremur in re confessa) in regione Italiæ octaua centenũ annorum censi sunt homines 34. Centenum denum homines 57. Centenum uicenum quinum homines duo. Centenum tricenum homines quatuor, centenum tricenum quinum aut septenum totidem, centenum quadragenum homines tres. Idem tamen Pli-

Cap. 52. nius paulò pòst ait: Vt tamen in septenum & quinquagesimum atque centesimum uitæ duraret annum. Ex quo apparet, sine copula maximum quẽque numerum præcedere: quum copula nõnihil uariet, præsertim retrorsum eundo. Adhuc quæ dicimus & recitauimus exempla, intrà numerum millenarium sunt, sed in ipso quoq; maximum quẽq; numerum semper præponemus, ut

ut, A natali Saluatoris anni sunt mille quadringenti & XXXVIII. Illud tamen notandum est, in Millibus eandem esse naturam, atq; in numerabilibus citra Centum, ut, Milites nostri sunt sex & uiginti milia, non autem Viginti & sex milia: uel, Milites nostri sunt uiginti sex milia, siue, Militum nobis sunt uiginti milia, siue, Milites nostri sunt uicies mille, siue, Nobis singulis sunt decies mille milites, siue, Nobis singulis sunt dena milia militum, siue, Nobis singulis sunt decẽ milia militũ. Omnia aũt quæ locuti sumus, ultra uicesimum numerum intelligi uolo. Nam decem & septem, decem & octo, decem & nouem, normam illam, quam dixi, non tenent. His inferiora ne ipsa quidem seruant suam lẽgem. Illa enim coniunctionem habent interpositã, hæc non habent. Veruntamen nec hæ bere possent, quum sint composita nec plura, sed singula nomina, Vndecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sexdecim: sicut illa quoq; composita atque unica sunt nomina, Vndeuiginti, duodeuiginti, undetriginta, duodetriginta, undecentum, duodecentum, hoc est, uno aut duobus demptis de uiginti, de triginta, de centũ: ut, Ab incarnatione Saluatoris sunt anni mille quadringẽti duodequadraginta. Et per denominatiua: ut, Ab incarnatione agitur annus millesimus quadringẽtesimus duodequadragesimus. Plinius libro tricesimo quinto naturalis historiæ: Duodecesima Olympiade interijt Candaules: licèt pleraque exemplaria habeant duodeuiginti Olympiade. Idem proximo libro: Atq; adeò duodequadragenum pedum Luculei marmoris in atrio Scauri collocati. Duodequadragenum pro Duodequadragenorum. Titus Liuius libro primo: Duodequadragesimo fermè an-

no, ex quo regnare cœperat Tarquinius.

Sed in ipso quoque max.) Hoc non obseruauit Plautus, Vbi ait in Rudente: Vin' centum & mille?

FRANC. FLOR.

De Domus. Cap. XV.

DOmus genitiuos duos habet, unum secundæ, alterum quartæ declinationis, Domi & Domus. Sed prior significat locum ubi quis manet: Posterior corpus ipsum atq; ædificium, quod ex parietibus constat & tecto: ut, Domi maneo, nõ Domus: &, Partẽ domus demolitus sum, superiora domus ascendi, non Domi. Nam illud, Domus meæ imperium teneo, nõ pro loco accipitur, sed pro familia, quæ continetur ædificio, figuratè continens pro contento: Quòd etiã dicere licet Domi meæ, quasi in domo mea. Quòd autem idem si: Domi & In domo, notum est. Vnum tamen adferam exemplum Quintiliani lib. 5. Io domo furtum factum ab eo, qui domi fuit. Datiuus tãtùm quartæ est. Accusatiuus indifferens. Ablatiuus secundæ. In accusatiuo et ablatiuo uel cum præpositione uel sine præpositione loquimur, ut, Reuertor domum, uel ad domum. Exeo domo, uel è domo, & Sum in domo, uel domi, hoc grãmaticæ est, illud uerò latinitatis & elegantiæ. Hunc genitiuum secundæ nõ coniũgimus, nisi cum tribus siue quinq; pronominibus, Meæ, tuæ, suæ, nostræ, uestræ, & uno nomine Alienæ, ut, Ego uiuo domi meæ, non uiuo domi tuæ: eram domi suæ: nostræ, non uestræ domi habitare uolo. Cicero in libris ad Herennium: Qui cùm ista ætate & forma alienæ domi uolo dicere: quidam uolunt illud Domi aduerbi ascere. Sed quomodò coniungeretur cum adiectiuis? Quòd si quando quinq; hæc pronomina adiectiua supprimantur, tamen subintelliguntur, ut, Domi ero, id est

μετονυμικῶς.

est, meæ: Domi erimus, id est, nostræ: Domi eris eritis'ue, id est, tuæ, aut uestræ: Domi erit aut erunt, id est, suæ: sicut in altero sensu, & in plerisq; nominibus, ut, Partem domus locaui, in altera parte ipse habito, id est, partẽ domus meæ: &, Pater mihi iussit, mater te uocat, frater nos expectat: hoc est, pater meus uel noster, mater tua uel nostra, frater noster. Quando autem hic genitiuus secũdæ regit alterum genitiuum, siue pronomẽ siue nomẽ certũ est, ut, Ergo erã domi illius, domi huius, domi Cæsaris, domi Pompeij. Domi autẽ publicæ, domi priuatæ, domi honestæ, domi infamis, domi paternæ, domi maternæ habito, & similia non licere dicere, iam tradidimus.

De compositis à Quis uel Qui. Cap. XVI.

QVisquis & Quicunq; pro eodem accipi solent, ut, Quisquis es, huc uenias, &, Quicũq; es, huc uenias. Quidquid & Quodcunq; non accipiuntur pro eodem, quum alterum sit substantiuum, ut, Quidquid festiuum, quidquid molle, quidquid tenerum, quidquid iucunditatis, quidquid gaudij, quidquid pecuniarum: alterum adiectiuum, ut, Quodcunque telum, quodcunque scutum, quodcunque iaculum. Cuius differentiæ caussa est, quòd uoces hæ in masculino conuenientes, in neutro posteà discordant. Erat enim Quicunque & uox & significatio similior, si reperiretur eo modo, quo dicimus, Quidque à Quidquid: Quodque enim siue Vnumquodque componitur à Quod. Sed, ut non reperitur Quidcunque, ita nec Quodquod. Illud nanque componitur ex Qui, quæ, quod: hoc autem ex Quis & quid: caretq; genere fœminino, quinetiam masculino in accusatiuo casu, tantumq; habet nominatiuum Quisquis, quidquid, accusatiuum quidquid,

ablatiuum quoquo, tum in masculino, tum in neutro. Nonnunquàm etiam in fœminino Quaqua, ut apud Suetonium de uita Titi: Galba mox tenente rempub. missus ad gratulandum, quaquà iret, conuertit homines, quasi adoptionis gratia accerseretur. In accusatiuo quoq; interdũ in alio genere quàm neutro, sed uix apud oratores. Plautus in Captiui duo: Nam meus balliſta pugnus eſt, cubitus catapulta, humerus aries. cùm genu ad quenquam iecero, ad terrã dabo: dentilegos omnes mortales faciam quenquem offendero. Quenquem, id eſt, quemcunq;. Sergius autem Donatum commẽtans ait: Vtraq; parte declinatur hoc pronomen Quiſquis, cuiuſcuius, cuicui, quenquẽ, quiſquis, à quoquo: quiqui, quorumquorum, quibuſquibus, quoſquos, quiqui, à quibuſquibus. Noli putare, hoc caſu declinationis eſſe, ut apud Ciceronem, Remanſit cuicui. Hæc Sergius. Igitur quum ſit compoſitũ quidquid ex Quid, quodcũq; ex quod, debuit illud eſſe ſubſtantiuum, ut Quid & aliquid: hoc adiectiuum, ut Quod & aliquod. Dicimus enim, Quid feciſ non autẽ, Quod feciſ Aliquid feci, nõ autem Aliquod feci. Item, Quod malum feciſ nõ autem, Quid malũ feci, ſed Quid maliſ Et, Scio quid faciam, non autem, Scio quod faciam: Video quid facis, ſæpius quàm, Video quod facis, ita & cætera ab his compoſita, Quiddam, quoddam. Nam Quiddam adhæret adiectiuo, Quoddã ſubſtantiuo: ut, Mirabile quiddam, obſcœnum quoddã, quiddam maius. At Quoddam templum, quoddam nemus, quoddam antrum, oppidum quoddam: in quo nulli fere errant, hîc autem multi, pro Quidq; ponentes Quodque, ut, Optimum quidq;, honeſtiſsimum quidq;, ſaluberrimum quidq;. Vbi non licere poni Quodque, ex his liquet

quet exemplis: Optimum quodq; prædium: honeſtiſſimum quodq; conſilium: ex iumentis, quæ cepi decimum quodq; ſit tuum. Nam ſubſtantiui natura eſt coniungi cum adiectiuo, adiectiui uerò cum ſubſtantiuo, quaſi connubio quodam. Ideo ubicunque eſt ſubſtantiuum, deſiderat adiectiuum quaſi coniugem, impatiens alterius ſubſtãtiui. Rurſus adiectiuum ſine ſubſtantiuo, tanquàm ſine utro, eſſe non poteſt, cum altero adiectiuo nihil conſortij habens. Eoq; factum eſt, ut hi, quos dixi, errarent. Quôd quandoq; uidetur ſine ſubſtantiuo eſſe Quodq;, ut, Reliquit mihi pater multa prædia, quorum optimum quodq; ſublatum mihi eſt, uel, Ex meis multis prædijs optimum quodq; mihi ſublatum eſt. Sed omnibus liquet, ſubintelligi ſubſtantiuum ſic, Optimum quodq; prædium. Quodq; autẽ idem eſſe quod Vnumquodq;, antè ſignificaui. Quintilia. Nec cauſſas cur quodq; eorum accidat, proſequi propoſito operi neceſſarium eſt. Hoc quoq; addamus, Quid ſolere uſurpari pro In quo, ut apud eundem: Quid tibi tantum mali feciſ quid offendiſ et alibi: Si quid offendi. Cice. in Lælio: Quid enim indigens Africanus meiſ. Eodem modo Nihil, ut, Nihil te offendi. De differentia autem inter Quidam et Aliquis, ſiue Quiſpiã, ſiue Quiſquam, quôd illud certum hominẽ, hoc unumquemlibet ſignificat, in libris Dialecticis diſputauimus. Hîc tantùm admonendum eſt, quodſdam his poſterioribus eo modo uti, quo ego nõ uterer pro illo ſuperiore: ut Hieronymus. qui ſic librum de Hebraicis quæſtionibus exorditur: Qui in illis principijs librorum debeam ſecuturi operis argumentum proponere, cogor priùs reſpondere maledictis, Terentij quidpiã ſuſtinẽs, qui Comœdiarum prologos in defen- Li. 2. c2. 25

sionem sui dabat. Ego dixissem Quiddam potius, quã Quidpiam. De certo enim crimine loquitur, non de incerto. Idem est enim Quidpiam, quod Aliquid. Sed de hoc in libris his, quos dixi, latiùs. Sed fortè Hieronymus scriptum reliquerat Quiddam, & librarij in Quidpiam mutauerunt.

THEOD. Quicunq; pro Omni non raro accipitur, Plinius lib. 31. cap. 9. Sed quicunq; sal acopis additur ad excalfactiones: id est, omnis generis sal. Eodem modo in reliquis generibus. Idem libro 2. cap. 59. Post autumni æquinoctium quacũq; hora. Et lib. 9. cap. 23. Murena quocunq; tempore parit, quum cæteri pisces statо pariant.

De adfinitate genitiui & ablatiui. Cap. XVII.

MAgna authoritate est uir, uel magnæ authoritatis: utroq; enim modo dicimus, sed rarò, sine adiectiuo duntaxat in genitiuo: Nam in ablatiuo nunquàm, ut Cicero in Sallustium: Nunquid quos protulit Scipiones & Metellos antè fuerunt aut opinionis, aut gloriæ? Cæterum in eadem oratione nõ est utendum genitiuo & ablatiuo, nisi uelimus illud Plinian. ex lib. 7. Naturalis historiæ sequi: Choromanorum gentem uocat, Tauron syluestrem sine uoce, stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis. Poterat dicere. Stridore horrendo. Quanquàm (quod ad elegantiã pertinet) ego pro lege accipio quidquid magnis authoribus placuit, quorum in primis est Plinius: præsertim quum Cic. ad Lentulum ita scribat: Lentulum nostrum eximia spe, summæ uirtutis adolescentem, cum cæteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias. Licèt illud, Eximia spe, posset uideri separatum ab illo, Summæ uirtutis, quod regitur ab illo

lo adolescentem: ut si dicas, Habeo summa spe filium, adolescentem optimæ indolis. Quod si ita non est, licebit in utraq; oratione uti genitiuo & ablatiuo, tamẽ (ut ego sentio) parcè. Nam illud ab hoc loco separatum est, quod idem dixit: Scipio Afric. id ætatis atque his rebus gestis. Illud enim Id ætatis, uel idem est quod Ea ætate: sicut dicimus, Decem annis uixi, & more Græco, Decem annos, quàm honestiorem locutionem Seruius putat: uel aduerbialiter ponitur, uel subintelligitur Habens, uel agens, uel natus id ætatis. In quo protinus admoniti sumus, oratores summoperè Synecdochen refugisse: quale foret, Gentem stridore horrendam, hirtam corporibus, oculis glaucam: historici non refugerunt, ut Sallust, At ex altera parte C. Antonius pedibus æger, in prælio adesse nequibat. Cicero Quintilianusq; dixissent: Pedibus ægris, nec dixissent, Doleo caput, doleo ilia aut ilibus: esset enim Synecdoche: sed, Dolet mihi caput, & ilia tibi dolent. In hoc uerbo & illud notandum est, quòd de re extra nos posita, sicut de corpore nostro loquimur, ut, Istud quod facis, dolet mihi, utinam doleret tibi, ut apud Terent. Dolet dictum adolescenti pudenti, & In Eunu. libero. Et iterum: Si istud itidem doleret tibi, ut mihi dolet. Et in eadem Comœdia, Fac illi quod itidem doleat, quod nunquàm per Synecdochen dicere possumus, Nam ego doleo istud quod feci, qui sermo, ut superior, apud authores est frequens, ut Sallustius: Quasi dolens eius casum: non est Synecdoche. Hæc enim figura tantùm ad animi & corporis qualitatem pertinet, nihil ad externa respiciens: qualia fuerint, Doleo caput, doleo ilia, & hic pulcher faciem, ornatus animum. Ideoq; illa Synecdoche non erunt, Potens diuitijs

diuitijs, grauis pietate, præditus dignitate.

De In auro, & In æs. Cap. XVIII.

IN marmore incisæ sunt literæ, in gemma, in lapide, in ligno, in auro: non autem in marmor, in gemmam, in lapidẽ, in lignum, in aurum. Ediuersò In æs, non In ære. Ita enim apud omnes authores (quantum inuêni) semper scriptum est. Liuius lib. 3. Priusquàm in urbem ingrederetur, lẽges decemuirales (quibus duodecim tabulis est nomen) in æs incisas in publico proposuerũt. Sed quid exempla ponimus paucorum, quod omnes facere adfirmamus?

THEOD. In ligno.) Et cum accusatiuo Gellius lib. 17. cap. 9. Pugillaria noua nondum etiam cera illita accepisse, literas in lignum incidisse. Et cũ datiuo, ibidem: Eum deinde ceram derasisse, literasq; incolumes ligno incisas legisse.

ALEX. AB ALEXAN. Ediuersò in æs.) Contra Vallæ opinionem crebrò hoc in ablatiuo usurpatum apud authores inuenimus. Plinius Iunior ad Traianum: Et incidẽda in ære censuistis. Cice. in Verrem act. 6. Id non modò tunc scripserunt, uerùmetiam in ære incisum nobis reliquerunt.

De uenustate discordiæ relatiui cum antecedente. Cap. XIX.

RElatiuum frequenter non respõdet antecedenti, neq; in genere, neq; in numero, utique cùm reflectitur eius sententia ab antecedẽte ad sequẽs substantiuum, de masculino in neutrum, ut Sallustius: Est locus in carcere quod Tullianũ appellatur. Quod aliter dixit Valerius Maximus lib. 2. Antea senatus ædiuum stationem eo loci peragebat, qui hodiè Senaculũ adpellatur. Et Pli. In coitu uerò lunæ, quod interluniũ uocãt, cùm apparere desierat. Mutato etiã numero, ut Cic. Quibus tandem gradibus Romulus in cœlum ascendit? his' ne, quæ isti appellant bona? De masculino quoq; in fœmininũ, ut idem: Omnes tenues atque humiles, quæ maxima in populo multitudo est, sibi præsidium paratum putant. Et Vergil.

Nec partẽ posuêre suis, quæ maxima turba est.

Manente quoq; genere, uidetur fieri quædam mutatio, ut Quintilianus: Vbi uerò uniuersas familias fames extinxit, quæ maxima pars est, inanes domus situm ducũt. Ediuersò de fœminino in masculinum, non mutato numero. Sallustius: Ea fines habet ab occidẽte fretum nostri maris & Oceani, ab ortu solis decliuem latitudinem, quem locum κατωβαθμὸν incolæ appellant. Mutato etiam numero, ut Quintilia. Resistam his, qui omissa rerum, qui nerui sunt in caussis, diligentia, quodam inani circa uoces studio senescunt. Et alibi: Et supplicationes, qui maximus honor uictoribus bello ducibus datur, in toga meruit. De neutro in aliud genus. Sallust. Ipse ex flumine, quam proximam oppido esse aquam supra diximus, iumẽta onerat. Mutato etiam numero, ut Liuius: Anxur fuit, quæ nunc Teracinæ sunt, urbs prona in paludem. Aliquãdo sine ullo certò antecedenti, ut Quintilianus: Ego, quæ felicissima uel lassitudo uel satietas est, uirtute consenui.

Pro ciuitate contra legatum.

Diuersum huic genus est, cùm dictio respondet antecedenti, cùm deberet respondere sequenti substantiuo. ut apud Vergilium:

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo.

Liuius lib. 25. Scipio, cui Africano fuit cognomen.

Qui datiuus, per modum licèt frequentior sit, tamen nonnunquàm, et nominatiuo, quod est magis generale, utimur, ut Cicero: Argẽtarius Sextus Clodius, cui nomen est Phormio. Et Quintilianus: Notum est

In Parad.

quid Glyconi acciderit, cui Spiridio fuit cognomen Neq; per relatiuum modò, sed etiam citra relatiuum, ut Terentius: Hecyra est huic nomen fabulæ: & hoc per nominatiuum. Per datiuum, ut Liuius libro primo: Faustulo fuisse nomen ferunt. Et Solinus de memoralibus: Lapis iste in aquis mollis est, humo duratur exemptus, nunquàm duo simul reperiuntur, inde Vnionibus nomen datur.

HAec de datiuo. Est & accusatiuo quoque sua natura, ut antecedens sequatur casum relatiui, relicto suo, ut apud Vergil.

Vrbem quam statuo, uestra est, subducite naues.

Oratores autem postponunt antecedens, quale foret: Quam urbem statuo, uestra est, ut apud Ouidium:

Cecidêre manu, quas legerat herbas,

& quale Quintilia. Timeo ne quos porrexerim cibos uenena fiant. In quo est habita ratio uenustatis, ut relatiuum & antecedens sint in eodem casu. Sed sapiùs antecedẽte postposito, quanq; apud Ciceronem nonnulli illud in Sallustium sic legunt: Nunquid eos quos protulit Scipiones & Metellos, ante fuerunt aut opinionis aut gloriæ? quidã legunt, nunquid hi quos protulit quidam: nũquid quos protulit. Tale est in euangel. Sermonem quem uos audistis, non est meus: quod in Græco, hoc est, in fonte, est Sermo, non Sermonẽ, undè interpres noster transferens, maluit Latinè, quàm Græcè loqui. Nec ignoro qualia imperiti in hoc euangelij loco disputare soleant, profectò nequaquàm sic disputaturi, si Græcam linguam mediocriter, Latinam perfectè tenerent. In tali sermonis genere uel idem nomen repetemus, uel accusatiuum in debitum casum resoluemus. Nam utrunq; fieri, exemplis compe-

Vide annot. Vall. in Ioannẽ cap. 14

comperimus. Siquidem ita frequenter locuti sunt authores: Quas res tibi tum terra, tum mari nuper commisi, hæ res sint cum fratre communes, uel hæ sint tibi cum fratre communes, uel ex eis aliqua communicabis cum fratre. & item per cæteros casus, ut, Quarum rerum non indiges, eas res donabis mihi, uel hæ meæ erunt, uel hæ res auxilio mihi esse poterũt. Et ita multis modis per casus uariare orationem licebit. Cicer. pro Ligario: Sed hoc non concedo, ut quibus rebus gloriemini in uobis, easdem in alijs repræhẽdatis. Et paulò pòst: Quotus enim istud quisq; fecisset, ut à quibus partibus in dissensione ciuili non esset receptus, esset etiam cum crudelitate reiectus, ad eas ipsas rediret? Idem tamẽ in rhetoricis inusitatiùs: Sulpitio, cui paulò ante omnia cedebant, eum breui spacio non modò uiuere, sed etiam sepeliri prohibuerunt: Illud magis poëticum, quale apud Horat. in Epodo:

Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiscitur? Et iterum in I. satyra:
Quî fit Mecœnas, ut nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu sors obiecerit, illa
Contentus uiuat, laudet diuersa sequentes?

Maluit latinè quàm græcè.) Multi legunt non græcè, sed grammaticè. Atque ita legisse Mancinellum, constat ex eius lima in 13. caput libro primo harum elegantiarum. Quid autem interfit inter latinè loqui & grammaticè, non obscurè significat Valla suprà lib. 1. cap. 15. THEOD.

De interiectu huius uocis, Ne dicam, & Dicere oportet, similiumq; Cap. XX

HOmo prudens, ne dicã sapientem: meliùs, quàm Ne dicam sapiens. Cic. pro Deiotaro, Crudelis Castor, ne dicam sceleratum & impium. Et

hoc

hoc substantiuo præcedente, secùs autẽ sequente, quale esset: Crudelis, ne dicam sceleratus & impius Castor, & prudens, ne dicam sapiẽs homo. Nam si ponamus in accusatiuo, perquàm absurdùm foret, sic, Crudelis, ne dicam sceleratũ & impium Castorem, & prudens, ne dicam sapientem hominem: in priore enim modo subintelligitur Eum, sic Crudelis Castor, ne dicã eum sceleratũ & impiũ. In alijs casibus nõ est hæc neq; diuersitas, neq; causa, ut idem: An sperasset hoc uno Mllone, ne dicam consule? Illud eiusdem in libris ad Herennium neq; dißimile his, neq; usq; adeò simile est, Obfuit plurimùm eo tempore reipublicæ Consulum siue malitiam, siue stultitiã dicere oportet, siue potiùs utrunq;. Nam ubi erit suppositum? certè deest. Illud nanq; uerbum quod interiectum est, de nominatiuo mutauit in accusatiuum. Sed sicut in Euripo aut Siciliæ freto inflata uento uela, aquarum impetus retroire cogit, ita orationẽ lẽge grammatica euntem, authoritas ipsa consuetudoq; inhibet ac repellit. Verùm (ut Grammaticorum expectationi satisfaciam) sic erit construẽdum, Aut stultitia consulum, aut malicia, aut potiùs utrunq; obfuit plurimùm eo tempore reipublicæ, siue illud factum consulum dicere oportet stultitiam, siue maliciam, siue potiùs utrunq;: uel sic, Obfuit plurimùm reipublicæ eo tempore consulum factum, siue illud maliciam: siue stultitiam eorum: siue utrunque dicere oportet.

De Infinitiuo, uel interiecto, uel postpositio. Cap. XXI.

AVdiui te ut cæteros adfuisse in prælio, &, audiui te adfuisse in prælio, ut cæteri. Hîc subintelligitur adfuerunt, ibi intelligi nõ potest, statim sequente

quente infinitiuo, & omnia ad suum regimen trahente. Itaque sic exponitur, Audiui te adfuisse in prælio, ut audiui cæteros adfuisse. Alterum uerò (ut dixi) hoc modo, Audiui te adfuisse in prælio, ut cæteri adfuerunt. Quod nequaquam conceditur sic dicere, Audiui te ut cæteri adfuisse in prælio. Hoc enim declarat, Audiui ut cæteri audierunt. Alterum fortasse sic, Audiui te adfuisse in prælio ut cæteros.

Vbi utimur nominatiuo pro uocatiuo, uel contrà. Cap. XXII.

DEfende me domine, adiuua me optime uir, tace imperite homo, mutato uocatiuo in nominatiuum nõ rectè dicetur. item, Defende me tu deus meus, adiuua me tu uir optimus, tace tu homo imperitus: hîc per nominatiuũ rectè loquimur: subintelligitur enim Ens, hoc modo, Tu ens dominus meus. Qua ratione defendi posset illud in Psalmo: Domine dominus noster, nisi sumptum esset è Græco. Idem fit in uocatiuo alicuius nominis. Vergil.

Nate meæ uires, mea magna potentia solus,

Idem fit in nominibus proprijs, quod fit in hoc pronomine, & in uocatiuis casibus sic: Aue Cæsar summus imperator, Neq; illud tantummodò in imperatiuo, uerumetiam, & quidem faciliùs, in alijs modis, ut, Quô tendis Aenea extremus omniũ Troianorum, uel extreme? Viuis & regnas Helene dono deûm, & regnas medius sæuißimorum hostium, meliùs quàm Medie. Malè per solum proprium nomen, aut iunctum cum pronomine, ut, Quid facis tu Seruius: aut per nomen appellatiuum sine pronomine, ut, Quid facis dominus meus? nisi tali modo, ut, Quid sedes inter seruos dominus? hîc subintelligitur Ens, ibi subintelligi non

potest. Quarè illud Plinianum in libro septimo de naturali historia, nisi menda librarij est, nõ placet mihi: Salue primus omnium parens patriæ appellate, ubi non modò Appellate à Primus in casu discordat (quod etiam imperitis ad reprehensionem patet) sed ne Appellatus quidem si diceretur, planè latinum foret: quum fuerit dicendum Prime, siue sic: * Salue Marce Tulli primus omnium parens patriæ appellatus: siue, Salue tu prime omnium parens patriæ appellate: uel, Salue parẽs eloquẽtiæ, primus oĩmpater patriæ appellatus. Est enim illud parens uocatiuus.

BVDAE. Laurentius accuratè Plinij dictum emendasse sibi uisus est: id tamen ipsum authoritate Græcorum imitatione quoq; defenditur. Synesius ad Aurelianum, Καί συνίσω γλαυκείας ἐλπίσιν ὁποῖαι τὴ τοιαυτὴ τῆς ψυχῆς διαθέσει προσήκουσιν, ὧν μεγαλοπρεπίσατε μόνῳ, ἢ μετ' ὀλίγων σὺ μόνῳ δικαίως καλούμενε.

LONGO. Adiecta comperimus in quibusdã exẽplaribus posse illa uerba quæ asteriſco * clausa inuenies, talia quædã. Sed ita ab authore scriptum fuisse suspicari, licet nam & illo modo dicere licuisset. Déinde exẽplum hoc, Salue M. Tulli primus &c. Quæ consultò omisimus, ne uerbis inanibus suspensum & anxiũ detineremus lectorẽ.

Vbi utimur nominatiuo pro accusatiuo.

Cap. XXIII.

SPero tibi esse bonus amicus, credo tibi fuisse fidelis, propriè dicitur: per accusatiuũ uerò non, nisi alterum accusatiuũ addas, qui antecedat infinitiuum. Nam hìc sequitur hoc modo: Spero me tibi esse bonũ amicũ, credo me fuisse tibi fidelẽ. Quædã uerba cũ nominatiuo iungi recusant, imò pleraq;. Nam ut rectè dico, Incipe mihi esse familiaris, & noli esse illi intimus: ita inusitatè dicã: præcipe illi esse familiaris mihi, ne liceat tibi esse illi intimus. Hoc tamen genus loquendi nonnunq; reperimus, ut apud Lucanum in 10:

Tutumq; putauit. Iam bonus esse socer.

Alius dixisset, Iam socerum esse bonum. Et apud Ouid. de Ponto:

Ecquis in extremo positus iacet orbe, tuorum,
Me tamen excepto, qui precor esse tuus?

Dicere potuisset, sed non tam uenustè, Quem precor esse tuum. Terentius in Andria:

Quæ sese inhonestè optauit parare hîc diuitias
Potiùs, quàm in patria honestè pauper uiuere.

Apertiùs apud eundem Ouid. lib. 1. sine titulo:

Sperneq; tu molli mobilis esse thoro.

Et ille uersus uulgaris:

Sperne repugnando tibi tu contrarius esse.

Quòd si dixisset, Noli repugnàdo tibi tu contrarius esse, uersusq; pateretur, nullum de constructione dubium esset. Talis tamen modus loquendi è Græco fluxit, ubi usitatißimus est.

Spero tibi &c.) Hoc dictum improbare uidetur illud Cicer. pro Quintio: Ne ut par quidem sit, postulat, inferiorem esse patitur. Et ad Attic. lib. 10. In Italia autem nos sedẽtes quid erimus? nam medios esse iam non licebit. Cæsar: Tenuem sectemini prædam, quibus licet esse fortunatißimos. Curtius: Ad uestras manus confugio, inuitis uobis saluum esse nolo. Dicitur & per dationem, ut pro Flacco Cicero: Liceat ĩs, qui hæc salua esse uoluerunt, ipsis esse saluis. Et pro Cælio: Vos laboriosos existimet, quibus ociosis ne in communi quidẽ ocio liceat esse. Alibi per accusatiuum dixit: Quid si ciui Romano licet esse Gaditanum, siue exilio, siue reiectione huius ciuitatis? Aliter ad Q. Fratrẽ lib. 3 Multa sunt quę ego nescire mâlo, q̃ cum alieno periculo fieri certior. BVDAE.

Cui personæ, generi, numero, uerbum respondere debeat. Cap. XXIIII.

VErbum sequi debet ultimũ suppositum in persona, numero, & genere, ut: Ego illum de suo

regno, ille me de nostra repub. percontatus est: Duo supposita sunt, Ego, & Ille, quorum utriq; uerbũ accommodatur: sed sequenti palàm, antecedenti per subintellectionem, ut sit: Ego illum de suo regno percontatus sum, ille me de nostra repub. percontatus est. Conuerte ordinem personarum, simul personam uerbi mutaueris, sic: Ille me de nostra repub. ego illum de suo regno percontatus sum. Muta genus, sic: Ego illam de suo regno, illa me de nostra repub. percontata est. Muta numeros. sic: Ego illos, illas ue de suo regno, illi illæ ue me nostra repub. percontati percontatæ ue sunt: & item econtrariò. In hanc tamen formulam non cadit, quoties per comparationem ad similitudinẽ loquimur, quale est: Meliùs ego istud quàm uos fecissem, nõ autẽ Quàm uos fecissetis. Hoc ille ita prudenter, ut ego, fecisset: non autem, Vt ego fecissem, hic enim subintelligitur, sic, Hoc ille ita prudenter, ut ego feci, & ipse fecisset: melius ego istuc, quàm uos fecissetis, fecissem. Verbum enim principale debet afferri, subintelligi autem quod non est principale.

BVDAE. Verbum sequi debet.) Hoc dictũ mihi perplacet. Sic enim Cicero in Bruto: O magnam, inquit, artẽ Brutus, siquidem istis, cùm summi essent oratores, duæ maximæ res, alteri altera defuit: & in Sallust. Quàm eos suæ res gestæ, & uita innocentissimè acta commendauit. Et Liuius: In discrimine est humanum genus, utrum nos, an Carthaginenses principes orbis terrarum uideãtur. Idem: Pedetentimq; mõtes & iugum Curalliculæ superandum. Sed si flagitiosùm putet contra id aliquid audere, Curtius nota ignominię erit afficiẽdus, qui dixit: Tum illa regnum suum, rex Parthienem petiuerunt. Idem: At mihi securitatem primùm innocentia mea, deinde dextera tua obtulerunt. Cice. de prouinciis Const. Nam posteà me, ut sibi essem legatus, non solùm suasit, uerumetiam rogauit: Me accusatiuũ non ad proximum uerbum, sed ad remotius retulit, ac si diceret, me etiam rogauit, nedum mihi suasit.

Vbi collocandum sit adiectiuum. Cap. XXV.

ADiectiuo, cùm præcedit, debent obsequi substãtiua, aliter uiciosùm est, ut hoc modo: Nulla uirgo est dicenda corrupto uel animo uel corpore: dic pro Animo, Mente, sic: Nulla uirgo dicenda est corrupta, uel mente, uel corpore: aut, Corrupto uel corpore, uel mẽte, nõ erit Latinum. Quod contrà fit, aut præcedente substãtiuo, aut reiecto in finẽ adiecti uo, sic: Nulla uirgo dicenda est uel mente corrupta: corpore aut: uel corpore corrupto, uel mẽte. itẽ. Vel mente, uel corpore corrupto: aut, Vel corpore, uel mente corrupta. Similiter in plurali (uariabo exempla ad euitandum fastidium) Nemo diues est uel ualetudine infirma, uel sensibus, aut, Vel sensibus infirmis, uel ualetudine. item, Nemo felix est, uel conscięntia uel membris affectis, aut, Vel membris uel conscientia affecta. Cicero tamen in Philippicis inquit: Optima sunt & mente & uiribus. Nescio an culpa librariorum sit, qui ita scripserunt, pro eo quod est, Et mente optima sunt, & uiribus, uel, Optima sunt & mẽte, & uiribus.

Adiectiuo, cùm præcedit.) Ridiculè negatur, posse dici æquè corrupta mente, & Mente corrupta: neq; uerum est, substantiua obsequi adiectiuis, sed contrà, adiectiuum prospicere ad utrunq; substantiuum, aut ad id quod propius est: & ipsi contra hanc malè explicatam sententiam etiam ex Ciceronis Philippica dicendi modum obseruauêre.

Quid momenti faciat coniunctio, aduerbiumq; disiunctiuum ex collatione. Cap. XXVI.

EX his quæ tradidimus palàm est, nequaquàm rectè dici, Corrupto uel corpore, uel mente. Debet

enim adiectiuum illud ad utrunq; substantiuum applicari in genere & numero. Neq; de Vel tantummodò intelligo, sed de cæteris quoq; cõiunctionibus, per Et ut modò ex Cicerone attuli exemplum, per Nec, per Siue, per cætera huiusmodi, neq; hoc solùm ubi adest substantiuum cum adiectiuo, sed etiã sine eo, quale hoc est: Tu ne faceres, nec ego permitterẽ, non est hic sermo Latinus. dicẽdum nanq; erat, Nec tu faceres, nec ego permitterem: aut sic, Tu nec faceres, nec à me facere permittereris. Tota enim oratio dependet à prima dictione. Item, Potes cognoscere partim ex aliorum sermone, partim te docebit ipse tabellarius, non est Latinum: sed sic, Partim potes cognoscere ex aliorum sermone, partim ex tabellario. Item, Puto tum ex superioribus literis te omnia intellexisse, tum ex his intelligere potes: dicendum erat, Tum ex his intelligere posses. Item, Paratus sis uel pugnare, si qui te lacessunt, uel si qui nõ sunt, ne recuses facere pacem: dicendum erat, Aut sine illo ne recuses: aut sic, Vel paratus sis pugnare. Ex his, quæ dixi, uideor reprehendere lẽgem illam duodecim tabularum: Liberi parentes in egestate aut alant, aut uinciantur, quasi dicendum fuerit, Liberi aut parentes in egestate alant, aut uinciantur. Sed non est uetustas illa reuocanda ad hanc regulam, quæ constat ex usu eorum, qui more illo uetusto non sunt locuti: tametsi haud dubiè opinor, primum Aut à quibusdam adiectum, legiq; ita in uetustissimo quodam codice declamationum Senecæ: Liberi parentes alant, aut uinciantur. Huius etiam loci illud est, ne hoc modo uerba commisceamus diuersam naturam habentia, quale est: Ille mihi nec nocuit unquàm, nec adiuuit; Ego nec offendi eum, nec profui

profui: dicendum erat, Ille mihi, nec nocuit unquàm, nec profuit: aut sic, Ille nec nocuit mihi unquã, nec me adiuuit: Ego nec offendi eum, nec adiuui, aut, Ego nec offendi eum, nec eidem profui.

De usu negationis. Cap. XXVII.

TRes aliquando negationes non plus efficiunt, quàm duæ, collocatione ipsa dictionum efficiente: ut, Nunquàm mihi nec obfuisti, nec profuisti. Tres hîc sunt negationes: muta primam negationem in medium, aut in postremum, iam euanescet, quum ibi locum non inueniat: sic, Mihi nec obfuisti unquam, nec profuisti: aut sic, Mihi nec obfuisti, nec profuisti unquàm. Nescis nec in pace, nec in bello uiuere: Nec in pace, nec in bello scis uiuere. Ibi tres negationes sunt, hîc duæ, quum eadem sit sententia. Vereor, metuo, timeo, & si qua sunt alia, idem efficiunt, uel cum negatione, uel sine ea: ut, Vereor ne ueniat, &, Vereor ut ueniat: Timeo ne moriatur, &, timeo ut moriatur. More Ciceronis, Vt ne, pro Vt non Metuo ut ne pereat, & Terentius: Apprimè in uita utile, ut ne quid nimis, pro Ne quid nimis. Ex quo miror Seruium ita scripsisse primo Georgicorum. Vnde malè quidam hunc locum scribunt: Pater adest, caue ne te tristem sentiat. Si enim hoc est, dicit, Vide ut te tristem sentiat: nam & Ne, & Caue prohibentis est. Neutiquam pro Nequaquàm, & ipsum Nequaquàm, & Nusquàm, & Nusquam, simplicem negationem indicãt, ideoq; unico uerbo contenta sunt: ut, Nequaquàm ueniam. Necubi * non simplicem, ideoq; duplex uerbũ postulat. Volo necubi mihi obuius fias, id est, nec alicubi: ut Sicubi pro si alicubi, Sicũde pro si alicunde. Cætera quæ de natura negationũ disputari

In And.

* uerò duplicem.

solent, in libros dialecticæ nostræ cõtulimus: quæ ideo præterimus, quod ferè nõ sunt ignota oratoribus, dialecticorum uerò nemini cognita. Illud tamen ad uerbum huc illinc transferamus. Vir malus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedit: uir autem bonus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedet, uel recedat: nescio an liceret dicere Recedit. Hoc loco eadem uerba dantur malo uiro, & bono: sed tamen malus recedere ab amicitia intelligitur, bonus non recedere: & ille non lacessitus iniuria, hic lacessitus. Et haud scio an hoc sit satis ad hæc distinguenda dixisse, quôd alibi rem significamus, alibi admonemus. Huc addamus unum, in quo non pauci falli solent, ubi debeat geminari negatio, ubi non debeat, ut hoc exemplo: Non modo stellæ, sed ne Luna quidem ad Solem seruat splendorem suum, rectè dicitur. Item hoc modo rectè: Non modò ullæ stellæ, sed ne Luna quidẽ, &c. At quotes dictionibus quædam adest contrarietas, non possis tollere alteram negationũ, ut hoc modo: Non modò stellæ non apparent, sed etiam Luna ad Solem obscuratur. Sine negatione geminata nõ rectè loqueris. item, Non modò non absoluo hunc, sed ne leui quidem pœnâ secum transigendum esse puto. Quidam tamen nuper scripsit: Non modò absoluendum hunc, sed nec etiam grauiter puniendum puto: cùm dicere debuisset, Non modò non absoluendum. sunt enim diuersa, Absoluendum & Puniendum. Item, Non tantùm non constanter, sed etiam trepidè & confusè locutus est. Item, non tantum inconstanter, sed fortiter & propè minaciter locutus est. Malè hoc secundum dixisti, dempta negatione. erat enim dicendum, Non tantùm non inconstanter. In quod uicium incidit Boëthius lib. 3. in Cic. Topica

Topica, dicens: Non confusè solùm, uerumetiam distributum, & in suarum partium proprietate noscantur: dicendũ erat, Non solùm non confusè. Diuersum est eorum uicium, qui ad illud non modò applicant, sed etiã cùm deberent applicare, Sed saltem, aut Sed certè, aut Sed uel: quale est Lactantij lib. 1. Quis enim mentis emotæ non modò futura prædicere, sed etiam cohærentia loqui posit? dicendum erat, Sed uel cohærentia, aut Sed saltem, aut Sed certè cohærentia possit loqui? nisi fortè culpa librarij est. Ego uerò in utrosq; non authorem, sed tale genus orationis reprehendo.

Quot modis iubemus, quid etiã interſit inter præteritum, futurumq; coniunctiui modi.

Cap. XXVIII.

VEni ad me, uenias ad me, uenito ad me, uenies ad me. Scribe ad me, scribito, scribas, scribes, indifferenter penè his quatuor utimur. Horum tamen uno in negatione, Ne uenias: & altero, quo in affirmatione non utimur, in hunc modum, Ne uêneris. Nam ipsum Vêneris, duobus modis accipitur. Vno modo subiunctiuè, ut, Si uêneris, uel cùm uêneris: altero sine subiunctione. ideo illud non est uerbum principale, hoc est: ut, Si me iuueris, rem optimum feceris. Dimitte me, & diuitem feceris. Auser huic magistratum, & eum iugulaueris. Eamus in portum, iam naues uenerint. Cice. Atqui nobis gratissimum (ut etiam pro Scipione pollicear) feceris, siquando & cætera. Sciendum tamẽ est, quòd hæc omnia uerba futuri sunt temporis. ueluti si ita commutemus: Si abstulero huic filiam, eum iugulauero, non autem Iugulauerim. Ego hoc uidero, tu uideris, uos uideritis: quasi, Ego hoc

uidebo,uel uideam, tu uidebis uel uideas. Ne uêneris, futuri item est temporis: Non uêneris, præteriti illud uetat,hoc negat: quod secũdum commune est cum prima persona & tertia: ut, Neq; uerò crediderim, neq; uerò fuerim in ea opinione, qua cæteri. Et sine negatione improbè,dixerim.dixerit aliquis, Non uenî, non fac, non iugula, apud oratores ferè nunquàm, sed apud poëtas, ut Vergil.

Aeneid.6 Ne sæui magna sacerdos.

Et Terent. Ne nega. Liuius libro 2. Crastino die oriente sole in aciem redire,erit copia pugnandi, ne timete. Et Quintilianus, Tu illã defende,arma ne relinque. Hic nos Quintilianus admonet, ne pro illo Ne feceris, dicamus Non feceris: quia alterum negandi est,alterũ uetandi. Ideoq; Ne cum prima persona singularis numeri nunquàm coniunctũ inuenimus,ob eandem caussam, propter quam imperatiuũ caret prima persona in singulari: quia nemo sibi soli imperat, aut uetat. Vndè frequenter legimus, Ne timuerimus,ne timeas,ne timueritis,ne timeant. Nunquàm autem Ne timeam,nisi Ne pro Vt non: sed Non timeam,nõ aut sim,non sperem,oan timuerim,non sperauerim,non crediderim,id est,timere,audere,sperare, credere nõ possum,aut non debeo: ita in alijs personis,ut idem Quintil. Non expectes,ut statim gratias agat qui sanatur inuitus,id est,expectare non debes. Non enim eo modo hoc dixit,quo dicere solemus cum uetamus, Ne me expectes amplius. Hîc enim negatio est, non uetatio. Ita non expectaueris, & ne expectaueris,quorum alterum præteriti temporis est negatq;,alterum futuri & uetat.

De lepôre Si non, & Nisi,cum alijs uerbis.

Cap.

Cap. XXIX.

Hoc quod adhuc de negatione subijciam, ad solam elegantiam dicẽdi pertinet: quod quale sit, subiectis exemplis per se apparebit. Quintil. Non est difficile, ut maritum uxor occidat, si non est difficilius,ut filius patrem, Idem: Atq; eô caussam dimittimus,ut non sit absoluendus adolescens,nisi etiam laudandus: Idem: Quarè non petit ut miserum putetis, nisi & innocens fuerit: non petit ut afflictum alleuetis, nisi & probauerit sese infeliciorem,quòd patrem amisit,quàm quod oculos. Seruius Sulpitius: Atqui amittere liberos malum est, non malum,nisi hoc peius est ferre & perpeti. Sallust. Parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si dijs aut hominibus unquàm ullis pepercit. Ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum patriæ bellum fecit. Titus Liuius libro 31. Nam quod ad ea attinet, quæ nobis obiecit,nisi gloria digna sint, fateor ea defendi non posse. Onid.13. Metamorph.

Nec tamẽ hæc series in caussam prosit Achiui;
Si mihi cum magno non est communis Achille.

Huic simile est,quale apud eundem lib.2.

Mentior obscurum nisi cùm nox fecerit orbem,
Nuper honoratas summo mea uulnera cœlo
Videritis stellas.

Et Quintilian. Mentior, nisi cùm peregrinatio mea nos deduceret,maluit esse cum matre. Et iterum: Assidere enim,cibos ministrare,manum porrigere quilibet poterat: mẽtior nisi factum est. Idem uerbum apud Ambrosium eodem modo positum,tum in libris Officiorum, tum Hexamerõn, tum in alijs reperies: & apud Cyprianum ad Donatum: Mentior,nisi alios,

qui

qui talis est, increpat: turpes turpis infamat.

De Vter utri, Alter alteri, Neutri neutri, & Quis qui. Cap. XXX.

VTer utrum accusat, latinè dicitur, ut Cicero pro Milone: Vter utri insidias fecerit. Vterq; utriq; uix ausim dicere. Neuter neutri omnino non dixerim. Terentius in Phormione inquit: Quia uterq; utriq; est cordi. In decimo quoq; commẽtario rerum à Cæsare gestarum, siue ab Hircio siue ab Oppio (nam incertus author est) êdito, sic legi: Interim dissensione orta inter Achillem & Arsinoën, cũ uterq; utriq; insidiaretur: & summam imperij ipse obtinere
Offic. 1. uellet. Cicero autem & Quintil. (quantum inueni) sic nunquàm locuti sunt, quorum prior sic ait: Quorum uterq; suo studio delectatus contempsit alterum. posterior sic. Quum enim uterq; alteri obijciat, palam est utrunq; fecisse. Atq; sic dicẽdum esse, per illud frequentissimũ probatur, Alter alteri obijcit, alter alterum contemnit, alter alterum accusat, alter enim alterum, non modò ambos accusant. Idem dico de Neuter, ut
Lib. 1. idem Quintilia. Ita fiet, ut cùm æquali cura linguam utranque tueri cœperimus, neutra alteri officiat. Quarè peccauit tum amicus meus (si amicos palàm licet reprehendere) qui mihi nuper ad se scribẽti, Vter utri bellum inuulisset, respõdit, Vter neutri, aut potiùs Vterq; utriq;: tum Priscianus, qui libro 2. ait: Fiscina uero à fisco, an fiscus à fiscina, an neutrum à neutro, dubium est. Debuerat dicere, An neutrum ab altero: nam quod à se non deriuatur, superuacuum est dicere: sed dicendũ tantùm ab altero, non autem à neutro, quasi nec ab altero, uec à se. Nec illud quidẽ silea-
mus, ut dicimus Vter utri, ita Quis cui, ut Vergil. Quæ

Quæ quibus anteferam, Et Cic. Quid cui præponendum sit. Quintilianus: Quid quo loco collocandum sit. Idem Quintilian. Vt dubium sit, quid quò referri oporteat.

Vter utriq; uix ausim dicere.) Contra hoc dictum BVDAE. opponere possum illud Cæsa. Cùm uterque utriq; esset exercitus in conspectu. Et illud Terentij in Heauton. Hoc beneficio utriq; ab utrisq; uerò deuincimini. quod utrunque Græcorum imitatione enunciatum est.

De Prior, Primus, & similibus. Cap. XXXI.

VOcaui te priùs, non est idem quod Prior, illud significat tempus, quasi priusquàm nunc uel tunc: hoc uerò personam, id est, ego duorum prior, & hoc quando duo ad unum referuntur. Siquidem hic & ego te uocauimus, sed ego prior, hic autem posterior. Idem sit cùm unus ad duos refertur: Vocaui te priorẽ, meliùs quàm Priùs: illum autem posteriorem meliùs quàm Posteriùs. Per passiuum quis iam hoc nequeat dicere? Vocatus es me prior, si duo estis: uocatus es à me priore, si duo sumus. Eadem ratio est super latiuorũ Primus & Postremus, & si qua sunt alia. Vocaui te primus uel postremùs, si multi sumus, uel, Vocaui te primum uel postremum, si multi estis. Nonnunquàm ex neutra parte sunt duo, sed utrinque singuli, & tamẽ per hoc idem cõparatiuum loquimur: ut, Vocatiui te prior, percussi te posterior, supple, Quàm tu me. Nonnunquàm unus hinc est, illinc plures: ut, Vocaui uos prior, supple, Quàm uos me: uocauimus te priores, supple, Quàm tu nos. Idem de superlatiuo, ubi multa mẽbra sunt, ut, Primi nos uenimus, uos posteriores, ille ultimus: primus ego intrauualum, tu serior, illi tardissimi.

De

De regimine nominum criminalium & pœnalium. Cap. XXXII.

SI quis furetur rem sacram de prophano, tenetur ne sacrilegij, an furti, an utroq; ? non autem, An utriusq; ? Qui sustulerit rem suam de sacro, furti ne tenetur, an sacrilegij, an neutro? non autem, Au neutrius, Accusare hũc potes, uel furti, uel sacrilegij, uel de utroq;, uel de ambobus: nõ aũt Vtriusq; aut amborum. Condemnare nõ licet de utroq;, sed de altero, ut furti, uel sacrilegij: non autem, sed alterius, uel furti, uel sacrilegij. Cur ita fit, ut demus uarios casus eidem uerbo, præsertim sub coniũctionibus quæ eosdem coniungere debent casus? Nempe quòd nomina peccatorum cum huiusmodi uerbis idem ualent in genitiuo, quod in ablatiuo præpositionem habẽte, uel non habente, non idem in cæteris. Neq; hoc in his modò nominibus quæ certum peccatum significant & speciale: sed in his etiã quæ generale & incertum, ut Cicero: An non intelligis primum quos homines, & quales utros mortuos summi criminis arguas? Et iterum: Sceleris atq; nefarij parricidij condẽnabimus? Per hæc uerba licebit, Tanti, & Quanti, cùm substantiuis adiungantur, per genitiuum uti, ut, Quantæ pecuniæ condemnasti? tantæ summæ damnaui: Quantæ postulasti? Liuius lib. 47. Sed nequaquàm tantum relictum est, quantæ summæ damnatus fuerat.

THEOD. Riccius in suo apparatu Vallam nominatim carpẽs, sic ait: Sceleris damnare, Latinus homo proferre nõ auderet. Atqui Riccium falli, docet hic locus Ciceronis ad Atticum lib. 7. damnasse enim sceleris hominem amicum Reipub. causa uideretur.

De Impleo, Refercio, Plenusq; ac Refertus. Cap. XXXIII.

Contrarium propè huic est, quod subijciam. Impleo & Refercio, & similia uerba ablatiuum sine propositione postulant: ut, impleui nauim frumento, refersi apothecam uino. Et tamen aliquando addimus præpositionẽ De: sic, impleui nauim de omni genere frumenti: refersi apothecam de uaria natura uinorum: utq; ausim dicere, Impleui omni genere frumenti, & refersi uaria natura uinorũ. Hoc quod dicimus, exemplo comprobandum est. Cic. de oratore: Quòd si tantarum rerum maximarum arte sua Rhetorici amplecterentur, quærabat cur de proœmijs & de epilogis, & huiusmodi nugis (sic enim appellabat) referti essent eorum libri. Hîc nequaquàm licuisset sine præpositione loqui. Non enim libri illi referti sunt proœmijs, & epilogis, sed præceptis proœmiorum & epilogorum. Sicut in superioribus, Non est nauis impleta omni genere frumenti, sed frumento omnis generis: neque apotheca referta omni natura uinorum, sed uino omnis naturæ. Quia de Refercio & Impleo feci mentionem, dicam hoc ampliùs de refertus & de plenus. Exemplum quod modò attuli, ostendit, Refertus postulare ablatiuum, sicut Impletus, sicut Vacuatus, sicut Vacuus. Idem tamen Cic. ait pro lege Manil. Referto prædonum mari: Et pro Plancio: Audieram refertam esse Græciam sceleratissimorũ hominum ac nefariorum: sed nunc transit in nomen, tametsi cætera huiusmodi nomina ablatiuum semper habent, ut, Vacuus incolis, non Incolarum: Frequens populis, non Populorum: præterquàm Plenus, cui Cicero semper genitiuum dedit. De cæteris authoribus non possum in uniuersum pronũciare, quum multi etiam suæ ætatis dederint ablatiuum, ut Varro lib. 3. rerum rusticarum

Notauit hic Laurẽtiũ Budæus, & Lici

niano error in suam ipse legẽ incidit

suæ ætatis dicẽs pro eius seculi Extat in cõment. Græ. Lin.

carum: Sua nihil interesse, utrũ his piscibus stagnum habeat plenum, an ranis. Et Sallustius in Iugurthino: Quæ quanquàm grauia & flagitio plena uidebantur, tamen quia mortis metu mulctabantur, sicut régi libuerat, pax conuenit. Suo itaq; arbitrio scriptores utuntur. Posteriores uerò omnes, ut hoc nomen Nouissimo pro ultimo, ita etiam Plenus uino dixerunt, non solùm Plenus uini. Quarè qui solo genitiuo cõtẽtus erit, Ciceronem imitabitur: qui utroq; casu utetur, cæteros. Sed mutando habebit & uenustatis rationem, & lucis: quod uel ex proximo exemplo ostenditur: Aue gratia plena. Ego, ad euitandum amphibologiam, dixissem, Aue gratiæ plena, quẽ admodùm in alio factũ est, ubi nõ erat ambiguitas: Plenũ gratiæ et ueritatis: Licèt diuersa uerba hic sint atq; illic: in altero est κεχαριτωμένη in altero πλήρη χάριτος & ἀληθείας Liuius ut nomini Plenus dat etiã ablatiuum, ita uerbo Impleo dat etiam genitiuum, ut in quinto: Ipse multitudinem quoq;, quæ fermè semper regẽti est simulis, religionis iustæ impleuit.

De Potior, Potitus, & Compos. Cap. XXXIIII.

POtior hos eosdem casus habere potest, sed cum cæteris frequentiùs ablatiuum, cum hoc nomine Res ferè semper genitiuũ: ut, Lacedæmonij rerum diu potiti sunt, id est, rerum imperium diu tenuerunt. In alijs nominibus magis significatio exponitur per Obtinuerunt, quàm per Tenuerunt: ut, Potitus sum uictoria, sum potitus amica, id est, pugnando uel laborando obtinui uictoriam uel amicam. In præsenti tempore plerunq; pro fruor. Cice. Quòd si uoluptatibus his bona ætas fruitur libẽtiùs, primùm paruulis fruitur

tur rebus, ut diximus: deinde his quibus senectus etiã si non abundè potitur, nõ omnino caret. pro eodem posuit Fruitur et Potitur: at Potitur pro potitus est, præsertim more historico legimus. Potior à Potis descendit: ideoq; illi in significatione similimum est. Nam sum compos mentis, compos animi. compos rationis, compos sanitatis, quòd hæc habeo: at compos uoti, compos uictoriæ, compos optati, quòd hæc operæ mea atq; labore obtinui, obtineoq;. Illud tamen sciendũ est, apud Ouidium in duodecimo sic legendum:

Tuq; tuis armis, nos te poteremur Achille.

Non Potiremur, antepenultima breui non longa, à tertia scilicet, non à quarta coniugationis.

De Traijcio. Cap. XXXV.

TRaijcio exercitum, id est, transporto exercitum, trans mare, aut trans flumen. Traijcio mare uel flumen, id est transeo. Aliquando utrunq; coniunctum, ut Liuius: Traiecit copias Hibêrum. Et Plancus: Traieci exercitum Isaram.

De Do tibi, & ad te literas. Cap. XXXVI.

DO tibi literas, tanquam tabellario: Do ad te literas, scilicet ad te perferendas. Aliquando hæc duo coniunguntur, ut Cicero: Dedit illi ad te literas. Et Sallust. Vulturtio literas ad Catilinam dat. Ergo qui mittit literas, dat: cui literæ dantur, si perfert, reddere dicitur, sicut ille, ad quem dantur, accipere.

De In, & Ad, cũ alijs uerbis. Ca. XXXVII.

EO in uillam, et eo ad uillam: Proficiscor in campum, & ad cãpum: Confero me in agrum, & ad agrum, idem sunt. Et item in similibus. præterquàm

in hoc ultimo uerbo, quoties refertur ad personã. Dicimus enim, Contuli me ad Catonem, & contuli me ad patrem: non autem In Catonem. & in patrem, ad distinguendam uidelicet significationem. Nam cùm dico, Contuli in personam, non possum addere alteram personam, uelut me: sed rem, uelut beneficium, eritq; significatio donationis: ut, Multa cõtuli in Catonem, id est, multa donaui Catoni. Nemo in patrem potest tanta beneficia conferre, quanta contulit pater in filium.

De Refero tibi, & ad te. Cap. XXXVII.

REtulit mihi, et retulit ad me, ita differũt, quòd illud est Narrauit, hoc uerò in consultationem tulit, ut Quintil. Relaturus uobis iudices ordine malorum meorum euẽtum, quem nemo tam crudelis, nemo tam sæuus audiet, ut me non pascat. Sed hoc nemini ignotum est. Idem: Vultis scire iudices, nihil impatientia charitatis fecisse patrem: non retulit ad matrem, non propinquos consuluit, non amicos. Cicero in Catilinam: Refer, inquis, ad Senatũ, id est, refer in consultationem senatus. Vergil. tertio Aeneid.

Delectos populi ad proceres, primumq; parẽtem
Monstra deûm refero.

Et ne dubitares de sensu sermonis huius, more suo aperuit subiungens:

Et quæ sit sententia posco.

Paulòq; post.

Surge agè, & hæc lætus longæuo dicta parenti,
Haud dubitanda refer. -

Sunt enim deorum uerba, non consilium ab Anchisa petentium, sed * id, quod agẽdum sit, docentiũ. Ideoq; additur illud, Haud dubitanda. Porrò utraq; harũ sententiarum in uerbo uersatur, aliquando etiam in facto: sed diuersa est significatio, ut Quintil. Ad patrẽ arma non retuli, id est, reportaui. & Cic. Si ad unum omnia referẽda sunt, dignissimum esse Pompeium, hoc est, si in unum omnia conferenda sunt, de re intelligitur, nõ de oratione. Quale illud eiusdem est pro Deiotaro: Qui rumores ad se referrent. & quale est Cæsaris: Vt quæ diceret Arioui stus, cognoscerent. Hîc de uerbis agitur, & tamen non significatur ferri in consultationẽ, sed potiùs narrari & renunciari mandata ab altero data. Præterea hîc solet adhiberi accusatiuus uel nominatiuus, ibi crebrò (in pro præsertim) ablatiuus cum præpositione De, ut, De omnibus his referam ad senatum. Omnia autem hæc referam ad senatum, rariùs dicitur. Tamen significat idem, quod est. In senatorum consilium feram.

* Aliâs illum, quid.

De Interdico. Cap. XXXIX.

INterdico tibi aqua & igni, non autem Interdico tibi aquam & ignẽ, neq; Interdico te aqua & igni. Quo autem modo mutabitur in passiuum hæc oratio? Sunt tres modi (quantum colligere possum) mutandi actiuum in passiuũ. Vnus ubi adest solus accusatiuus, ab eo in nominatiuum mutato incipiendi, ut, Dedi tibi equum, equus à me tibi datus est. Alter, ubi sunt duo accusatiui, alterum in nominatiuum conuertendi, alterum relinquendi, ut, Docui te musicã, tu à me doctus es musicam, non autem musica docta est à me te. Tertius, utrumlibet horum accusatiuorum mutandi in nominatiuum, alterum uel relinquendo, uel in ablatiuum cum A uel Ab transferendo, sic: Ego rogaui te ueniam, tu rogatus à me es ueniam, uel Venia abs te rogata est mihi: licèt per hoc secundum tu magis uidearis

rogasse pro me, quàm ego te. Quem horum modorum huic uerbo tribuemus? Nullum. Et tamen tres isti similes sunt. Vnus hic est, Tibi interdictum est aqua & igni, quod est frequentissimum. Alter hic, Aqua et ignis tibi interdictus est, ut Liuius libro octauo: Interdictumq; mare Antiati populo est. quod si esset Mari, prioris modi foret exemplum. Tertius hic, Tu interdictus es aqua & igni: sed tamen hic modus cæteris est rarior. Metellus Numidicus: Illi uerò omni iure atq; honestate interdicti sunt, ego neq; aqua neque igni careo.

De Pluit & Ningit. Cap. XL.

PLuit caret supposito, habens appositum ablatiuum, ut Liui. Nunciatum est in Albano lapidibus pluisse. licèt nunc dicamus: Deus pluit carnem, pluit manna, pluit escam. Ningit uerò suppositum & appositum respuit.

Pluit caret supposito.) Hoc falsum est, inquit Doletus. apud Veteres enim suppositum habet. Plaut. Venit imber lauat parietes, perpluunt ligna. Idem: O Venus uenusta, hæc illa est tempestas mea, mihiq; modestiam detexit, tectus qua fui, quam mihi amor & cupido in pectus perpluit meum.

Hic alieno patrocinio aduersus Doletum opus habet Laurentius, suo satis tutus. Sic enim ait suprà lib. 1. cap. 13. Nec tamen in hoc toto opere tam licentiam poëtarum consector, quàm usum oratorum &c.

De Decet, Iuuat & Conducit. Cap. XLI.

DEcet, Iuuat, Conducit pro Vtile est, & si qua sunt alia, nec personalia sunt planè, nec impersonalia, quum habeãt numeros. Vestes hæ decent nos, illi cibi iuuant te, studia secreta conducunt maximè. Explicit, expliciunt nunquàm (quod sciam) legi.

De Ausculto, & Audiens tibi sum. Cap.

Cap. XLII.

AVsculto te, Audio te, Ausculto tibi, Obtempero tibi, Sum audiens te, quòd te audio, Sum audiens tibi, quòd tibi obedio, ut lex duodecim tabularũ apud Quintilianum: Filiam minùs audientem dicto liceat abdicare. Cicero in Philippicis: Et audiẽs esset huic ordini. Et pro Deiotaro: Aut qui dicto audientes in tanta re nõ fuisseut. Cum uerbo reperisse apud scriptòres prosæ orationis tale loquẽdi genus non memini, sed apud Plautum in comœdia, quæ inscribitur Captiuei duo: Memini cũ dicto haud audiebat, facto nũc lædat licèt. Hinc est quare unum Obedio ex compositis ab Audio postulat datiuum.

Memini cùm dicto.) Incidit Valla in Plautinum eo dicem non périnde castigatum. Siquidem legendum est non Audiebat, sed Audebat, sic. Memini cũ dicto haud audebat, facto nunc lædat licèt: ut sit sensus, Memini cùm non audebat hic ne dicto quidem me lædere, nunc licet ei ut etiam facto me lædat. THEOD.

De Dono tibi, & Te. Cap. XLIII.

DOno tibi munus, notum est quid significet. Dono te munere plerunq; præmij gratia, sed interdum admirationis, interdum beneuolẽtiæ, interdum misericordiæ. Cicero pro Archia: Sylla cùm Gallos & Hispanos ciuitate donasset, uidelicet in præmium. Quæ exempla sunt plurima, ut, Militaribus donis, corona uallari, immunitate donatus sum. Idẽ pro eodem:: Itaq; si ciuis Romanus Archias legibus nõ esset, ut ab aliquo imperatore ciuitate donaretur, perficere non potuit: certè imperator non remunerationis caussa Archiam ciuitate donasset, sed admiratione ingenij & beneuolentia. Vergilius:

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.

Nimirùm non præmij gratia. nam tres præmia primi accipient. Beneuolentiæ ergo, non meriti illorum gratia, quum postremi nihil omnino mereantur. Quale est Valerij Maximi lib. 2. Rex Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium Scipionis à militibus suis interceptũ, honoratißimè excepit, regijsq; muneribus donatum ultrò & celeriter patri remisit, utiq; amicitiæ gratia. Et Amphitryon apud Plautum: Verùm ita animatus fui, itaq; nũc sum, ut ea te patera donem. Et paulò pòst Alcmena inquit: Pateram profectò feras, qua hodiè meus vir donauit me. In quorum utroq; sola in donando beneuolentia declaratur. Idem Plaut. in Aulularia: Dij immortales, quibus & quantis me donatis gaudijs. Quintilianus in In mathematico. *Gladiatore: Quod me facere conuenit, qui per maria latrocinijs infesta solus petitus sum, qui lucem, libertatem, denicq; quicquid pati debeo non ignarus (ut primo natalis horæ tẽpore) sed videns, sentiensq; acceperim: nec solùm donatus his bonis, sed summis periculis liberatus sum. uerba sunt hominis exaggerantis beneficia amici, ut se maximè illi ostendat obstrictum. Sola ergo fuit ratio beneuolẽtiæ. Idem in pariete palmato: Quàm blãdè ille sẽposuit miserum suum, quàm diligenter uxoris gaudẽtes exclusit oculos, quàm multò cæcum pudore donauit. Hìc habita est misericordiæ ratio. Suetonius in uita August. Et ne enumerem quot, & quos diuersarum partium, ueniæ & incolumitate donatos. Cornelius Nepos de uita Attic. Auxit hoc officium alia quoq; liberalitate. Nam uniuersos frumento donauit, profectò elementiæ, non remunerationis gratia.*

De Incumbo huic rei, & in *In hanc rem.* *Cap.*

Cap. XLIIII.

INcumbo studijs, & Incumbo remis. Vergil. Validis incumbite remis.

Incumbo in studia, & ad studia: sed non incumbo in remos, & ad remos. Cic. Pergite adolescẽtes, et in hæc studia, in quibus estis, incumbite. Et alibi: Quarè incumbamus ô noster Tite ad illa præclara studia, & eò, undè discedere non oportuit, aliquando reuertamur. Neq; hoc in bonum tantummodô accipitur, sed etiam in malum, ut, Idem M. Catoni incumbenti ad eius perniciem. Sed illud, Incumbite remis nõ est per translationem dictum, ut hoc: Nam ut cùm remiges incumbunt remis, uel cùm nos operi faciundo incumbimus toto pectore, significatur diligentia, & conatus: ita ut cùm accuratiùs quid mente agimus, incumbere Supini. *dicimur, quemadmodùm econtrariò supini dicuntur, qui negligenter agunt.*

De diuerso uarioq; regimine uerborũ, cum diuersa simili ue significatione. Cap. XLV.

TImeo te tanquàm inimicum, Timeo tibi tanquàm amico. Illic, tanquã offensurus sis: hîc, tanquàm defendendus. Commendo te rẽgi, id est, cõmitto. Cõmẽdo. *Commendo te apud regem, id est, laùdo. Cedo tibi, undè & Concedo tibi, pro non repugno tibi, facitq; præteritũ* Cedo. *cessi. Cædo te, pro flagello te, cuius præteritum est* Cædo. *cæcîdi, pro flagellaui, & supinum cæsum. Vnde cæsus, uel qui flagellatus est, uel qui amputatus est siue occisus. Raro pro occîdo hoc uerbum accipitur. Cice. in Philipp. Cædit greges armentorũ. Dimitto te discedẽs, id est, relinquo. Dimitto te discedentẽ, id est, abire permitto, uel dimitto, id est mitto, undè dimissi legati dicuntur. Incessit mihi cupiditas, id est, subijt.*

Incesso. Incessit me ille, id est, offensurus me petit & accusat.
Ineſt. Ineſt huic loco, & ineſt in hoc loco. Primùm apud Quintilianum cæterosq; frequentiùs. ait enim: Verùm hoc meliùs faceret, natura ipsa duce, sed naturis ipsis ars inerit. Secundum apud Ciceronem frequentiùs, ut ibi: Illud enim honestum, quod sæpè diximus, si in alio cernimus, tamen nos mouet, atq; illi, in quo id ineſſe uidetur, amicos facit.
Comparo Confero Similis Cũmunis Particeps Comparo hanc rem illi, & cum illo. Confero te isti, & cũ isto. Ego sum similis tibi, & tui. Hoc est commune omnibus & omnium, uel Commune mihi tecum, & cum cæteris. Ego sum particeps laborum tuorum, & tibi sum in laboribus particeps. Quintil. Et in plerisque ruris operibus marito particeps. Curtius: Quod fuisset illis in periculis particeps.
Accedit Accedit huic rei, & ad hãc rem, uel, Accedit huc uel eò, uel eodèm. Quintil. Atq; ut accedat dolori meo cumulus, quæ hoc facit, uxor mea est. Cicero: Vt ad illam optimam præclaramq; prædam damnatio Sexti Roscij uelut cumulus accedat.
Impendo Impendo curam, uel operam, uel laborem, & similia: huic rei, & in hanc rem, quod in Quintiliano sæpè reperies.
Partior Adijcio Respondeo Celo Nascor Partior laborem multis negocijs, & in multa negocia, ut apud eundem. Adijcio huic rei & ad hanc rem, Respondeo tibi & ad te. Celo te hanc rem, & Celo te de hac re. Tu es natus ad laudem & laudi. Cicero pro Sextio: Nam quid ageret uir ad dignitatem & gloriam natus: et in eêdẽ: Qui se patriæ, qui ciuibus suis, qui laudi, qui gloriæ, nõ qui somno, & conuiuijs, & delectationi natos arbitrantur.
Aggrego Aggregabo te illis, uulgò dicimus. Idem: Aggregare soleo in numerum nostrum. Idem pro Archia: Ascribi se in eam ciuitatem uoluit.
Adscribo Et pro eodem: Cùm fuerit in alijs quoq; ciuitatibus

adscriptus. Idẽ in Philippicis: Tu uerò adscribe me in talem numerum. Idem pro Rabirio: Si quis hunc reprehendendum putat, adscribat ad iudicium suum non modò meam, sed huius etiam ipsius, qui commisit, sententiam. Idem contra Rullum, Illum sibi collegam ascriberes. Tibi hoc ascribendum est, id est, tibi tribuendum & imputandum.

Incessit mihi cupiditas.) Incessit me, eodem significato dicitur. Liuius deca. 1. lib. 7. déinde haud dubius timor incessit animos. Idem 2. bel. Punici lib. 4. Ipsum ingens cupido incesserat Tarenti potiundi. THEOD.

De noua ratione regendi quorundam impersonalium. Cap. XLVI.

COEpit eum pœnitere, posset te pigere, desinet me tædere, sæpius dicimus, quàm Cœpit ille pœnitere, posses pigere, desinam tædere. Quintilianus in Milite Mariano: Neq; si sit cupidissimus uitæ, pœnitere eum sui facti potest. Cicero de petendo consulatu: Si hic ciuis liber est, cuius authoritatis neminem posset pœnitere. Idem in Verrem: Iamiam Dolabella me neque tui, neque tuorum liberorum, quos tu miseros in egestate atque in solitudine reliquisti, miserere potest. Simile est illud Terentij. Ita Dij me bene amabunt, ut me tuarum misertum est Menedeme fortunarum. Me, pro à me, misertum dixit. In Heaut.

Cùm uenustè uerba aut desunt, aut redundant. Cap. XLVII.

DEsunt nonnunquàm uerba in oratione, sed non sine gratia, ut Horat.

Quò mihi fortunam, si non conceditur uti? Li. 1. epi. 6

id est, ad quid uultis esse mihi bona fortunæ? Hic modus incipit per Quò, alius incipit per undè, ut idem:

Vndè mihi lapidẽ, quorsum est opus? undè sagittas? supple Putes, uel Dicas mihi esse. Iuuenal. saty. 14.

Vndè tibi frontem, libertatemq; parentis,
Quum facias peiora senex?

Cicero ad Fabium: *Martis uerò signum quò mihi pacis author?* Quintil. *Quò per fidem diuitias cæcos? Et alibi: Quò nunc tantum frumenti? quo classem commeatu grauem? Idem: Vndè hunc illi animum? Et alibi: Vndè tantum uirum cæco, ut in uno statim ictu mors tota peragatur? Idem tamen ait alio loco: Vndè miserat tunc undè somnus? supple Erat uel Est.* Tertius
Lib. 2 modus, *ut apud eundẽ: Sequitur quæstio, an utilis rhetorice: nam quidam uehementer in eam inuehi solent, & (quod sit indignissimum) in accusatione orationis utuntur orandi uiribus. Eloquentiam enim esse, quæ pœnis eripiat scelestos, cuius fraude damnentur interim boni, consilia ducantur in peius, supple, Dicunt enim eloquentiam. Cicero: Habendas esse quàm laxissimas amicitiæ habenas. caput enim esse ad benè uiuendum securitatem, supple, Dicunt enim caput. Qui modus loquendi apud Græcos est frequentissimus. Idem uerbum aliquando redundat: ut de oratore Cicero,*
Lib. 2 *Titum illum, qui studiosè pila luderet. Et idem: Signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesq;, cùm in campum nõ uenisset, requirerent, excusauit Vespa: Terentius, quòd eum brachium fregisse diceret. Satis erat dixisse, Quòd brachium fregisset. Et non longè illinc, Cui cùm familiaris quidã quereretur, quòd diceret, uxorem suam suspendisse se de ficu, Amabò te, inquit, da mihi ex ista arbore, quos serã surculos. Sat erat sine illo quod diceret. Sed hoc uerbum libenter apponit Cicero: Quartus cùm suppletur Respondeo*

deo: ut idem frequenter. Quod autem scribis de illo negocio, ego nescio quid consilij capiam, uel ego iam antea timueram, supple Respondeo: raroq; uel nunquam hoc uerbum profertur. Aliquando subintelligitur simile uerbum, ut apud Quintilianum: Sed si confessionem culpæ meæ exigitis, ego fui pater durus, & patrimonij, quod iam meliùs ab his administrari poterat, tenax custos, supple Confiteor, quod est. Quintus modus, ut apud Ciceronem: In obsequio (quoniam Terentiano uerbo libenter utimur) assentatio absit, ueritas retineatur, subintellige, Ita loquimur, quoniam Terentiano uerbo libenter utimur. Et alibi: Satiari delectatione non possum, ut meæ senectutis requiem oblectationemq; noscatis, subintellige, Hoc dico ut noscatis. In Senect. *Sextus modus, ut apud Plinium Iunio. Studes, an piscaris, an uenaris, an simul omnia? supple Facis. Quintilia. Nil aliud quàm renuet, id est, Nil aliud faciet quàm renuet. Et iterum. Et acceptis literis meis iuuenis filius nihil aliud, quàm cum matre fleuisset, id est, Nil aliud fecisset, quàm cum matre fleuisset. Martial.*

Nil aliud bulbis quàm satur esse potes,

id est, nil aliud facere. Cui confine est illud, ubi prolato aliquo aduerbio qualitatis, subintelligitur pro conditione materiæ, aut Dixit aut Fecit, ut, Benè Ennius, præclarè Anaxagoras, fortiter Scipio, prudenter Fabius, supple Dixit aut Fecit, prout ex his, quæ aut iam diximus, aut dicturi sumus, colligitur. Et per comparatiuum: Dij meliùs, supple Fecerint, aut Faciant, aut Certè uelint. Nec de dijs solũ, uerũetiã de boĩbus, ut apud Quinti. Tu meliùs uxor, quæ facturũ retinebas, supple Fecisti. Interdũ etiam

per

per nomen, nã illud Melius est aduerbiũ, ut, Dij melio ra. Lucanus ipsum uerbum apposuit: Dij meliora ue lint. Nec procul ab huius natura abest, quãdo utimur hoc nomine Res siue in nominatiuo, siue in accusatiuo, fortè etiam in alijs casibus, ut, Restat mihi exponenda uita, quam hic egit in magistratu, res digna auditu in primis, uel, Reliquum est ut exponam uitam huius, qua fuit in magistratu, rem dignã auditu in primis.

Quòd amœnè tempus aliquando pro tempore ponitur. Cap. XLVIII.

Figura p tempus.

Liuius 3. decadis.

HAnnibal apud Titum Liuium alloquens mili tes, inquit: Si tales animos in prælio habebitis quales hîc ostendistis, uicimus. Quintil. Si tales milites omnes habebimus Mari, uicimus. Cur de futuro non per uerbum futuri temporis locutus est? Nempe ad asseuerandam rem, ut non futura, sed iam esse uideatur: multoq; plus ponderis habet, ut dicamus Vicimus, quàm Vincemus. Idem Quintilia. Dimitte tantum, & euocasti, id est, euocaueris. Cicero: Vnum ostende in tabulis, aut tuis, aut patris tui emptum, & uicisti, pro Viceris. Idem pro Sextio: Restitisses, repugnasses, mortem pugna oppetisses, pro eo quod est Resistere, repugnare, mortem pugna oppetere debuisses. Ouid. quarto Metamorph.

Præmiaq; eripies, quæ si tibi magna uidentur,

Ex illis scopulis, ubi erant affixa, petisses: id est, petere debuisses. Terentius in Andria: Prædiceres,

In Heaut. pro eo quod est, prædicare debebas. Et alibi: Fortasse aliquantò iniquior erat propter eius libidinem: paleretur. pro, Pati debebat. Idem Cice. 3. Offic. Mate etiam Curio, cùm caussam Transpadanorũ æquam esse

esse dicebat, semper addebat, Vincat utilitas: potiùs di ceret nõ esse æquam, quia nõ esset utilis reipub. id est, dicere debebat. Huic simile est, quale apud Ouid. de remedio:

Si subauditum.

Gnosia fecisses inopem, sapienter amasset,

id est, si fecisses inopem. Horatius:

Lib. 1. ser. sat. 3.

Decies centena dedisses
Huic parco, paucis contento quinq; diebus,
Nil erat in loculis, -

id est, si dedisses. Plinius iunior: Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat, id est, si dedisses. Illud magis poëticum, ut Vergil.

Tu quoq; magnam

Lib. 6.

Partẽ opere in tãto, sineret dolor, Icare haberes, id est, si sineret. Iuuenal.

Græculus esuriens in cœlum, iusseris ibit,

id est, si iusseris. Adhuc diuersum huic est, quale est apud Ciceronem, Conchiliatis C. Pompei peristromatis seruorum in cellis stratos lectos uideres, id est, uidisses. Quintilia. Semper uidisses, ut ibi uidisses non quemadmodùm tenues umbræ corpus accipere cogitationibus solent. Apud hunc sæpe est hic modus loquendi, Si perseuerassem, duos excæcaueram, pro Excæcassem. Quale est illud Horatia. 2. carminũ, quod metri caussa Priscia. dici putat, Me truncus illapsus cerebro Sustulerat, nisi Faunus ictũ dextra leuasset. Apud illum quiddam pene contrarium, ut ibi: Dilatoris nomen, quod sæpè iustum fuisset, profuerat. Nam de imperfecto subiũctiui, quod solet poni pro imperfecto indicatiui, in proximo libro tam dixi, cuius hoc exemplum fuerat: Non quia amicus non esses. Cicero de repub. lib. 6. Et quòd de uia fessus essem, & ad

multam

multam noctem uigilassem, pro Fessus eram, & uigè lueram.

Vbi nitidiùs utimur actiuo, ubi passiuo.

Cap. XLIX.

Non oportet legere libros nõ oportuit factum.

OPortet legere libros, expedit euoluere authores, utile est cognoscere plurima, operæpretium est habere quos imitemur, necesse est adhibere usum, cõducibile est descendere in certamen, & agitare cum alijs controuersias. Vel per passiuum, Oportet legi libros, euolui authores, cognosci plurima, haberi quos imitemur, adhiberi usum, agitari cum alijs controuersias. Hunc posteriorem modum magis ars grammatica probat, illum magis authoritas. Secus in præterito: nanq; non ita sæpè legimus, Fecisse hoc oportuit, ut Factum hoc oportuit. Cic. in Verr. Tamen id factum non oportuit. & in eundem: Apollinis signum ablatum certè non oportuit. Et alibi: Totam rem illi integram seruatã oportuit. Non dissimile sanè est illud per alterũ uerbũ (de Volo loquor) ut idem: Liberis consultum uoluimus, etiamsi posthumi futuri sint. Idem: Percurram tamen breui, ut non minùs hominem ipsum, q̃ Ius cõmune defensum uelitis. Quintil. An incidisse in sordidum nomen, non eô contẽptum hominis, quem destructum uolebat, auxisse.

Propositiones rationesq; interdum miscere

Cap. L.

NAm ubi uincit necesse est, expedit cedere, siue plura sunt, de quibus quæritur, facilior erit in cæteris fides, siue unum, mitior pœna solet irrogari uerecundiæ. Miscuit hoc loco Quintil. propositiones rationesq;, quum sit usitatissimum sic dicere: Siue plura sunt, de quibus quæritur, siue unum. Si enim plura facilior

facilior erit in cæteris fides. Sin unum, mitior pœna solet irrogari uerecundiæ. Atq; iterum: Firmis autem iudicijs, iamq; extra periculum positis, suaserim, & antiquos legere (ex quibus si assumatur solida & uirilis ingenij uis, detersa rudis seculi squalore, tum hic noster cultus clariùs enitescet) & nouos, quibus & ipsis multa uirtus adest. Alius dixisset, Suaserim & antiquos et nouos: antiquos quidẽ, &c. nouos uerò, &c. Cicer. in Antoniũ: O te miserũ, siue illa tibi nota non sunt, (nihil enim boni nosti) siue sunt, qui apud tales uiros tam imprudenter loquare.

De usu uenusto uerbi Videor,

Cap. LI.

NOn uidetur tibi quòd benefaciã, & Mihi non uidetur quòd benè loquaris. Sicut uobis uidetur quòd malefacimus, ita nobis uidetur quòd malefacitis. Videtur tibi quòd ille benê scribat, & uidetur mihi quòd isti benè arent. Rusticanus hic sermo est & agrestis. Eruditi enim sic loquuntur, Non uideor tibi benè facere, & tu non uideris mihi benè loqui. Sicut uobis uidemur malefacere, ita nobis uos uidemini. Ille uidetur tibi benè scribere, & isti mihi uidentur benè arare.

De uulgari quodam usu, Mihi & Tibi.

Cap. LII.

HIc mihi gloriatur, se omnes honores sine repulsa obtinuisse. Et alibi idem Cicero narrans Bruto rem, in qua ille non adfuerat, inquit: Ecce tibi Pompeius noster, Illud Mihi & Tibi, nõ magis ad me uel ad te, quàm ad cæteros pertinet: sed est oratio sumpta de medio qua uulgò utimur. Tu mihi semper dormis: ille mihi assiduè sedet. Cùm super cœnam essemus, ecce tibi ostium crepuit. Hic sermo neque ad

me, neq; ad te, neq; ad quenquàm refertur. Ideoq; differens est ab illo figurato, quale est apud Vergilium:

In 2. Georgic. Ne mihi tum molles libeat iacuisse per herbas,
Ne' ue tibi ad solem uergant uineta cadentem.

Hìc præcipitur ad uniuersos sub prima & secunda persona, ibi non præcipitur, nec ad aliquem sermo est.

Quando maiori tempore expresso, partem eius accipimus, & quando deest Post, Cap. LIII.

SVperioribus diebus uêni in Cumanũ. Et iterum: Qui his paucis diebus pontifex factus est. Et in futuro: Paucis diebus eram domesticos tabellarios missurus. Et iterum: Triduo aut ad summum quatriduo petiturum. Hæc Cic. & Sallust. Legati tricho nauim conscendere, non est accipiendum per superiores dies, & per paucos dies, per triduum & quatriduum, sed intrà superiores dies, intrà paucos dies, intrà triduum & quatriduũ. Nam illud, quòd aliquid dicunt tempus continuatum & solidum significari per accusatiuum, secùs uerò per ablatiuum, planè falsum est. Cicero enim atque Vergil. sæpius accusatiuo, & quidem indifferẽter utuntur: posteriores uerò plerique ablatiuo. Aliquando in huiusmodi genere sermonis omittimus Post, sic: Intrà decem dies, quàm uenit, confecit omne negociũ. In paucis diebus, quàm Rhodum appulit uxorẽ duxit, id est, postquà uenit, postquàm appulit, quæ exempla apud historicos sunt plurima.

Vbi deceant Nisi, Quàm, & Præterquàm. Cap. LIIII.

QVid est animal, nisi corpus cum anima concretum? rectè et latinè. Quid est animal, quàm corpus cum anima concretum? non rectè, nec latinè. Adde Aliud, uel Aliter, uel Secùs, & utroq; modo licebit dicere. Quid est aliud animal, quàm corpus, uel, Nisi corpus cum anima concretum? Cic. Quid est aliud gigantum more bellare cum dijs, nisi naturæ repugnare? Idẽ faciet comparatiuũ, ut, Quid est melius quàm gaudere, uel, Nisi gaudere? ut Quintil. Nihil est facilius, nisi totam caussam omnino nõ agere. Præterquàm, eandem aut propè parem uim obtinet quã Nisi. Cuius exempla, ut facilia prætermittimus, unum illud admonẽtes, ubi est Præter, ibi locũ habere Præterquàm, ad hunc modum, ut, Nullius rei sum auarus * præter laudẽ, uel Præterquàm laudis. Nulli places præterquàm mihi, uel Præter me. Desenect.

Vbi est præter.) Præter, pro Præterquàm, non semper accusatiuum exigit. Sallust. Cæteræ multitudini diem statuit, antè quã fine fraude liceret ab armis discedere, præter rerum capitalium condemnatis. Plinius lib. 14. cap. 19. Prolibare dijs nefastum habetur uino, præter imputatæ uitis. Suetonius: Religionis usquequaq; contemptor, præter unius deæ Syriæ. THEOD.

De usu huius uerbi Transfero. Cap. LV.

QVem morem Spartiatæ transtulerunt in fœminas. Et alibi idem Cic. Quod nisi in amicitiam transferatur. Quæ in alios transferuntur, non solent remanere penès eos, à quibus transferuntur. Mos autem (ut Cicero uult) ita transfertur ut penès priorem quoq; remaneat. & libro primo officiorum: Quod ab Ennio positum in una re, transferri in multas potest. & in eodem: Eademq; mediocritas ad omnem usum cultumq; uitæ transferenda est. Lucan. in 10. Nondum translatos Romana in secula luxus.

Mos autem.) Aliter mos aut institutum trãsfertur, aliter crimen & culpam ad alium reus transfert, ut à se BVDAE.

prorsus remoueat atque amoliatur. Cicero: Remotio criminis dupliciter fit, si aut causa, aut factum transfertur. Causa transfertur, cũ aliena ui & potestate factum dicitur. Terent. Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet omnem.

De Committo. Cap. LVI.

In offic. NOn cõmittas, ut quum omnia tibi à nobis suppeditata fuerint, tu tibi defuisse uideare. Et iterum: Non committas, ut dicendum sit, Non putaram: Hæc Cicero. Quintilianus quoq; : Non committam ut illa dubia facia defensionis solicitudine. Et alibi: Nihil tibi minùs committẽdum, quàm ut ulciscaris hoc flagitium, in eo præsertim. qui apud malignos poterit uideri, te permittente fecisse. Cicero tamẽ quodam in loco non per Vt, sed per Quamobrem locutus est, dicens: Considerare debes, nihil tibi esse committendum, quamobrem eorum, quos laudas, te non similimũ præbeas. Idem pollet Quamobrem quod Vt, & licebit illud tollere, & hoc subijcere. Ex quibus exemplis datur intelligi, hoc uerbum, sequente Vt, uel similidictione, semper accipi in malam partem: nec rectè dicas, Fac committas ut omnes te laudent, aut sic, Non commisisti unquàm ut laudareris. Præterea semper habet secum negationem.

De Oriundus & Ortus. Cap. LVII.

ORiundus quòd non habeat um participij, credo alij dixerunt. cuius utendi hic modus est: Ego sum ortus Romæ, oriundus à Placentia. Titus Liuius: Nati Carthagine. sed oriundi à Syracusis, id est, à Syracusis originem trahentes, undè fuerunt parentes. uel sine præpositione, ut idem: Albã oriundum sacerdotium. In personis ferè cum præpositione. Idem: Is longè princeps latini nominis erat (si famæ credimus) ab Vlysse deaq; Cyrce oriũdus. Lib. 1. ab urb. cõd.

Idem: Quid hoc, si polluit nobilitatem istam uestram, quam pleriq; oriundi ex Albanis & Sabinis, non genere, nec sanguine, sed per cooptationem in patres habetis? Nomunquàm per indeclinabilia, ut, Indè ego sum oriundus, undè tu. Liuius tamen (si rectè scribitur) ait libro 8. Pulæpolis fuit haud procul indè, ubi nunc Neapolis sita est, duabus urbibus idem populus habitabat, Cumis erant oriundi, &c.

De Memini. Cap. LVIII.

MEmini, pro Recordor, tum genitiuum, tum accusatiuum postulat, ut Teren. Faciam ut In Eunu huius loci, dieiq; meiq; semper memineris. Cic. Omnia In Senect. quæ curant senes meminerunt, uadimonia constituta, qui sibi, cui ipsi debeant. Quid iurisconsulti, quid pontifices, quid Augures, quid philosophi senes, quàm multa meminerunt! Idem uerbum pro eo quod est Mentionem facio, recusat accusatiuum, postulatq; genitiuum uel ablatiuum cum præpositione De, ut Quintil. Ne- Li. 1. instit. Mentio. que omnino huius rei meminit poëta ipse. Et iterum: De quibus multi meminerunt. Hinc uidetur deriuari Mentio quasi à Meno præsenti & geminato præterito Memini, undè supinũ Mentum, ex quo Mentio, & Mens, quæ omnium recordatur, & Mentum, quia in mentione facienda, hoc est, in loquendo præcipuè mento utimur. Nullum enim animal mouet partem oris superiorem, nisi Crocodilus: sed omnia inferiorem, sicut & nos mentum. Hinc etiam Mentior, quia contra mentẽ loquor. Fortè & hinc uenit Menta. Mentum. Menta.

Sed nolo eius Etymologiam aliquam adferre, ne cui fortè uidear argutulus.

De differentia inter Alter & Alius.

Cap. LIX.

ALter de duobus dici, Alius de multis, notum est omnibus, licèt non omnes rectè utantur,

Lib. 8. Macro. de Saturna. Cùm igitur adseruerimus, quatuor in corpore fieri digestiones, quarum altera pendet ex altera, dicendum erat, Quarum alia pendet ex alia. Idem in alio opere de naturalibus: Ille uerò insolubiles caussæ sunt, quæ mutuis inuicèm nexibus uinciũtur, & alteram altera facit, ac uicissim de se nascuntur, nũquàm naturalis societatis amplexibus separantur. Nam Ouidius de nouem picarum transformatione loquens, quanquàm eum accusare metri necessitas potest, tamen quòd singulæ singulas, ac certæ certas intuerentur, intellexit, cùm inquit:

Alteraq; alterius rigido concrescere rostro
Ora uidet. -

Sueto. de uita Caij: Nec cessauit ex eo alterum alter criminari, atq; inter se omnes committere. Nescio an sic accipiẽdum sit, Vnum uni, & rursus hũc illi. Plin.

Cap. 30. lib. 11. inquit de formicis: Quoniam ex diuerso conueniunt altera alterius ignara. Quare dicamus aliquando sic loqui esse permissum. Et diuersò nonnunquàm de duobus dicimus: alius & alius, nec aliter dicere possumus, ut, Dubitatur uter excellat, Sallustius an Liuius, &, Alius alium præponit, non autem Alter alterum. Ratio postulabat, ut diceremus, Alius alterum. Nam Alius ad plurimos refertur, qui de duobus iudicãt, Alter ad unum de duobus, de quibus iudicatur. Sed quia uidebatur inuenustũ sic loqui, maluerunt mutare Alterum in Alium. Adseramus exemplum. Sallust. in Catilinario de Cæsare & Catone loquẽs inquit: Genus, ætas, eloquẽtia ꝑpè paria fuêre, magnitudo

tudo quoq; animi & gloria, sed alia alij. Vel est ea ratio quam dixi, uel hæc, quòd idem est alia, alij, quod diuersa diuerso, ut, Alia est facies mea, alia est facies tua, id est diuersa. Propriè igitur Alter refertur ad unum de duobus, ut, Hannibal in transitu Apenni ni amisit alterum oculum: siue ad unam duarum partium, quod superiùs etiã significaui, ubi hoc Ciceronis exemplo usus sum, Duplices similitudines esse debent, unæ rerum, alteræ uerborum: & quale est Vergilij exemplum:

Aurea mala decem misi, cras altera mittam. In Menalca.

Aliquoties etiam accipitur Alter pro secundo ex duobus, pluribus ue, ut Vnus, alter, tertius, quartus, unæ, alteræ, tertiæ, quartæ literæ: &, Hic est alter annus belli Punici, &, Ego altero mense repudiaui uxorem, id est, secũdus annus ab origine belli Punici, & secundo mense à ductione uxoris. Aliquando pro ipsis duobus, ut, Vnus aut alter, id est, unus aut duo. Quod etiam in aduerbijs respondet semel, aut iterum, id est, semel, aut bis. item Semel, & iterum: Cicero in Bruto semel, & iterum in Philippicis. Dubitari tamen potest cùm dicitur Iterum consul, an secunda uice, an bis cõsul intelligatur, quæ dubitatio in cæteris non erit. Tertiùm enim consul, & Quartùm consul, sic differt ab illo Ter cõsul et Quater cõsul, quòd in altero significatur tertia et quarta uice, in altero tribus & quatuor uicibus. Aliqui tamen dubitarent, an in hanc significationem Vice & Vices reperiatur. Tertium consul.

De Quisq; & uterq; cum uerbo aut participio.

Cap. LX.

HIrundines uere ineunte redeunt, in suum pristinum unaquæq; nidum immigrãtes. Muta illud

Vnaquæq; sic: In suum pristinum nidum unaquæq; im migrantes. aut sic: Vnaquæq; in pristinum nidum immigrantes: iam non erit Latinum. Item, Offendi parentes suo utrunq; morbo affectos: transfer illud Vtrumque, ut modò ostendi, iam nõ erit elegans. Nam si ita mutemus, ille pluralis numerus Immigrantes, & Affectos, referetur ad illũ singularẽ Vnaquæq; & Vtrumque, quod fieri non potest. At illo modo superiore seclus: refertur enim numerus pluralis ad pluralem, sic: Hirundines uere ineunte redeunt immigrantes in nidos pristinos, unaquæq; in suum, supple immigrans. Offendi parẽtes morbis affectos, utrunq; supple suo affectum morbo. Vergilius in duodecimo:

Dant sonitũ spumosi amnes, & in æquora currũt
Quisq; suum populatus iter. Et paulò pòst:
Pro se quisq; uiri summa nituntur opum ui.

In priore exemplo, si uersus pateretur, non decuisset dicere, Quisq; suum populatus iter, sed populati: nec in posteriore, Pro se quisq; uiri summa nituntur opum ui. Secùs autem solet fieri, ubi abest Suus aut se, ut Quintilia. Commendo tibi senem, quem fecimus uterq; mendicum. Nec rectè dicas, Commendo tibi senem, quem nos filij alleuare debemus, eum uterque mendicum facientes, uel sic, quem nos uterq; captiui mendicum fecimus, nisi more poëtico, ut apud Ouidium:

Vtraq; formosæ, me iudice, sunt uenerandæ.

Et apud Horatium: Legati magnis missi de rebus uterq. quod apud oratores non reperitur: sicut nec illud quidem, licèt Aulus Gell. utatur, quale apud Terentium: Quod plerique omnes faciunt adolescentuli: quod quidam exponunt pro eo quod est Plerique omnium, quidam pro eo quod est Omnes.

In And.

De

De Tamen & Sed cum Relatiuo. Ca. LXI.

HOmo illiteratus est, cui tamen paucos in rerũ gerendarum scientia anteponas, Latinum est. Homo illiteratus est, sed cui paucos in rerum agendarum scientia anteponas, etiam elegans est. Item in negatione: Homo quidem illiteratus est, quem tamen non postponas multis, Latinum est, ut dixi. Elegans etiam sic, Homo quidem illiteratus, sed quem multis non postponas. Ideo dixi elegãs, quia subintelligitur Talis, quod in alio non fit, ut sic: Homo illiteratus, sed talis quem, &c. uel. Sed is pro Talis. ideoq; & hoc eleganter dicetur, Homo illiteratus, non tamen quem multis postponas: id est, non tamen is quem multis postponas. Aliquando non subintelligitur Talis neq; Is, ut, Hic ager est meus, sed cuius usu careo.

De Id quod, cum alio antecedente. Cap. LXII.

VIdeo te amatorem studiorum, quod me maximè iuuat, uel quæ res me maximè iuuat, uel, Id quod me maximè iuuat, amator es studiorũ. Item, Video te, quod me maximè iuuat, uel quæ res me maximè iuuat, uel id quod me maximè iuuat amatorem studiorum: quæ exempla sibi quisq; conquirat.

De Aliquis, Quisquam, Quispiam, & Vllus. Cap. LXIII.

ALiquis, quisquam, quispiam, ullus, idem significant, differuntq; à Quidam, ut in alio opere, quod de Dialectica propediem êdemus, ostẽdetur. Vllus tamen quodammodò claudicat, nec ferè citra negationem, quasi citra baculũ ingredi potest, nisi interrogatiuè, ut, Vocat me ullus? aut subiunctiue, ut, Si ullus me uocat. Nũq; planè affirmatiuè, sicut illa supiora.

Li. de Dia lect. 2. ca. 5

BVDAE. Significare uidetur Laurentius, Aliquem pro Quodam non usurpari: quod non ita uerum est, ut flagitiosum sit contrà feciſſe, quum Cicero de prouinciis Consularibus ita scripserit: Ego uerò, si mihi non licet per aliquos gloriari, me dolorem atq; inimicitias meas rei publicæ concessisse, utar hoc, & reliqua. Quos hîc Cicero aliquos dixit, eosdem post quatuor uersus quosdam appellat. utroq; autem uerbo τοὺς περὶ τὸν κάτωνα significare uidetur.

De eadem persona tanquàm alia

Cap. LXIIII.

ME occupato in administratione magistratus, nullum tempus seponere ad studendum poteram, uel, Me occupato in administratione magistratus, nullum tempus mihi reliquum erat. Rarissimè Latini sic locuti sunt, Græci frequenter: sed hoc modo potiùs: Occupatus in administratione magistratus, nullum tẽpus seponere ad studia poteram, uel, Occupato in administratione magistratus, nullũ mihi tempus ad studia reliquum erat. Dixi rarissimè, nõ tamẽ nunquàm. nam quidam sic locuti sunt, ut Horat. de Arte poëtica,

Laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorq; minorum.

G. Bud. in Commẽt. putat Laurẽtiũ hoc carmẽ Horatij non benè intelexisse.

Quintus Tullius ad Tyronem: Non potes effugere huius culpæ pœnam te patrono, Marcus est adhibendus: pro, Ipso patronus. Simile quiddã sapit Per, quale est apud Marcum Tullium. Cùm & per meipsum egissem, & per Drusum sæpe tentassem. Illud enim Per significare solet medium quendam, aliumq; intercessorẽ. Nunc uerò quis queat medius esse inter se & alium, & tamen sic uulgò loquimur, Per meipsum rogaui, Per teipsum obtinuisti.

Auxilium do ferq;, opem fero tantum.

Cap.

Cap. LXV.

AVxilium do ferq;, dicimus. Opem do non dicimus, sed fero: unde Opitulor, quod Tullianũ uerbum esse, Seneca author est: quo tamen & Sallustius utitur, & Plautus, & alij nonnulli.

De A, Ex & De, cum alijs.

Cap. LXVI.

AVdiui à patre meo, & Audiui ex patre meo, & Audiui de patre meo, idem significare inuenies, qui bonos libros euoluet. Cicero tamẽ sic præcipuè locutus est. Similiter apud eundem: Quæsiui te ab ostio, ex ostio, de ostio. Vocaui te à uia, e uia, de uia: sed hoc ultimum apud eundem in alium quoq; sensum accipitur, ut in Philip. Cumq; de uia languerem, & mihimet displicerem. Et de repub. Et q. de uia fessus eßẽ et q. ad multã noctẽ uigilaßẽ. de Academicis: In Cumano nuper cũ mecũ Atticus noster esset, nũciatũ est nobis à Marco Varrone, uenisse eum Romam pridie uesperi, & nisi de uia fessus esset, cõtinuo ad nos uenturum fuisse: quasi De labore uiæ. Hîc enim uia significat iter, hoc est, actionem ambulandi: illic locum quo ambulamus.

De Solus & Vnus. Cap. LXVII.

INter omnia adiectiua, quæ non sunt superlatiua, duo ferè hæc, Solus & Vnus, more superlatiuorũ regunt genitiuum, ut: Solus omnium nõ remittit sibi, ut incredibilior sit in paricidio cæcus, quàm fuit cùm uideret. hæc Quintilianus. Et Plinius: Accipenser unus omnium squamis ad os uersis contra aquas natando meat. Similiter ablatiuum cum præpositione. nam ut dicimus, Maximus ex omnibus, & inter omnes maximus Li. 9. cã. 17

ximus: ita Vnus & solus ex omnibus, uel inter omnes. Verùm Vnus pro Solus accipio. ideoq; ferè cum illo adiectiuo Omnis tantummodò coniungitur. Nam Vnus ex fortibus, unus ex populo, alterius significationis est. Cum substãtiuis quoq; iungitur, ut idẽ Plinius: Caluitium uni tãtùm animaliũ homini: sed quasi subintelligitur Omnium.

De In diem, In dies: In horam, In horas: Prope dièm ac Propemodùm. Cap. LXVIII:

In dies. IN diem, aliud multò est, quàm In dies. Illud plerunq; cum hoc uerbo Viuit iungitur, ut Quiutilia. Non ut ferè uolucres præsentis modò cibi memores in diem uiuunt, duraturus hyemi reponitur uictus: aliquãdo, sed rarò cum alio iungitur uerbo, ut Sallust. Panem in diẽ mercari: quasi dicat, præsentis diei habere rationẽ, nihilq; cogitare de crastino. In dies idem est quod Quotidiè, sed propriè cum quodam incremento: ideoq; plerũq; cum comparatiuo, ut: Cùm indies malum arctiùs premeret: & Cùm in urbe infinitum malum serperet, idq; manaret in dies latiùs. Etiam sine comparatiuo, sed tamen per uerbum significans incrementum, ut Liuius: Crescente in dies multitudine: quod non liceret dicere, Concurrente in dies multitudine, sed Quotidiè, aut In dies magis: quum tamen licet superiora exempla dicere per Quotidiè, Cùm quotidiè malum arctiùs premeret, & cùm in urbe infinitum malum serperet, idq; manaret quotidiè latiùs: & per singulos dies, ut Cicero ad Atticum: Quotidiè, uel potiùs in dies singulos, breuiores ad te literas mitto, id est, nõ modò quotidiè breuiores, sed etiã in dies. Nam hæ quotidianæ literæ sunt breuiores his, quas anteà mittere solebam, quæ poterant esse omnes pari

breuitate. Atqui hæ, quas in dies singulos, siue in dies mitto breuiores, tales sunt, ut hodiernæ sint breuiores hesternis, & crastinæ hodiernis, & perẽdinæ crastinis, & ita aßiduè. Et pestilentia in dies fit maior, & quotidiè fit maior. Sic possunt uideri hæc duo differre, quòd in hoc possunt hodiè supra numerum hesternum decessisse quatuor, quũ heri decesserint decem supra numerum eorum, qui decesserant nudiustertius. Non ita in illo, ubi ultimus quisq; dies maximè increscit: ut si nudiustertius decesserint duodecim, heri quatuordecim, hodiè necesse est decedant saltẽm decem & septem, cras saltèm unus & uiginti, perendiè saltèm sex & uiginti. Eandem differentiã habent In horam, & in horas, quam In diem, & In dies. Cicer. in Philip. Nec qui in horam uiuunt, non modò de fortunis & bonis ciuium, sed ne de utilitate quidem sua cogitauerunt. Vergil. In horam In horas.

Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum uere nouo uiridis se subiicit alnus.

Si quis autem In dies & in horas, siue In dies singulos & in horas singulas, sine illa exacta ratione incrementi accipere uelit, non denegandum ipsi hoc puto.

Propediem est, quasi propè est dies quando hoc fiet. Cicero: Et præsens propediem (ut spero) & dum abeo absens loquar. Eodem modo quo dicimus Propemodùm quasi prope mẽsuram, quod accipitur pro Penè, siue Propè, cùm est aduerbium. Propediẽ. Propemodùm.

De Animaduerto. Cap. LXIX.

ANimaduerto te, & Animaduerto in te, differunt, quum Intueor te, & Intueor in te nõ differant. Animaduerto in te, est punio te, sed cũ hac differentia, quòd punire est quorumcunq;, siue iure, siue

iniuria: animaduertere est eius, qui in alterum habet potestatem ordine ac ritè, id est, cum animaduersione puniendi. Sed hoc propriè refertur ad personas. Animaduerto, pro Intueor personam & rem dicimus.

PEROT. Animaduerto aliquando significat punio, uerbero, iram exerceo: nec eius duntaxat qui in alterum ordinariam habet potestatem, (ut Valla sensit) sed cuiuscũq; Plautus: Is cum in herum animaduertisset grauiùs, hoc est, iram conuertisset. Ideoq; accusatiuum exigit cum præpositione In.

Filius, Natus, Genitor, Vir, Pater, Mater Genitrix, Parens. Cap. LXX.

ORatores sæpius dicunt filius quàm natus, pater quàm genitor, mater quàm genitrix, parens pro utroq;, etiam sæpe homo potiùs quàm uir, quoties ita accipitur ille de quo agimus, aut loquimur, quale est hoc: Illi deduxerunt hominẽ in palæstram. Poëtæ potiùs econtrariò. Historici mediã quandam uiam tenent, ut Sallustius: Eos mores atq; eam industriam uiri cognoui.

De In primis. Cap. LXXI

IN primis potens, si de masculo loquaris, intelligitur inter primos: si de fœmina, inter primas: si de neutro, inter prima. Nam idem pollet In primis, quod Inter primos, uel inter primas, uel inter prima. At si defuerit adiectiuũ, utiq; accipietur in neutro. quale est illud Vergilij:

In primis uenerare deos.

Nisi sit tale, quale apud eundem:

In primis regina quietum.

Accipit in Teucros animũ, mentẽq; benignam. In primis, non inter primas, aut inter prima accipiendum est, sed inter primos. Vna enim inter mares fœmina

mina nominatur siue fœminis alijs, aut inter primos & inter primas.

Hic non est cum illo comparandus. Cap. LXXII.

HIc non est cum illo comparandus, meliùs de minore ad maiorem dicitur, ut Vergilius cũ Homero, Horatius cum Pindaro nõ est comparandus: quàm ediuersò, sic, Homerus cum Vergilio, Pindarus cum Horatio non est comparãdus. Ediuersò tamen nonnunquàm reperitur.

Intercedo. Cap. LXXIII.

INtercedit mihi tecũ amicitia. Intercedit tibi cum illo affinitas. Intercedit tibi mecũ necessitudo: hoc est, amicitia, affinitas, necessitudo inter nos est media quædam, quæ nos conciliat. Tribuni interceserunt. Scipio intercessit. Cato intercessit, hoc est, in medium se uerbis aut ui opposuit.

Amare inuicem, mutuò, pariter, & inter se. Cap. LXXIIII.

AMamus nos inuicẽ, amatis uos mutuò, amant se pariter. Cum uerò adhibemus præpositionem Inter, tollitur accusatiuus, qui regitur à uerbo, ne turpe foret si replicaretur, sic: Amamus inter nos, non autem Amamus nos inter nos: amatis inter uos, amant inter se, non autem amatis uos inter uos, amãt se inter se. Cicero ad fratrem: Pueri ualdè inter se amant. & de amicitia: Neq; solùm inter se diligent & colent, sed etiam uerebuntur. Terentius in Adelph, Video eos sapere, intelligere, in loco uereri, inter se amare. Idem, & in eadem: Quasi non norimus inter nos: Benè habeo, benè habes, id est, benè ualeo, benè uales. In tertia autem persona etiam sine supposito.

Bene habeo.

posito. Benè habet, id est, benè se res habet: quod exemplum ubiq; frequens est.

BVDAE. Cùm uerò adhibemus.) Contra Cicero locutus est: ut de natura deorum lib. 1. Tum te repentè (ait) lætum exstitisse, eodemq; equo aduersam ascendisse ripam, nosq; inter nos esse cõplexos. Et lib. 2. de orat. Sed quid hoc loco uos inter uos. Eodem modo illud Terentij in castigatis libris legitur: Agè inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos.

De Facio. Ago, Frango, & Accipio. Cap. LXXV.

FAcio te certiorem, nõ certum. Nam Vergilius, Anchysen facio certum, ideo dixit, quod syllaba breuis inter longas non potest collocari in uersu Heroico. Prosa oratione scribentes, semper Certiorem dixerunt. Et semper facio, nunq; ago certiorem: Facio tibi gratum, nunquam ago tibi gratum: Facio ludos, facio rem diuinam, facio sacrificium, facio solennitatem, nunquam ago: & in multis huiusmodi. Item, Feci iacturam, feci damnum, feci naufragium, uix unquàm passus sum iacturã, damnum, naufragium. Cice. Magna in republica facta iactura est. Idem: Damnum enim illius immaturo interitu res Romanæ Latinæq; literæ fecerunt. Quintil. in portu naufragium, fecimus: & in cæteris quibusdam. Feci tamen fugam, & ego fugi alterum, non quòd alter me. Feci timorem, non quòd ego timui alterum, sed quòd alter me. Item, Feci iter, nunquàm Feci iter. Aliquando etiã Feci uiam, feci copiam tibi rerũ mearũ, nunq; Egi, aut Dedi, aut præstiti copiã. Feci potestatẽ tibi uidẽdi meas res domesticas, non autem dedi. Feci lucrum, non autem acquisiui lucrum. Honore dicto urinã fecit. Stercus fecit, non autem emisit. Simile huic est quod dicimus,

mus, Fregit nauim, fregit brachium, quasi ipse fregerit, id est, ipse egerit, non potiùs passus sit. Terent. Is fregit nauim apud Andrum. Cice. Gregalesq; eum cũ in campum non uenisset, requirerent, excusauit Vespã Terentius quôd eum brachium fregisse diceret: alius dixisset, quôd ei brachium fractum esset. Ita etiã Accepi molestiam, accepi cladem, accepi contumeliam, accepi uulnus, accepi iniuriam, accepi dedecus, accepi ignominiam: uix autem Passus. De quo uerbo commodiùs alio loco dicam, Accepi etiam uoluptatem, gaudium, lætitiam. Lib. 2. de orat.

De Conuenit. Cap. LXXVI.

COnuenit hoc mihi, aut Conuenit hoc uobis, id est, decens est, & conueniens. Conuenit hoc inter nos, id est, constat & controuersia caret. Conuenit mihi hoc tecum, id est, sine controuersia est inter nos quod ego dixi. Conuenit tibi mecũ, id est, sine controuersia est inter nos, quod tu dixisti. Nonnũquam sine supposito, ut Conuenit inter nos. Nonnũquam sine apposito, sed tamen subintellecto, ut Hoc conuenit. Nonnunquàm sine utroq;, ut Conuenit.

De Obuio tibi, Obuius tibi fio, obuius sum tibi, & similibus. Cap. LXXVII.

OBuio tibi, Obuius tibi fio, obuius sum tibi, obuium me tibi fero, obuium me tibi fortuna obtulit. Cicero: Fit ei Clodius obuius: Vergil.

Cui mater media sese tulit obuia syluæ.

Domitius Afer apud Quintil. Fortè uos in eã solitudine obuios casus miseræ multieri obtulit. Obuiam quoq; per eadem, & alia plura uerba uariatur, ut, Obuiam præcessi, obuiam iui, & alia multa.

De uerbis ad finitionem pertinentibus,

Cap.

Cap. LXXVIII.

EPicurus omnia terminat uoluptate. Zeno cuncta finit honestate. Hierony. uniuersa definit determinatq; indolentia corporis. Carneades singula metitur naturæ bonis. Aristippus nihil non ad cõmodum suum refert. Pyrrhon nihil reliquit, quod non reuocet ad scientiam. Ille summum bonum in gula constituit, ego bonũ ipsum pono in dilectione Dei. Tuus finis ad quem tendis, tibijpsi ignotus est. Tot igitur uerbis unam eandemq; rem declaramus. Quæ exempla passim inquirentibus sese offerent.

De uerbis ad coniecturam pertinentibus.

Cap. LXXIX.

COniecto, coniecturo, coniecturam facio, cõiecturam capio, coniectura consequor, cõiectura colligo, coniectura ducor, pro eodem accipiuntur, aut parùm differunt: quia efficacius quiddam est, in Coniectura consequor, & coniectura colligo, quàm in cæteris, quorum exempla adducere longum esset.

De uerbis ad noticiam pertinentibus.

Cap. LXXX.

NOn me fallit, non me præterit, non me fugit, non me capit, idem significare quod ignoro, Quintilianus author est.

De uerbis ad spem pertinentibus.

Cap. LXXXI.

CApio spem de te, concipio de illo spem, ducor in spem huius negocij, uocor in spem, ingredior in spem: non tantùm spei firmitatem significat, quantum Colloco in te spem, & Repono in te spem. Cicer. In quo maiores natu spem suæ dignitatis collocarant. Quintil.

Quintilia. In quo spem unicam senectutis reponebam.

De uerbis ad recordationem pertinentibus.

Cap. LXXXII.

IN mentem uenit mihi, occurrit mihi, succurrit mihi, subit mihi, pro eodem accipi solent. Sed hoc ultimum frequenter quoq; ad miserationem. Quintil. Nobis uerò natura aduersùs examines ingenuit non solũ miserationem (quæ cogitationi nostræ subit) sed etiam religionem. Vbi nõ ita decuisset, Succurrit, occurrit, in mentem uenit. Vergil. 2. Aeneid.

Subijt chari genitoris imago
Subijt deserta Creusa.

Vbi nequaquam decuisset, in mentem uenit mihi de charo genitore, & de Creusa deserta. Iungitur etiã hoc uerbum cum accusatiuo, ut Curtius: Sêra pœnitentia subijt rẽgem.

De uerbis ad uisionem pertinentibus.

Cap. LXXXIII.

VIdeas, uidere licet, licet cernere, apud quosdã etiam Cernere est, pro eodem accipiuntur. Vt itaq; uideas, iustos iniustis rebus maximè dolere, imbecillibus fortes, moderatos immodestis: Licet uidere nonnullos tanta stulticia, ut uix differant à natura brutorum: licet ora ipsa cernere iratorum ut imitentur. Ciceronis hæc exempla sunt.

Apud quosdam etiam cernere est.) Vallæ hoc in loco non admodùm uidetur arridere hæc locutio, cernere est, pro cernere licet: & alibi coarguit imperitię Raudenſem, quòd Animaduertere est, pro Animaduerti potest, & Inuenire est, pro inueniri potest, dixerit. Nos pauculis exemplis ostẽdemus, huiusmodi locutionibus Plinium & alios non abstinuisse. Lib. 8. cap. 23. Non est fateri, rerum natura largius mala an remedia genuerit. Et cap. 37. Aliter non est occidere, & tergori parce-

re. Cornelius Tacitus: Est uidere apud illos argẽtea uasa legatis & principibus eorum muneri data.

De parenthesi per Quis & Is. Cap. LXXXIIII.

SI potuisset redimere oculos matris (quæ pietate fuit) uicarios suos dedisset, id est, tanta pietate in matrem fuit. Idem Quintilia. Hoc si fecisses pater, affirmo, promitto (cuius pietatis es) nemo te antecessisset. Et alibi: Quæ pietas tua est. Tribus enim modis utimur per relatiuum, totidem per pronomen Is. Primo modo sic, Ea pietas tua est. Secũdo sic, Eius pietatis es, sed hoc rarius. Tertio sic, Ea pietate es. Ea pro Tanta accipitur. Ideoq; & ipso Tanta uti licet eodem modo, quo & pronomine. habet autem aliquid plus talis oratio. quàm si dicas: Pro tua pietate.

De uerbis ad finem operis pertinentibus. Cap. LXXXV.

HAbes quæ sentiam Brute de ratione dicendi. Hæc habui de amicicia quæ dicerẽ. Hæc sunt quæ putaui dicenda hoc tempore. Sunt uerba Ciceronis ad extremũ materiæ à se tractatæ, quibus & cæteri authores uti solent, ut Quintilianus: Habes Marcelle Victori, quibus præcepta dicendi adiuuari per nos posse uidebantur. Et iterum: Nihil habui amplius, quod in unuersum præciperẽ. Et iterũ: Hæc ferè sunt emendatè loquendi scribendiq; partes.

In fine 12.

De nominibus quibusdam in io. Cap. LXXXVI.

VEni in opinionẽ, actiuè accipitur, quòd talem opinionem habeo: aliquando etiam passiue, cùm opinio significat famam, opinio inquam, quæ de me habetur

betur ab alijs, non quam ipse habeo de aliquo. Sicut existimatio est opinio atq; sententia, cũ accipitur actiuè, ut Existimatio mea, id est, ita existimo. Aliquando passiuè, ut Homo magnæ existimationis, id est, famæ, & nominis, quòd eum homines magni existimant: ita homo magnæ opinionis: ut Quintil. Quod accidisse etiam Portio Latroni, qui primus clari nominis professor fuit, traditur, ut cùm ei summam in scholis opinionem obtinenti, caussa in foro esset oranda, impensè petierit, uti subsellia in Basilicam transferrẽtur. Cic. Sermonibus familiarium peruenimus etiam nos in opinionem. Venio in suspicionem, semper passiuè, ut idem: Quòd si falsò. P. Sextio uenisses in suspicionẽ, id est, in suspicionem tui, non tuam. Veni in obliuionem, semper etiam passiuè, ut idem: Vt si fuerint excellentes uiri, certè iam uenerint in obliuionem, id est, quòd cæteri de illis obliti sint, non quòd illi de alijs, aut de se. Similiter Venio in uituperationem. Idem quarto Verrinarum, Vt propter eum in sermonem hominum, atque in tantam uituperationem ueniret. Offensio etiam propè semper passiuè accipitur. Ideo que idem non Clodij offensiones dixit, sed offensas, suas uerò offensiones. Et alibi: In ægro corpore odiosa est omnis offensio, id est, molesta omnis passio. Vectatio quoque huic simile est. cuius rei caussa est, quòd Vector, quum deberet significare quod uehit, ut nauis, equus, uehiculum, significat potiùs id quod uehitur, qui est homo. Cicer. Etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus à minoribus uectoribus admoneri solent. Quintilian. Sic in nauim filij mei malè permutatus uector imponor. Non tamen Vectorem accipias pro nauta. Hinc est q; inuenimus nõnunquam dictũ Nautas

Existimatio.

Vectatio

Vector.

& Vectores. Sunt enim uectores qui precio in alienā naui uehuntur. Idem Quintil. Cur infrenatis equis uector insidet? Nonnunquam pro eo qui uehit, ut Seneca in Hercule insano: Tyriæ per undas uector Europa nitet. Idem in Hippolyto: Pro sua uector timidus rapina: cùm de eodem tauro, eademq; Europa loqueretur. Nam cætera ferè, quæ supinis ueniunt, tam actiuè quàm passiuè accipi solent: ut accusatio Marci Tullij, actiuè: accusatio Verris, passiuè: donatio mariti, actiuè: donatio, uerò bonorum, passiuè, &c.

Du Benè & Malè cum uerbis.

Cap. LXXXVII.

Malè iudico, malè censeo, malè pronuncio, malè opinor, malè sentio, malè existimo, hoc malè ad meipsum refertur, errorēq; meū declarat. Malè cogito, ad alterum refertur, significatq; perniciem, non errorem, ut Cicero: Carthaginem diu malè cogitantem, non priùs timere desinā, quàm excisam cognouero: malè cogitantem, uidelicet mala in alterum perniciemq; cogitantem, non autē seipsam fallentem. Item, Maledico tibi, malè opto, malè precor tibi, malè imprecor. His nonnihil similia sunt, Malè de te sentio, male tu de me existimas, malè de illo iudicamus. Non error hîc sentientis, existimantis, iudicātis innuitur, sed uicium de quo iudicamus, existimamus, sentimus. Malè quoq; audio, id est, infamor crimina mea audiens: cuius contrarium est Maledico. Sallust. in Ciceronem: Respondebo tibi, ut si quam maledicendo uoluptatem cepisti, eam malè audiendo amittas. Benè quoque maxima ex parte huic simile est, ut, De te benè sentio, benè tibi precor, bene de te mereor.

De loco patris, & In locum patris, & similibus.

Cap.

Cap. LXXXIII.

Loco patris, loco fratris, loco filij te habeo, non ita accipitur, quòd ubi illi antea erāt, ibi tu nunc apud me sis: sed quòd in ea charitate, quæ illi aut fuerunt, aut sunt, aut essent, aut esse debent: ut Chrysis Pamphilo apud Terentium loquitur: Si te in germani fratris dilexi loco. Cicer. in Verrem: In parentum loco quæstoribus suis prætores esse oportere. Illa autem sententia In locum potiùs quàm In loco requirit tale aliquod uerbum, quale est apud Quintilianum: Nam quomodò pugnam ineuntibus tot simul metus laboris, doloris, postremò mortis ipsius excideret, nisi in eorum locum pietas, & fortitudo, & bonestus præsens imago successerit? & alibi: Non perdidit filium, quisquis occîdit, explicat à dolore patrē, quòd sibi uidetur fecisse rem maximam, & iuuenis in locum amissi substituit de uanitate solatium. Ergo ita dicitur, ubi aliud erat, aliud successit, quæ diuersa à superiori sententia est. Loco uoluptatis mihi est, loco turpitudinis, loco honoris, id est, uoluptuosum, turpe, honorificum. Illud autem hac in parte competit, ut dicamus, non recordari me an usquam repererim genus illud sermonis, quo ecclesiastici passim utuntur: Ego habeo te in patrē, tu es mihi in filium, accipio te in fratrem. Dicunt enim ueteres, Habeo te loco patris, tu es mihi loco filij, Accipio te loco fratris: uel, Habeo te pro patre, tu es mihi pro filio, accipio te pro fratre, & nōnullis alijs modis. Atq; hîc uidetur aliquid non utiq; tale esse, sed perinde esse, ac si tale foret. Ideoq; expositiones nostræ locū habent, ubi tale aliquid non est, ut dixi, sed pro tali habetur, ut in illo, Ex illa horā accepit eam discipulus in suam: quod liceret dicere,

In loco.

In locum.

Accepit eam loco matris, uel pro matre, siue pro sua: non autem ita in illo, quod pro uiro accipi debet: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Licuisset ergo dicere, id est, dixisset ueteres, Ego ero illi pater ipse erit mihi filius, sed more Græcorũ, unde hæc sumpta sunt, nostris ecclesiasticis ita loqui placuit. Idem ueteres, qui illo modo locuti non sunt, sic tamen loquebãtur, Reuertor in patrem tibi, redij in amicum: sed hîc uerbum est significans motum. Quintilianus: Et post exitum unici reuertor in patrem. Curtius tamen lib. 5. Igitur rex, arci Babyloniæ Agathicen in præsidem esse iussit.

De uerbis ad authoritatem pertinentibus.
Cap. LXXXIX.

More maiorum comparatum est, legibus ita comparatum est, legibus ita constitutum est, ita natura comparatũ est, ita natura cõstitutũ est, ita natura præscriptũ. Hoc noctis ipsa natura præscribit, nobis natura datũ est, ut periclitãtes alleuemus. Hoc ratio ipsa præscribit, ita uidetur ratio dictare.

De Nihil ad te, & Quid ad te. Cap. XC.

Addidit etiam illud, Equites non optimos nisisse credo Cæsar, sed nihil ad tuũ equitatum, id est, nihil ad comparationẽ tui equitatus. Idem Cic. Persium uolo legere, hic fuit enim (ut noramus) omnium ferè nostrorum doctissimus. Lælium Decimum uolo legere, quem cognouimus uirum bonum, & non illiteratum, sed nihil ad Persium, id est, nihil ad Persij comparationẽ. Quale est cùm subintelligitur Pertinet: ut, Hoc quid ad te, hoc nihil ad te, supple Pertinet, uel potius Parùm est, ut sit in cõparatione Persij parùm doctus, & in cõparatione tui equitatus sint parùm boni equites. Terentius: Est 'ne Thais, ut fertur, forma? sanè. at nihil ad nostram hanc: nõ planè nihil, sed parùm potius accipiendum est.

Lib. 2. de oratore.

In Eunu.

De communione gerundij & nominis.
Cap. XCI.

Inter agendum inter actionem, in agẽdo, inter cœnandum, inter cœnam, in cœna. super cœnam, inter consulendum siue consultandum, inter consilia siue consultationes, in consulendo siue consultando.

Et appellant te homines sapientem.
Cap. XCII.

Et appellant te homines sapientẽ, & existimant te malum esse, & dicunt, & sentiunt: illum & putant probum & loquuntur, hi & habentur mali & appellantur. Diligentia honores & gignit & continet. Studio literæ & parantur & conseruantur.

Geminatio cõiunctionis &c.

De Memoria & Memoriter, cum alijs uerbis. Cap. XCIII.

Memoria teneo, non memoriter: Pronuncio memoriter, nõ memoria. Cicero, Memoria teneo bello Marsico cum Quinto Octauio. Idem: Quintus Mutius Augur Scæuola multa narrare de C. Lælio socero suo memoriter & iucundè solebat. Complector tamẽ memoria & memoriter. Repeto memoria & memoriter. Quintil. Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediscere: Cic. Complectebatur memoriter, diuidebat acutè. Quinti. Memoria repeto cõuictos à me, qui præbẽdere erãt ausi, q. hoc uerbo Pepigi usus essem. Terẽt. An cognoscit signa? ac memoriter. Aliud ta-

mẽ est ille ablatiuus, q̃ illud aduerbiũ. Memoria enim quid significat apparet: Memoriter uerò est, quod literatores nostri imperiti dicunt Cordetenus, mentetenus: apud Plinium tamen ad Romanum lego, Tu facilimè iudicabis, qui tam memoriter tenes, ut cũ hac cõferre possis. Si rectè sic scriptum est, rectè sic dici iudicabo.

De Facio tibi iniuriam, & Afficio te iniuria. Cap. XCIIII.

FAcio tibi iniuriam, & facio tibi contumeliam: affficio te iniuria, & afficio te contumelia. Facio tibi molestiam, non ita libenter dixerim, ut Afficio te molestia.

THEOD. Facio tibi contumeliam.) Ita latinè non dici, putat Cicero. Siquidem M. Antonium ita locutum carpit in Philipp. tertia, his uerbis: Quid est porrò Facere contumeliam? Quis hic loquitur? Non'ne satius est mutũ esse, quàm quod nemo intelligat, dicere? Id quod adnotauit & Quintil. lib. 9. cap. 3. Idem tamẽ Quintil. in ægro redempto sic ait: Non faciã hanc contumeliam rerum naturæ, non faciã lẽgi. Plaut. in Asin. Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur? M. Cato apud Gellium lib. 10. cap. 14. Atq; euenit ita Quirites, uti in hac contumelia, quæ mihi per huiusce petulantiam factum itur.

De uerbo Impono. Cap. XCV.

IMpono tibi hoc oneris, notum est quid significet, Impono tibi, idem quod Decipio te. Quintil. Quid quòd hoc ipsum tam placidè, tam quietè facit, quasi captet imponere? Et alibi: Fefellit te ingenitus honestis animis gloriæ amor, spes tibi perpetuæ laudis imposuit. Vndè impostores dicuntur, qui alios uerbis magnæ pollicentibus, incantationibusq; seducunt ac decipiunt. Paulus: Item aleatores & uinarios non contineri edicto, quosdã respondisse, Pomponius ait: quemadmodùm nec gulosos, nec impostores, aut mendaces, aut litigiosos. Vlpianus: Non tamen si incantabit, si imprecatus est, si (ut uulgari uerbo impostoris utar) exorcizauit, non sunt ista medicinæ genera, tametsi sint qui hoc sibi profuisse cum prædicatione affirment.

De uerbo Spectat. Cap. XCVI.

AD me spectat, id est, ad me pertinet. Ad mortem spectat, id est, ad mortem quasi respiciendo tendit. Cicero officiorum libro tertio: Ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris. Quintilianus in paupere amatore: Et quod ad pessimum spectat euentum, miserabilis sis oportet, ut amator esse uidearis.

TERTII LIBRI FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN QVARTUM librum elegantiarum præfatio.

SCIO ego nõnullos, eorum præsertim, qui sibi sanctiores & religiosiores uidẽtur, ausuros meum institutum hoc laboremq; reprehendere, ut indignum Christiano homine, ubi adhortor cæteros ad librorũ secularium lectionem. Quorum quòd studiosior esset Hieronymus, cæsum se

flagellis ad tribunal Dei fuisse confitetur, accusatumq; q. Ciceronianus foret, non Christianus: quasi non posset fidelis esse & idem Tullianus. Eoq; spopondisset, & id diris execrationibus, libros seculares posteà se non esse lecturum. Hoc crimen non magis ad præsens opus pertinet, quàm ad meipsum, ac cæteros literatos, quorum studium ac doctrina literarum secularium repræhẽditur. Respondeamus igitur istorũ accusationi, eosq; uicissim, & quidẽ in præteritũ quoq; accusemus, quorum culpa non ex minima parte Latinæ literæ iacturam naufragiumq; fecerunt. Quid? ais tu non esse legendos (authore Hieronymo) seculares libros? Qui sunt isti quæso libri? omnes' ne oratores, omnes historici, omnes poëtæ, omnes philosophi, omnes iurisc̃onsulti, cæteriq; scriptores? an unus Cicero? Si illos dicis, ut debes dicere, cur nõ cæterarum quoq; literarum studiosi abs te repræhẽduntur, cum quibus me aut damnare debes, aut absoluere? Sin ita non sentis, & solum Ciceronem reum facis, uide ne stultum Hieronymum uideri uelis, qui neminem secularium promisit se lecturum, cùm de Cicerone tantum promittere deberet. At non quid ille promiserit, inquis, est intuendum, sed quid accusatus sit. Fuit autem accusatus quòd esset Ciceronianus. Ita ne? missum ergo faciamus Ciceronem, relinquamus, abijciamus. Quid de alijs authoribus senties? Quid de tot disciplinis? certè omnes seculares sunt, atq; adeò gentiles, id est, nõ à Christianis, nec de Christiana religione cõscriptæ. Si legendas ais, tibijpsi repugnabis, qui mihi harum obijcis lectionẽ. Siu negas, etiam atq; etiam considera ne secularium disciplinarũ familiæ in te impetum faciant, teq; omnes (nemine auxilio ferente) discerpant.

Minimè, inquis, ita est. Sed cum Hieronymus quod Ciceronianus est, repræhenditur, id repræhenditur, quod studiosius eloquentiæ esset. Ideoq; damnati & repulsi intelliguntur, qui comparandæ eloquentiæ gratia lectitantur. Iam uideo times inuidiam, sed serò times, & in eodem hæsitas luto, si tantùm eloquẽtes exeludis. Cur modò in uniuersum mihi uetabas (ut sæpè facere soles) legendos secularium libros? At posteà accusationẽ temperasti, & de eloquentibus duntaxat intelligis. Ita sit. Errueris sanè, do ueniam imperitiæ, parco cupiditati feriẽdi, licèt lacessitus: cur tamẽ ab Hieronymo dissides, qui seculares, non autem eloquentes, se tangere promisit? Cur tu neq; cum iudice illo unum Ciceronem intelligis, neq; cum Hieronymo uniuersos seculares: Quid sibi uult ista anceps uacillansq; sententia? quanquam (dij boni) nihil'ne in illis libris, nisi eloquẽtia est? non memoria temporum, gentiumq; historiæ, sine quibus nemo non puer est? nõ multa ad mores pertinentia? non omnium disciplinarũ tractatio? Nunquid hæc omnia negligam, ne fortè dum talia discere uolo, eloquentiam discam, & uenenum bibam hoc uino dilutum, malimq; aquam, & quidẽ cœnosam, potare, q̃ cũ hoc timore falerna dulcissima? Porrò qui nam sunt isti libri, in quibus uenena eloquẽtiæ occultantur? Certò ego nullos scio non eloquentes, nisi tuos tuorumq; similiũ, quibus nec robur ullũ adest, nec splendor: contraq; cæterorũ opera pro sua unumquodq; portione mirã quandã præ se ferũt benedicẽdi elegantiã. Ita aut eloquẽtes, aut nulli libri legẽdi erũt. An ex his duobus, de q̃bus Hieronymus meminit, aut ille Græcus infacundus fuit, aut noster Latinus ullè dũtaxat Latinorũ in Philosophia secũdus: quorum

uterq;

uterq; nescias præstãtior sit Philosophus, an orator. Quòd si omnes libri ueterum ita sunt eloquentes, ut uel plurimùm sapientiæ: ita tradentes sapientiam, ut uel plurimùm eloquentiæ habeant: qui nam isti erunt, quos ob eloquentiam damnandos putemus? atq; quum eos duos lectitasse se Hieronymus fateatur, uide ne nõ tam de oratorijs Ciceronis operibus, quàm de philosophicis dictum existimare debeas. Ego certè de philosophicis dictum accipio, ubi soli philosophi nominãtur, quodq; Platonicus esset, nõ ideo non obiectum, quasi sanctè faceret Platonem legens, sed tantùm Ciceronianus, q; homo Latinus magis Ciceronis stilum cupiebat exprimere: stilum inquã, quali ille utebatur in quæstionibus philosophiæ, non quali in forensibus cauſsis, cõcionibus ue, aut in senatu. Non enim orator caussarum ciuilium Hieronymus, sed scriptor sanctarum disputationum studebat euadere. Cur non ergo credamus, non minùs Platonem nocuisse ei, quàm Ciceronem? cur non magis philosophos, quàm oratores? At ornatus ipse dicendi reprehensus est, non sententia. Si ita est, omnes ad unum reprehenduntur. quis enim caret ornatu? In quo tu intolerabili calumnia uteris: quum non sit facta mentio de ornatu in illa accusatione, sed quòd tãtùm Ciceronianus esset. Nunquid tantùm in Cicerone ornatus, non ne & philosophia: non cæteræ artes? non (ut dixi) in Platone facundia: non in cæteris? cur nõ omnes pariter exterminamus? cur non potiùs Ciceronis Philosophia nocuisse putanda Hieronymo est, quàm ars dicẽdi? Nolo hoc in loco comparationẽ facere inter philosophiam & eloquentiam, utra magis obesse posit, de quo multi dixerunt, ostendentes, philosophiam, cum religione Christiana uix

uix cohærere, omnesq; hæreses ex philosophiæ fontibus profluxisse. Rhetoricam uerò nihil habere nisi laudabile, ut inuenias, ut disponas, quasi ossa et neruos orationi des, ut ornes, hoc est, ut carnem coloremq; inducas, postremò, ut memoriæ mandes, decenterq; pronuncies, hoc est, ut illi spiritum actionemq; tribuas. Hæc ego cuiquam nocere posse credam? nisi ei, qui cætera negligat, & præsertim ueram sapientiam atq; uirtutes, quod Hieronymus non faciebat. Hanc ego artem obfuturam putem? profectò non magis quàm pingendi, fingendi, cælandi, & (ut de liberalibus dicam) quàm musices artem. Et si ex his qui benè canunt, benè pingunt, benè fingunt, cæterisq; artibus multum usus atq; ornamẽti diuinis accedit rebus, ut propè ad banc rem natæ esse uideantur: profectò multò plus accedet ex eloquentibus. Quarè non fuit illa accusatio, quòd Ciceronianus esset Hieronymus: sed quòd non Christianus, qualem se falsò esse prædicauerat, cùm literas sacras despiceret, non studium huius artis, sed nimium studiũ, siue huius artis, siue alterius, ita ut locus melioribus non relinquatur, reprehensus: non caeteri, sed solus Hieronymus accusatus est, alioqui cæteri simili castigatione correpti fuissent. Neque enim una omnibus medicina conuenit, & alios aliud decet: neq; semper & ubiq; idẽ aut permittitur, aut uetatur: neq; ille hoc alijs uetare ausus est, ne facerent: cõtraq; plurimos laudauit, tum superiorum, tum suorum temporum eloquentes. Verùm quid multis agimus? Quid Hieronymo ipso eloquentius? quid magis oratorium? quid (licèt ille sæpè dissimulare uelit) benè dicendi solicitius, studiosius, obseruantius? Quid quôd ne dissimulat quidem (nam obijciente sibi hoc omnium

Ruffino

Ruffino, hominẽ deridet) planeq; fatetur se lectitare opera gẽtilium, & lectitare debere? Idq; cum in alijs multis locis (quanq; etiam sine confessione palam est) tum uerò epistola illa ad Magnum oratorem. I nunc & uerere ne aliena accusatio tibi obsit, quum illi non obfuerit sua: & non audeas facere, quod ille rescissa pactione facere non timuit: tametsi non desunt qui credant eum puerili ætate illa percepisse, semperq; postea memoria tenuisse. O ridiculos homines, & omnis doctrinæ imperitos, qui opinentur eum tantã rerum copiam ac scientiam, qua nulli Christianorũ cedit, aut tam citò potuisse discere, aut tamdiu nõ potuisse dediscere, quum & rarissimi reperiãtur qui centesimã partem scientiæ illius assequi possint, & nõ minore labore (ut antiquitus dictum est) hæc facultas retineatur, q̃ paretur. Et tamen quãtulum interest inter furari & furtum non reddere? Quid prodest, alijs furtum prohibere, ne furentur, si tu furto tuo palàm potiris? Si non debemus discere eloquẽtiã, nec uti certè, si didicimus. Quid quòd libros gentilium sæpe in testimonium assumit? quos si non licet legere, minùs profectò legendos exhibere: & si nos dehortaretur à lectione gentilium, quod nõ facit, magis intuendũ putarem quid ipse ageret, q̃ quid agendum alijs diceret: ueruntamẽ semper ipse idẽ dixit & fecit. Nam postq; tenerã illã ætatem saluberrimo sacrarum scripturarũ alimento pauit, ac in ea, quam despectam habuerat, scientia sibi ures fecit, iamq; extra periculum positus esset, ad lectionẽ gẽtilium redit, siue ut illinc eloquẽtiã mutuaretur, siue ut illorum benè dicta probans, malè dicta reprehenderet: quod cæteri omnes Latini Græciq; fecerunt, Hilarius Ambrosius, Augustinus, Lactantius

Lactantius, Basilius, Gregorius, Chrysostomus. alijq; plurimi, qui in omni ætate pretiosas illas diuini eloquij gemmas, auro argentoq; eloquentiæ uestierunt: neque alteram propter alteram reliquerunt. Ac mea quidem sententia, si quis ad scribendum in theologia accedat, parui rẽfert an aliquam aliam facultatem adferat, an non. nihil enim ferè cætera conferunt. At qui ignarus eloquentiæ est, hunc indignum prorsus, qui de theologia loquatur, existimo. Et certè soli eloquentes, quales ij quos enumeraui, columnæ ecclesiæ sunt, etiam ut ab apostolis usque repetas, inter quos mihi Paulus nulla alia re eminere, quàm eloquentia, uidetur. Vides igitur ut in contrarium res ipsa recidit: non modò non reprehendendum esse studere eloquentiæ, uerumetiam reprehendendum, non studere. Et ego sic ago, tanquam eloquentiæ contra calumniantes patrocinium præstem, quod est maius proposito meo. Non enim de hac, sed de elegantia linguæ Latinæ scribimus, ex qua tamen gradus fit ad ipsam eloquentiam. Verùm si quis eloquens non sit, ita demum non erit castigandus, si talis non potuit euadere, non si hunc laborem effugit. Qui uerò eleganter loqui nescit, & cogitationes suas literis mandat, in theologia præsertim, impudentissimus est, & si id consultò facere se ait, insanissimus, quanquàm nemo est qui nolit eleganter & facundè dicere: quod cùm ipsis non contingit, uideri uolunt (ut sunt peruersi) nolle, aut certè non debere sic dicere. Ideoq; aiunt, gentiles hoc modo locutos esse, nõ decere eodem loqui Christianos, quasi illi, quos nominaui, more istorũ locuti sint, & non more Ciceronis, cæterorũq; gentiliũ, qui quali ter loquãtur, nec cognitũ isti, nec expertũ habẽt: non

Paulus elo quẽtiã affectauit.

lingua

lingua gentilium, non Grammatica, non Rhetorica, non Dialectica, cæteræq; artes damnandæ sunt (siquidem Apostoli lingua Græca scripserunt) sed dogmata, sed religiones, sed falsæ opiniones de actione uirtutum, per quas in cœlum scandimus. Cæteræ autem scientiæ atq; artes in medio sunt positæ, quibus & benè uti poßis, & malè. Quapropter conemur obsecro eô peruenire: aut saltêm proximê, quò luminaria illa nostræ religionis peruenerunt. Vides quàm mirabili ornamento uestes Aaron distinguantur, quàm arca fœderis, q̃ templum Salomonis per hoc mihi significari eloquentia uidetur, quæ (ut ait nobilis Tragicus) regina rerum est, & perfecta sapiẽtia. Itaq; alij ornant domos priuatas: hi sunt, qui student Iuri ciuili, canonico, Medicinæ, philosophiæ, nihil ad rem diuinam conferentes, Nos ornemus domum dei, ut in eam ingredientes non ex situ ad contemptum, sed ex maiestate loci ad religionem concitentur. Non possum me continere, quô minùs quod sentio dicam. Veteres illi Theologi uidentur mihi uelut apes quædã in longinqua etiam pascua uolitantes, dulcißima mella, cærasq; miro artificio condidisse: recentes uerò formicis similimi, quæ ex proximo sublata furto grana in latibulis suis abscondunt. At ego (quod ad me attinet) non modò malim apes, quàm formica esse, sed etiam sub rêge apum militare, quàm formicarum exercitum ducere. Quæ probatum iri bonæ mentis iuuenibus (nam senes desperandi sunt) confidimus. Nunc ad inceptũ redeo. quanquàm quæ sequuntur, à superioribus nonnihil differant. Tractabimus enim de uerborum significatione, neq; de omnibus uocabulis, sed quasi gustum quendam, & eorum maximè, quæ ab alijs tractata non sunt.

Euripedes in Hecuba.

nam

nam de omnibus dicere, propè infinitum est,

De Libertinus & Libertus. Cap. I.

Libertinus & libertus sola elegantiæ gratia habent differentiam, quam nec Grammatici, nec iurisperiti (quod maximè pudendum est) sciunt, quam ne eorum quidem aliquem, qui his temporibus merita benè scribendi laude celebrantur, inuêni scientem. quod nolim uideri contumeliosè dictum, sed necessariò potiùs atq; honestè. Vereor enim ne per facilitatem, qua semper candidè quæcunq; studio inuestigassem, cũ amicis communicaui, amici ipsi (si modò tales amici dicendi sunt) laudem mihi præripiant: quod crimen longè à me semper abfuit. Et ex omnibus, quæ in hoc opere præcipimus, profiteor nihil omnino ex aliquo huius ætatis uel audiuisse, uel legisse. Itaq; sic mihi meam ab alijs gloriam præripi molestè fero, ut * illorum à me præripi nefas puto. Nemo autem literatorũ erit, quorum paucißimi mihi familiares non sunt, qui se hoc anteà ignorasse, & à me uel uerbo uel scriptis didicisse neget. Igitur libertinus relatiuum est ingenui: libertus relatiuum est patroni: Licèt unum idemq; sit & libertinus & libertus. Per libertinum significamus conditionẽ hominis, sicut per ingenuum. Per libertum significamus priuatum quendam respectum, sicut per patronum. Ideoq; libertinus adiectiuum est, sicut ingenuus, eoq; non fit à Libertina Libertinabus, ut à Liberta Libertabus: Libertus substantiuũ sicut patronus. illudq; solemus diffinire, hoc non solemus, ut in Iure ciuili: Libertini sunt, qui iusta seruitute manumißi sunt. Quemadmodum econtrariò ingenui sunt, qui libera matre nati, nec posteà serui facti sunt. Significatur enim (ut dixi) conditio hominis per ingenuum &

Ita in omnibus exẽplarib⁹ legit, & ijs etiã manuscriptis. cæterꝝ Budęus in cõmentarijs Suã à me præripi legit, atque ita codicẽ quo ipse utit habere scriptũ: notatq; Laurẽtiũ ꝙ iuxta sua præcepta uiciũ incurrerit

V libertinum,

libertinum, ut Libertinus homo, libertina mulier, libertinæ conditionis: non autem libertus homo, liberta mulier, libertæ conditionis. Hæc enim priuatum quendam significant respectum, ad patronum patronamue relata, id est, ad eum eamue, qui anteà dominus, aut quæ domina huius fuit, cùm seruus ancillâue esset: ut, libertus Cæsaris, libertus Messalinæ, liberta Claudij, liberta Agrippæ: nõ autem libertinus Cæsaris, aut libertina. Ideoq; interrogamus, Hic ingenuus est an libertinus? non autem, An libertus: & cum respondetur est, Libertinus: interrogamus, Cuius libertus? non autem, Cuius libertinus? respõdeturq;, Est libertus meus, aut tuus, aut illius, aut Catonis, aut nullius. Atq; libertus sine patrono patronaue nõ est: libertinus esse potest, quanuis necesse est eum aliquãdo habuisse: quo factũ est, ut dicamus colliberti collibertæq; quemadmodũ conserui conseruæq;, q. ij plures sub umbra unius patroni sint, sicut illi sub imperio unius domini: nõ autẽ collibertini aut coingenui. ad nullã enim alteram priuatã personam plures horum referri possunt, nec alij ab alijs distinguuntur. Colliberti à collibertis diuisi sunt, ut mei à tuis, & conserui à conseruis, quemadmodùm concines mei à conciuibus tuis, qui alterius ciuitatis es, condiscipuli mei à tuis, commilitones mei à tuis qui sub alio uel præceptore uel duce es. Libertinis uerò atq; ingenuis hoc nõ contingit, quum non magis nexus mihi sit cum ingenuis meæ urbis, & tibi cũ libertinis tuæ urbis, quàm cum alijs quibuslibet. Ideoq; non dicuntur coingenui & collibertini. Et libertus collibertusq; esse aliquando quis desinit, libertinus esse non desinit. Denicq;, licèt poteramus alterorum nominum esse contenti, tamen distinguere uetu-

Colliberti,

ribus placuit priuatum respectum à publico. Et ideò Libertinitas dicim⁹, nõ Libertitas, Ex seruo tamẽ nõ quod ad priuatũ dominũ refertur, fit seruitus, sed quod ad publicũ. Dicimus enim modò seruus tuus seruus meus: sed etiã sine respectu domini, ut hic seruus, & homo seruus, quod in libertus non fit. Cæterùm cogitãti mihi undè factũ sit, ut in tãta exẽplorum copia elegantiam hanc accuratissimè custodientium, tamen tot hominum milia nunquàm annotauerint, hoc existimo causse fuisse, quòd frequenter inuenirent sine mentione patroni libertum nominari: quo falli sopitæ negligentiæ fuit. Si enim nonnunquàm reperiebant liberto non apponi patronum, tamen reperiebant libertino nunquam apponi, quanquam semper adhæret liberto patronus uel nominatim, uel subintelligendo, ut in multis fit, quale est: Vendidi patrimoniũ, suppletur Meum: Collocasti filiam, suppletur tuam: Placuit opus, suppletur suum. Ita hoc loco, quale est apud Quintilian. Licet nihilò minùs amicum grauem uirum, aut fidelem libertum lateri filij sui adiungere, uidelicet suum. Cicero pro Sextio, cùm ait: Quemtum fratrem auxilio seruorumi libertorumq; ereptum à ferro Clodianorum, non genus seruile libertinumq;, nec cuiuscunq; seruos libertosq; significat, sed suos ipsius. Quid attinet plura ex Iure ciuili exempla repetere, quum etiam sint distincti tituli de Libertis & libertinis? Quam differentiam qui ignorat (omnes autem legulei ignorant) plurima & capitalia in ipso iure ciuili peccata committit. Seruius Crammaticus (si codex est fidelis) pro libertino posuit libertum, in Octauo Aeneid. Feronia mater Nympha Campaniæ, quam etiam supra diximus. Hæc etiam liber-

Libertinẽ tas.

Li. 1. cã. 3.

torum Dea est, in cuius tẽplo raso capite pileum accipiebant. Adijciam quod ait Suetonius in uita Claudij, in ipsum Claudium: Ignarus temporibus Appij deinceps aliquandiu libertinos dictos nõ ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.

Inter Accessus & Acceßio, Actus & Actio, Gestus & Gestio, quid interſit. Cap. II.

ACcessus & Acceßio differunt. Siquidem accessus est additio siue appropinquatio: Acceſsio autem adiectio atq; incrementum, quæ differentia rara est in consimilibus nominibus. Satus enim & satio idem sunt, cultus & cultio, motus & motio, actus & actio: nisi quòd dicimus actionem caussarum, non actum: & actum comœdiarum, non actionem, cursus & cursio, abusus & abusio. Gestus quoq; & gestio nõ parùm differunt. Nam gestus est actio quædam & quasi pronunciatio corporis. Gestio uerò est administratio & actio, quãuis parũ in usu est. Hæc autem duo, de quibus dicere institueram, ideò differũt, q̃ uerbum undè descendunt, dupliciter & regit & significat, ut, Accede ad ignem hunc, id est, adi atq; appropinqua. &, Hoc calamitatibus meis pondus accesſit, uel, ad calamitates meas, id est, adiũctum est & increuit. A prima significatione nascitur accessus, cuius contrarium est recessus: A secundæ acceßio, ut Cicero: Acceßionem aduunxit ædibus, id est, adiectionem & incremẽtum. Præter usum tamen superiorũ, Macrobius in commentarijs naturalibus dixit: Aut enim acceßio, aut in leuam dextrámue reflexio, aut sursum quis aut deorsum mouetur, aut in orbem rotatur. Et iterum: Has Solis portas Physici uocauerunt, quia in utraq; obuiante solstitio ulteriùs solis inhibetur acceßio

ceßio. Accessus ipse dixissem potiùs, Ciceronem imitatus, qui 3. de Oratore li. ita ait: Vt Luna acceßu et receſſu suo Solis lumen accipiat. Nam quòd febris accessio sæpe legitur, ego pro incremẽto accipio, non pro accessu: alioquin, aliquando legeremus Accessus, sed idem esset, quod nunquam fit. Plin. lib. 23. Sed id dandum non nisi in acceßione senserit, alij in remißione, illi ut sudorem coërceant, hi quia tutiùs putant. Acceſsionem, remißionemq;, pro cõtrarijs posuit: & si remissio imminutionem significat, profectò acceßio significat incrementum. Quia dixi, Nomina in us & in io à supinis profecta, ferè eiusdem significationis esse: hoc exceptionis addo, quòd ea quæ positionẽ habent in io, latiùs significare solent, nec actionem modò, sed rem etiam ac corpus: ut, aratio, posſeßio, seßio. Cicero in Philippicis: Hæ quondam arationes, Campani, & Leontini agri populi Romani patrimonio glãdiferæ, & fructuosæ ferebantur, id est, ij agri ad arandum idonei. Idem in eisdem: Quid posſeßiones datas, quid ereptas proferam? Idem de oratore: Tot locis seßiones gymnasiorum, id est, tot sedilia. Ea tamen quæ sunt in us, pro personis accipi solent. Conuentus non est conuentio, sed homines qui unum in locum cõuenerunt Conseſſus nõ est conseßio, sed homines in uno loco considentes. Nomina in io. Conuẽtus Conseſſus

Nisi quòd dicimus actionem caussarum.) Actus rerum, pro caussarũ actione, frequẽter usurpatur à Tranquillo: ut in Augusto, Triginta ampliùs dies, qui honorarijs ludis occupantur, actui rerum accommodauit. In Claudio: Quum decurias rerum actu expungeret. THEOD.

Obseruatio & Obseruantia. Cap. III. Obseruo.

OBseruatio & obseruantia simili quodam modo, ut accessus & acceßio, differunt. Obseruo

nanq; duo significat: unum est quod Custodio aliquid oculis animoq;, in modũ speculatoris, ne nos silẽtio taciteq; prætereat, ut, Obserua trãseũtes, obserua filiũ, obserua Dauũ qd agat, qd loquatur, quasi custodi & annota. Et hinc obseruatio, quasi annotatio & animaduersio. Item Obseruo nõ speculantis modo, sed admirantis uenerantisq;, & id tantum in homines, non in res, quoties quem uel uirtute uel dignitate suspicimus & colimus. unde fit obseruantia, quæ est uenerationis quædam & honoris exhibitio. Quare meliùs obseruationem, quàm obseruantiam, hi qui nominantur fratres, suum institutum nominarent.

Obseruatio.

Obseruantia.

Fratres de obseruantia.

Potus & Potio. Cap. IIII.

POtus & Potio non differunt, nisi ob huiusmodi causſam. Potus enim uini, aquæ, similiumq; dicitur. Potio uerò à medicis datur ægrotanti, quod Græcè dicitur φάρμακον. Nonnunquam tamen potio pro Potus accipitur. Seneca de tranquillitate: Aliquando uectatio iterq; & mutata regio, uigorem dabunt, cõuictusq;, & liberalior potio. Cicero in Tusculanis: Quid quòd ne mente quidem rectè uti possumus, multo cibo & potione repleti? Et alibi: Tantum cibi & potionis adhibendum, uel reficiantur uires, non opprimantur.

In Cato. Maiore.

Senes, Veteres, & Antiqui. Cap. V.

SEnes uocantur, quantum ad priuatam ipsorum ſuitam, quod usq; ad senilem ætatem uixerunt. Veteres, quantum ad publicum tempus, qnod alia ætate uixerunt, etiam si ad senium non peruenerunt. Vndè quidem iuniores fuerunt seniores ueteribus. Antiqui utriq; dicuntur, sed magis ueteres quàm senes.

Defectus,

Defectus, Culpa, & Defectio. Cap. VI.

DEfectu medicorum multi perierunt: plures tamen culpa medicorum. Is nanq; defectu medici perit, cui medicus præstò non est. Culpa uerò medici, qui moriturus nõ erat, nisi præstò sibi medicus fuisset, quam maiorem partem esse arbitror. Hoc ideo dixi, quòd nõnulli pro culpa medicorum aiunt defectum: & uicia hominum rerumq; uocant defectus: quum dicere deberẽt uicia, uel culpas, uel mẽdas, ut, Menda libri. Defectio plurimùm à defectu dissentit, quum sit recessio, aut militum, aut ciuitatis à domino, uel à superiore. Est enim Deficere, desistere, & à ductu alterius recedere, & quasi rebellare: & Defectio quasi rebellio: quæ exempla passim reperiuntur.

Deficere

Defectio plurimùm à defectu diſſ.) Contrà Curtius defectionem & defectum eodem sensu dixit: ut lib. 7. Hic régi statiua habenti nunciatur ex Græcia, Peloponensium Laconumq; defectio. Paulò pòst: Rex his quidem lætus, de Spartanis haud quaquàm securus, magno tamen animo defectum eorum tulit. THEOD.

Rumor & Fama. Cap. VII.

RVmor & Fama idem sunt: quorum alterum latinum, alterum è Græco est. Cicero in Philippicis: Improbissimis rumoribus dissipatis. & non longè pòst: Hoc triduo uel quatriduo tristis à Mutina fama manarat. Et statim pòst: Famam istam fascium dissipauerunt. Significatur autem his duobus nominibus sermo quidam in populo sine certo authore de re aliqua recenti, siue bona, siue mala. Exemplum rumoris de re bona ponamus. Liui. lib. 2. Manat tota urbe rumor, Fabios ad cœlũ laudibus ferunt. Frequenter tamẽ fama etiã pro sermone nõ rei rectis, sed iam inueterata, & pro opinione quadã: ut Fama est Athe-

ΦΗΜΗ.

nas iam plus annorũ uiginti milibus fuisse cõditas. Et pro laude & pro celebritate hominis: ut, Fama Camilli, fama Scipionum, Metellorum, Fabiorum, et eorum quoq; qui uiuunt: ut, Fama mea, fama tua, fama illius, pro quo non rectè dixeris Rumor.

Murus, Paries, Mœnia, Porta & Ianua. Cap. VIII.

MVrus & Paries quid differant, superuacuũ erat admonere, nisi his temporibus (ut sunt omnia deprauata) murus pro paries à pluribus usurparetur: quãquàm apud Græcos eodẽ sono pronuncietur utrunque, distinctum tamen & literis & genere. Murus est urbis lapideus ambitus, qui Græcè dicitur τὸ τεῖχος. Paries uerò domorum, Græcè ὁ τοῖχος. Murus est etiam non urbis, sed urbis tamẽ similium, ut munitionum castrorumq;. Mœnia pro muris accipi solẽt, et pro ædificijs ipsius urbis. Porta murorum est, munitionumq; atq; castrorum Ianua parietis ac domorum.

Gesta & Acta. Cap. IX.

GEsta & Acta hoc differunt, quia illa sunt in administratione magistratus, & in rebus maioribus, & ad remp. uel ad plurimos spectantibus: ut, Gesta Alexandri, gesta Pompeij, gesta Cæsaris. Acta uerò etiam rerum priuatarum, & minorum ac familiarium, ut Cic. An in commentarijs & chirographis, ac libellis, se uno authore prolatis quidem, sed tantummodò dictis, acta Cæsaris firma erunt: quæ ille in æs incîdit, in quo populi iussa perpetuasq; lèges esse uoluit, pro nihilo habebũtur? Et quidẽ sic existimo, nihil tã esse in actis Cæsaris, quàm lèges Cæsaris. Quidam illud eiusdem ita legunt in Sallustium: Quòd

In Philip.

Quòd si de mea uita atq; actibus huic conuiciatori respondero, inuidia gloriam cõsequetur. Reor scribendum esse Actis. Quòd si scribi potest Actibus (ut est apud Lucanum: Licèt ingenteis abruperit actus) minùs miror cur Actus Apostolorum magis, quàm Acta dicamus. Idem tamen sunt Actus & Actiones.

Natalia, Natalis, & Natalitius. Cap. X.

NAtalia significãt quod Natalis, qui est dies natalitius, utrunq; conuersum in substãtiuum ab adiectiuo, hic & hæc natalis, et hoc natale, ut Natalis horæ tempus apud Quintil. in Gladiatore. Natales uerò magis conditionẽ sanguinis & familiæ, ut, Generosi natales, obscuri natales, ut idem Quintil. in eadẽ declamatione: Cuius interiecto mari nõ fortunã quisquã nosse, non natales, non patrẽ poterat. Plinius ad Mesium: Nonnunquàm candidatus, aut natales cõpetitoris, aut annos, aut etiã mores arguebat. Hîc pro ignobilitate accipitur, illic pro nobilitate.

Præcepta & Præceptiones pro eisdem accipi: Instituta & Institutiones differre.

Cap. XI.

PRæcepta & præceptiones indifferẽter utimur pro disciplina: Instituta & institutiones per differentiam. Instituta enim sunt Mores cõsilio & ratione sumpti. Nam mores bonos & malos dicimus, & in morem, id est, similitudinem, ut, In morem leonis, In morem stagni, placidæq; paludis, inquit Vergilius. Institutum autem bonus mos, ut, Faciam meo instituto: licèt Institutũ nonnunq; significet inceptũ propositũ, ab Instituo, quod est Incipio. Instituta uerò (ut instituerã dicere) boni mores sunt, cõsilio et ratiõe sumpti.

Instituta. Mos.

In morem

Plinius: Hæc sunt rerũ principia & institutæ naturæ.

Quintilianus: Nam is, quanuis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoq; iam formandam quàm optimis institutis mentem infantium iudicat. Cur autem non pertineat ad literas ætas, quæ ad mores iam pertinet? eandem rem appellãs instituta & mores. Apud Valerium Maximũ titulus est de institutis antiquis, quasi de moribus antiquis. Institutiones sunt præceptiones, quibus instituuntur & docentur homines: ut libri ab eodẽ Quintiliano ac Lactantio, multisq; aliis authoribus inscripti de institutione oratoria, siue alio nomine atque materia.

Fabius li. 1. cap. 2.

THEOD. Institutæ enim sunt mores cõsilio.) Potest hæc uox ad uitiosa quoque transferri. Cicero pro Cælio: Vita institutoq; meretricio. In Verrem act. 5. Tu quum tot decimas non Senatusconsulto, sed nouis edictis tuis, ne fariisq; institutis exigeres & eriperes &c. Idem hoc admonuit Doletus.

Aduocatus & Patronus. Cap. XII.

ADuocatus & Patronus sic differunt, quòd illud generalius est nomen, quàm hoc, ut non tantum significet eum, qui alterius caussam agit: siquidem quicũq; adest alteri in caussa officij gratia, aduocatus appellatur, etiã si nihil dicat neq; agat: sed qui tantũ paratus sit defendere. ut Terentius in Eunucho. Tu abi atq; ostium obsera intus, ego dum hinc transcurro ad forum, Volo ego hîc adesse nobis aduocatos in turba hac. Et Cicero, cũ in alijs multis locis, tum pro Cecinna: Qui ad possidendum prædium cõtulit se cum aduocatis, quorũ præsidio ab aduersarij iniuria tutus esset, qui & ipse uenit cum aduocatis suis, sed armatis ad arcẽdum Cecinnam à prædio. Patronus autem propriè est, qui agit caussam, sed accusati, nõ accusantis. Quintil. Quum accusatori satis sit plerunq; uerum

Act. 4. scena. 6.

esse id, quod obiecerit, patronus neget, defendat, trãsferat. Accusator præmeditata pleraq; domo affert, patronus ex inopinatis frequẽter occurrit. Accusator dat testem, patronus ex eo refellit. Ex quo colligitur, accusatorẽ nunq; patronum esse. Verùm, quoniam nõ omnis lis circa accusationem & defensionem criminũ uersatur, ut in mutuis, depositis, locato & conducto, similibusq; ea re tam actor q̃ defensor solet appellari patronus. quippè quum uterq; non alterius oppugnandæ, sed suæ defendendæ partis gratia dicat, ut idem: Nec immeritò quidem, quanq̃ in dicendo mediocres, hac tamẽ altercandi præstãtia meruerũt nomen patronorũ. Patronus etiã dicitur respectu liberti. & nescio an hic ab illo, an ille ab hoc nominatus sit: utrũq; tamẽ à patre uenit. Vterq; enim simile quiddã patris habet, et ut dominus manumissione seruũ liberat eum à misera cõditione, ita aduocatus hominẽ obnoxium, potestate iudicum, & periculo litis, opera sua liberat. Propter quod clientẽ uocamus ipsum litigatorẽ, cuius caussam agimus, & eum qui sectator est, & sub tutela alterius, & penè famulus, quales sunt liberti in patronos. Et Patrocinari, tam uerbo quàm facto imbecilliorem protegere. à quo fit patrocinium.

Patronus autem propriè est.) Patronus nõ semper est accusati, sed interdum (licèt rariùs, accusantis. De eaq; nimirùm accusatione, quæ à Sicilia in Verrem comparata est, & à Cicerone suscepta, sic ait ipse Cic. in Bruto: Cùm igitur essem in plurimis causis, & in principibus, patronis quinquẽnium uersatus: tum in patrocinio Siciliensi maximè in certamẽ uẽni, designatus ædilis cũ designato Cõsule Hortẽsio. Et hoc à Doleto annotatũ est. THEOD.

Faciẽs & Vultus. Cap. XIII.

FAciẽs magis ad corpus, Vultus magis ad animum refertur, atque uoluntatem, undè descendit.

dit. Nam Volo supinum habebat Vultum. indè dicimus irato & mœsto uultu potiùs, quàm facie: & contrà, lata aut longa facie, non uultu: à quo compositum est Superficies nõ sanè discrepans à suo simplici, ut, Facies maris, facies terræ, quasi superficies: & facies hominis, quasi primum illud quod intuemur in homine. Est tamẽ aliquãdo ubi utroq; uti liceat, ut, Fœdata facie & fœdato uultu, scissa facie, scisso uultu, conuersa facie, & conuerso uultu, quæ exẽpla sunt plurima.

Series & Ordo. Cap. XIIII.

SEries ab ordine in significatione differt. Nam Ordo est digestio, & in suo loco cuiusq; rei collocatio, uelut in acie fit, ubi pedites, ubi alæ equitum, ubi leuiter armati, ubi sagittarij, ubi fundibularij, ubi cæteri ex utilitate rei distribuuntur: & in argumentatione, ubi ponenda sunt firmissima argumenta, ubi infirmiora, ubi mediocria. Vndè in ciuitatibus, & Romæ præsertim, ordines sunt: Ordo cõsularis, prætorius, senatorius, equestris, adeò ut ordo quoq; pro ipsis hominibus accipiatur illius conditionis. Cicero, In hoc ordine, pro In Senatu, aut pro equitibus Romanis, frequentissimè dixit. Idem quodam loco ait: Qui apud omnes ordines esset gratiosus, id est, apud omnium ordinum homines. Series est rerum quædam continuata progressio, ut, In serie orationis, id est, in continuato contextu. Quintil. Quod non nisi in contextu orationis seriesq; contingit. Vergil.

Ductæq; ab origine gentis,
Fortia facta patrum, series longissima rerum.

Statius: Longa retrò series.

Decus, Decor, & Dedecus. Cap. XV.

DEcus est illa (ut sic dixerim) honorificentia ex benè gestis rebus. Vndè decora militiæ, laudes, honores, honestamenta militi in bello comparata: cuius cõtrarium est Dedecus, propriè ignominia quædam, aut ignominiæ genus & infamis turpitudo. Vndè Dedecoro. Cicero inquit de quodam: Magistratum ipsum dedecorabat, id est, turpificabat, & contumelia atq; ignominia afficiebat. Transfertur etiam ad animum. quippe decus pro honesto, dedecus pro inhonesto accipitur, ut idem: Sequetur decus atq; honestum. Quintil. Satis dedecoris atq; flagitij castra ceperunt. Decor est, quasi pulchritudo quædam ex decentia rerum personarumq;, in locis, temporibus, siue in agendo, siue in loquendo. Transfertur quoq; ad uirtutes, appellaturq; decôrum, non tam ipsum honestum, quàm quod hominibus & communi opinioni honestum uidetur, & pulchrum & probabile. Vndè uerbum Decôro media longa. Nam Decoro media breui, à decus uenit.

Iocus & Ludus. Cap. XVI.

IOcus & Ludus quid significent, tum ex Cicerone de Oratore, tum ex Quintil. de ridiculis colligi potest, ut sit iocus in uerbo, ludus in facto. Sed utrunq; tamen patitur exceptionem, ut Iuuenalis: Satyra 1.

Quoties uoluit fortuna iocari.

Videlicet non de uerbo intellexit, sed de facto. Ouid.

Hos ignara iocos tribuit natura puellis.
Materia ludunt uberiore uiri.
Mille fac esse iocos, turpe est nescire puellam
Ludere, ludendo sæpè paratur amor.

Iocos pro ludo & ipse posuit. Ioca quoq; pro Iocos nonnunquam legimus. Cicero ad Atticum libro decimoquarto

moquarto: Itaq; ioca tua plena facetiarum. E diuerso ludus pro iocus. Horatius:

Primo ser mo. Saty. prima.

Præterea, ne sic, ut qui iocularia, ridens
Percurram, quanquàm ridentem dicere uerum
Quid uetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa uelint ut discere prima:
Sed tamen amoto quæramus seria ludo.

Hinc Ludere pro iocari frequenter inuenitur. Cice. de natura deorum: Cùm uerò deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisq; humanis esse præditos, aut eorum membrorũ nullum usum habere, ludere uidetur. Plinius ad Valerianum: Cùm alij diuinũ me, alij rapinis meis, meæ auariciæ occursum per ludum ac iocum dictitant. Plinius idem ad Fabium Iustum: Ludere me putas, seriò peto: Ludere dixit pro iocari, & se non ioco agere, sed seriô. Quæ duo contraria esse, Quintilianus author est, inquiẽs: Iocum uerò accipimus, quod est contrarium serio. Idem in eodem loco inquit: Ludere nũquàm uelimus: quod non tam pro eo, quod est iocari, puto dixisse, quàm pro eo, quod est scurriliter & leuiter loqui, uel deludere alterum, siue eludere. Nam composita à Ludo, ad uerbum quoque et orationem pertinent, nõ modò ad actionem, ut in eodem opere. Cicero: Sed uos ab illo irridemini, & ipsi uicißim illud eludetis. Ludere etiam dicitur uersibus scribere, sed non nisi in opusculis ferè, qualia sunt epigrammata. & hæc opuscula dicuntur Lusus, & hoc ita sentire summos authores annotauit. Alludere est, cùm aliud dicimus, & ad aliud sententiam latenter referimus, ut Vergil.

Actiaq; Iliacis celebramus littora ludis.

Dum enim narrat ludos Aeneæ, alludit ad Augusti uictoriam, quæ contra Antonium in his locis potitus est. Ludus enim differt à lusu, siue lusione. Ludus enim tum periculum, tum spem sibi propositam habet. Lusus nihil præter meram uoluptatem. Itaq; qui pila, qui trocho, qui tesseris, qui etiam quocunq; genere talorum delectationis gratia ludunt, lusum potiùs, q̃ ludum exercent, Cicero: Ex multis lusionibus nobis senibus talos relinquãt, & tesseras: de uoluptate uidelicet senili locutus est, nõ de spe lucri, cuius spei caussa pleriq; ludunt. Ideoq; ludum talarium dicimus, non lusum: & ludum aleæ, qui etiam lêge prohibetur. Quidam & hunc lusum uocant, ut Suetonius lib. quarto: Ac ne ex lusu quidem aleæ cõpendium spernens. Dicimus etiam ludum, scholam ipsam, ubi & periculum & spes est, & certè labor, atq; uapulatio, ut, Dionysius tyrannus regno eiectus, factus est ludimagister. et, Camillus ludimagistrum discipulos hostibus prodentem, eisdem pueris cædendum in urbem usq; præbuit. Est igitur ludus literarius, tum aliarũ quarundam artium, tum schola grammaticæ, quam triuialem scientiam dicimus, quòd in triuijs & compitis docetur. Hoc ideò admonui, quòd quidam imperiti triuialem scientiam appellant Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam: quadriuialem alias quatuor liberalium artium. Ludus igitur (sicut dicebamus) est aliarũ quoq; artiũ, sicut Musicæ: ut apud Terentiũ de fidicina, quæ quotidiè discebat in ludo. De Grãmaticæ schola (ut mea fert opinio) magis q̃ Rhetoricæ intelligit Cicero de Oratore, cũ inquit: Hoc in ludo nõ præcipitur: faciles enim caussæ ad pueros deferuntur. Et statim pòst: Hæc est in ludo caussarum ferè formula. Nam, inqt Quintil. Rhetores suas partes omise-

Vide Liuium lib. 5. ab urbe cond.

omiserunt, & grammatici alienas occupauerunt. Siquidem grammatici latini Rhetoricam etiam docẽt, quod indicant ipsius quoq; Ciceronis uerba, cùm pueros iuuenes nominat. Est & ludus armorũ, qui idem (ut sentio) gladiatorius dicitur, ubi discunt gladiatores, ut apud Quintil. Quòd me diu pyratæ in carcere retẽtum, quia diuitem illius promiseram patrem, in ludum uendiderunt tanquàm decepti. Et iterum: Et inter debita noxæ mãcipia contemptissimus Tyro gladiator, ut nouissimè perderem calamitatis meæ innocentiam, discebam quotidiè scelus. Ludos tamen gladiatorios frequentiùs, quàm Ludum dicimus, quoties unum pluráue paria pugnatorum ad spectaculum pugnatura producuntur. Quæ res munus gladiatorium appellatur, quia populo tanquàm munus donatur. Et qui donat, munerarius: & qui familiam gladiatorum habet, gladiatores q̃ domi in disciplina, & (ut dixi) in ludo exercet, ac posteà uendit, lanista. Vocantur autem ludi gladiatorij, sicut ludi Apollinares, ludi Circenses, ludi seculares. Nam spectacula publica utique in honorem deorum, ludos antiqui uocabant, ut non absurdum sit, solennitatem in natali die sanctorum, præsertim cum apparatu illo & pompa, ludos uocari. Nam quo alio nomine uocemus illam spectaculi exhibitionẽ, qualis fit in multis Italiæ ciuitatibus, & (ut audio) in multis alijs prouincijs. Hæc de ludo, & de ludis hactenus. De Lusu quoque aliquod adferatur

Li. 4. ca. 2 exemplum Quintiliani: Nec me offendit lusus in pueris, est & hoc signum alacritatis. Et iterum paulò pòst: Sunt etiam nõnulli acuendis puerorum ingenijs non inutiles lusus.

Libertas & Licentia. Cap. XVII.

Libertas

Libertas in loquendo accipitur in bonũ, cùm quis non timidè (quod seruile est) sed ingenuè & liberè, hoc est, ut liberum hominem decet, loquitur. Licentia uerò in malum, quando hac libertate abutitur usq; ad temeritatem & procacitatem. unde Quintilia. Quæ in alijs libertas est (inquit) in alijs licentia uocatur. In agendo quoq; simili modo, ut, Liberè fecit, liberè egit, id est, digna libero homine. Cice. Sæpè de liberè dictis ac factis loquitur, & de licentia Clodiano rum queritur. Quintil. Porrò qui confessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licẽtiam. Terent. Deteriores omnes sumus licentia. Est autem huius nominis significatio, impunita quædam facultas agendi quicquid uelis. de facto loquor: nam de uerbo iam dixi, quod dubitationem non habet. Ideò hoc dico, quòd uidetur uocari posse in dubiũ de facto. Siquidem Sallust. in Iugurthino ita ait: Romam legatos ire iubet, agendarum rerum & quocunq; modo componendi licentiam illis permittit. Quod nescio an in malum accipit, quasi & malè, & cum damno atq; dedecore rẽgis posint componere. Quale est Quintil. An existimas hanc legatis peccandi dare licentiam, ut quæcunq; scelera in eo officio commiserint, cũ his omnibus hac una lege decâdant? An etiam in bonum, ut solent dicere iurisconsulti: Data est mihi licentia eundi redeundiq;. qualiter etiam plerique ecclesiasticorum scriptorum locuti sunt.

Indulgentia & Venia. Cap. XVIII.

INdulgentiam uulgò nunc accipiunt pro uenia, ut, Indulgẽt iam deus tibi tribuat, uel, Deus tibi indulgeat, quod quis neget dici non latinè? Indulgere enim

est concedere, & (ut sic dicam) obsequenter, delicateq; tribuere. Cuius rei admoneri certè debuerant trito illo uersu, nescio cuius, sed certè inter authores minutos latinissimi, & quo mille annis nemo carmen scripsit elegantius:

Indulgere gulæ noli, quæ uentris amica est.

Nunquid in gulã nequaquàm misericordes iubemur esse antequam peccauit? an ne committemus, ut illa peccet? Quintil. Mollis illa educatio, quã indulgentiã uocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Lib. 1. ca. 3 Non ergo indulgentia pro uenia accipienda est. Est enim uenia remissio culpæ, ut idem. Peccaui, ueniam peto: & errare hominis est, & ignoscere patris. Melius, qui econtrario ueniam pro indulgentia accipiunt, ut Vergil. 1. Aeneid.

Orantes ueniam, & templum clamore petebant.

Et Cicero pro Archia: Dabitis mihi hanc ueniam, id est, indulgebitis concedetisq; mihi hoc, si fortè peccauero. Nam apud hunc uix unquam indulgentia reperitur. Terent. Da pater ueniam, sine te exorem. Hæc duo pro utroq; posuit, id est Da ueniam, & Sine, ut hoc, etiamsi improbum sit, abs te impetrem. Et cum uenia tua dixero, hoc est, si quid erro, tamen cum pace tua, & (ut isti loquuntur) cum licentia tua dixero. Frequenter legimus. Facio tibi potestatem eundi & redeundi: quem in modum mallem ego dicere, quam, Do tibi licẽtiam, Porrò Dare potestatem est plus, quàm Facere potestatem. Est enim Dare potestatem, rem alterius arbitrio committere. Ex hoc Veniam dare admoneor, ut dicã de Pœnitere, quod nonnunquam pro Pudere siue tædere accipitur, ut Lucilius libro primo: Nec me eorum sententiæ esse pœnitet

tet. Cice. de senect. Num igitur si ad centesimum uixisset annum, senectutis eum suæ pœniteret? Vergil.

Nec te pœniteat calamo triuisse labellum.

Quod qui exponunt, pro Parùm uideatur, mihi non probantur.

Nanq; apud hunc uix unquàm.) Falsò id tradit Laurentius. Cicer. ad Attic. lib. 10. Alter (ô rem miseram. nihil enim mihi accidit in omni uita acerbius) indulgẽtia uidelicet nostra deprauatus. Rursus octaua post epistola: Indulsit illi quidem suus pater semper: sed non facit indulgentia mendacem. Idem in oratione ad Quirites post reditum: Mihi uerò & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, uita sunt mea charriores. De orat. lib. 2. Si feræ partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?

Ambitio & Ambitus. Cap. XIX.

Ambitio in animo est, ambitus in actu. Nam qui præter modum cupit aut honores aut laudem ambitione peccat. Qui uerò dilargitur pecuniam suam, aut populo muneribus ludisq; blanditur, aut cæteris artibus, quæ legitimæ non sunt ad publicos honores tendit, ambitum committit. Cui similis est quam hodiè simoniam uocant, à Simône Mago: nisi quòd hanc tantum in rebus sacris uolunt esse. Ambitus ab Ambio uenit, siue quòd is qui non suæ uirtuti confidit, non rectè graditur, sed per circuitum: siue quòd Romani, qui honores peterent, singulos circuibant, præhensantes rogantesq;, ut se in suffragijs adiuuarent: siue quòd qui pro adipiscendis honoribus soliciti sunt, cùm rogãt, exordio quodam longiore & uerborum circuitu utũtur. Hæc omnia, quæ ambitus facit, ambitio facere cõpellit, à qua Ambitiosi dicũtur, non ab ambitu. Nonnunq;, ambitus pro affectu ambitionis

Aliâs ſpe. accipitur apud Quintilianum, ſiue pro * ſpecie quadam fauoris, & quaſi captatione miſericordiæ, ut, Si iuuenis innocentiſſimus iudices uti uellet ambitu triſtiſſimæ calamitatis, poterat allegare uobis amiſſam cum oculis cogitationum omnium temeritatem. Ab hoc etiam ambitioſus dicitur, ut apud eundem libro ſexto: Non ſum ambitioſus in malis, nec lachrymarũ augere cauſſas uolo utinamq; eſſet ratio minuẽdi. Ouidius libro tertio de Ponto:

Sed tamen hoc factis adiunge prioribus unum,
Pro noſtris ut ſis ambitioſa malis.

Vicus & Suburbana. Cap. XX.

VIcus pars urbis. Diuiſa eſt enim urbs in uicos, quaſi in membra minora, ſicut ſuburra, carinæ. Exquiliæ uici Romæ (ut opinor) erant. Nam regiones circa uiginti fuerant, hodieq; tantùm tredecim ſeruãt nomina. Vici autem & olim & nunc ultra mille. Extra urbem uerò frequentes uillæ, ac frequentes domus inſtar uici, urbani uici uocantur, ſi modò ſuburbana non ſint. Tunc nanq; ſuburbana dicuntur plurali quidem numero: nam ſingulari ſignificatur prædium in ſuburbanis, & ſuburbanum meum, & ſuburbana mea, ſi plura ſunt, quale eſt in ſimilibus, ut, Fui in Cumano, in Tuſculano, id eſt, in fundo meo Cumano, & prædio meo Tuſculano: eramus in Formiano tuo, & in Pompeiano Varronis, id eſt, in uilla tua, & Varronis. Cæterum (ut ad rem redeamus) hic uicus paganus ferè muris caret. nam ſi haberet muros, caſtelli nomen acciperet, quod à caſtrũ deſcendit, quo ſignificatur locus muris munitus, & (ut Seruius ait) urbs. In plurali uerò notum eſt appellari locum in quo milites tentoria fixerunt: quanquàm uarius

rius mos eſt caſtrametandi. Veteres ſolebant illæ foſſa uallo q; circundare, & alijs pro natura loci munitionibus. Oppidum omnis urbs eſt, præter Romam, quæ peculiari nomine Vrbs uocari cœpta, fecit ut cæteræ urbes oppida uocarentur, quia ipſa oppidum amplius nõ eſt. Vndè dicatur urbs, & oppidum, tum alij dixêre, tum parùm attinet de etymologia diſputare, quæ plerunq; fallax eſt, & in primis (niſi fideli fundamento nitatur) friuola. Vicinia autem non tam homines, qui eundem incolũt uicũ, ſignificat, quàm qui prope domum tuam habitant. Vicinitas autem non homines, ſed propinquitatem, propriè quidem uicinorum, abuſiuè uerò etiam cæterarum rerum. Nonnunquàm continens pro cõtento, ut, Laudanda uel potiùs amanda uicinitas.

Donati ſunt in cõmentarijs Heauton. Terentij.

Commentarium. Cap. XXI.

COmmentarij nomen quid ſignificet, tertio Declamationum libro Seneca declarat, cùm dicit: Sine commentario nunquàm dixit, ſed commentario contentus erat, in quo nudæ res ponuntur. Et Cicero in Bruto: Non eſt oratio, ſed capita rerum, & orationis commentariũ paulò plenius. Et Quintil. Plerunq; autem multa agentibus accidit ut maximè neceſſaria, & utiq; initia, ſcribant: cætera quæ domo adferunt, cogitatione complectãtur: ſubitis ex tẽpore occurrant: quod feciſſe Marcum Tullium, ſuis commentarijs apparet. Sed feruntur & aliorum quoq;, & inuenti forte, ut eos dicturus quiſq; compoſuerat, & in libros digeſti, ut cauſſarum quæ ſunt actæ à Seruio Sulpitio, cuius tres orationes extant. Sed hi de quibus loquor commentarij, ita ſunt exacti, ut ab ipſo mihi in memoriam poſteritatis uideantur eſſe compoſiti. Per hæc

In fine li. 10.

Quintiliani uerba colligitur, non modo id quod dicebam, simulq; in plurali hoc nomen esse generis masculini. quum in singulari sit neutri, de quo mox etiã dicam: uerumetiam commẽtarios idem esse quod libros, quod Cicero confirmat: tum tertio libro de finibus dicens, Tuipse, quum tantum librorum habeas, quos hîc tandem requiris commentarios? quosdam, inquam, Aristotelicos: tum secũdo de Oratore: Tres patris Bruti de iure ciuili libellos tribus legendos dedit, ex libro primo fortè euenit, & cætera. Ac statim pòst: Vbi sunt hi fundi Brute, quos tibi pater publicis commentarijs consignatos reliquit? quod nisi puberem te iam haberet, quartum librum cõposuisset, & se in balneis locutum cum filio scriptum reliquisset. Ecce eandem rem tribus uocabulis Cicero declarauit, libellis, libris, commentarijs. Quarè ita sentio: omnes commentarios libros esse, sed non continuò libros commentarios. Nanq; ubi res sunt latè diffuseq; explicatæ, & non breuiùs, quàm poterant. tractatæ, libri tantùm sunt, non commentarij. undè Cæsaris commentarij, in quibus ad exequendam historiam alijs uidetur subiecisse materiam. qui si fuerint singuli, commentarium uel commentarius, uel liber dicetur. Liuius libro quadragesimooctauo: Quæri iussit ab eo, quem de his rebus commentarium à patre accepisset. cùm respondisset, accepisse se: nihil prius, nec potius usum esse, quàm rẽgis ipsius de singulis responsa accipere: librum poposcerunt. Si plures, primus & secundus commentarius, non primum & secundum commẽtarium, ut Hirtius siue Oppius, qui accessionem adiecit Cæsaris commentarijs, ait, Proximus alterue commẽtarius, nunquam commentarium. ita mihi in magnis authoribus

bus uideor annotasse. Quidam tamẽ aliter faciunt, utique in alia significatione, quæ est (ut sentio) expositio & interpretatio authorum utroq; genere promiscuè utẽtes, ut Aulus Gellius: Est adeò Probi grammatici commentarius satis curiosè factus. Et iterum: Nonnulli grammatici, qui commentaria in Vergilium composuerunt. Iterum quoq;: Noster Scaurus in primo commentariorum, quos in Gorgiam Platonis composuit, scriptum reliquit. Boëthius: Quod in his commentarijs diligentiùs expediuimus, qui à nobis in eiusdem Ciceronis Topica scripti sunt. Et iterum: Quo autem modo de his dialecticis locis disputetur, in his commẽtarijs, quos in Aristotelis Topica à nobis translata conscripsimus, expeditum est. Quidam etiam talia huiusmodi opera commentum uocauerunt, ut Nigidius, Donatus, Priscianus, alijq; nonnulli. Seruius commentarium, commentariosq;, pro homine accipere uidetur, cùm inquit in septimo Aeneid. Dicit quidam commentarius, Connexa legendum. Et in Georgicorum primo: Superfluo mouent quæstionem commentarij.

Cœnaculum & Cœnatio. Cap. XXII.

COenaculum locus ad cœnandum in loco superiori: Cœnatio locus ad cœnandum, sed in imo potiùs. Iuuenal.

- et algentem rapiat cœnatio solem.

Veruntamen cœnaculum non tam pro loco cœnandi, quàm pro parte domus superiore accipitur, quæ frequenter hospitibus habitanda locari solet, qui totam domum conducere non possunt, & parte inferiore, siue illa taberna, siue officina sit, non habent opus. Cuius rei proferrem exempla, nisi abundè Varro suffice-

ret dicens: Vbi cœnabant, cœnaculum uocitabant, postquàm in superiore parte cœnitare cœperunt, superioris domus uniuersa cœnacula dicta: postquà ubi cœnabant, plura facere cœperunt.

Epulæ, Epulum, & Dapes. Cap. XXIII.

EPulæ sunt cibi ministerio hominũ & in nostrum usum comparati. Epulum solenniores quædam epulæ, & propriè publicum conuiuium in propatulo numerosis ciuibus exhibitum, siue in dedicationẽ templi alicuius, siue in honorem deorũ, uel in magnificentiæ ostentationem, siue in funere magni alicuius uiri. Cui simile est, quod hoc tempore fit, cùm publicè pascimus pauperes. ut in mortibus propinquorum. Quod idem est penè quod parentare, si Hieronymo credimus, qui ita tertio libro in Hieremiam inquit: Mos autem lugẽtibus ferre cibos, & præparare conuiuium quod Græci περιδειπνα uocant, & à nostris uulgò appellantur parentalia, eò quòd parẽtibus ista celebrentur. Dapes uolunt esse uel deorum, uel nostras in sacrificijs deorum.

THEOD. Dapes uolunt esse uel deorum.) Largiores & opipari quilibet apparatus, Dapes potiùs dicuntur. Verg. Aeneid. 1. Didonis conuiuium describens:

totidemq; pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.

Quem locum Seruius sic interpretatur: Dapes regum sunt, Epulæ priuatorum. Vergilius Aeneid. 3. de Polyphemo.

Nam simul expletus dapibus, uinoq; sepultus,
Ceruicem inflexam posuit.

Idem Aeneid. 5. de Aceste Troianos excipiente:

Gratatur reduces, & Gaza lætus agresti
Excipit, ac fessos dapibus solatur amicis.

Vide quæ de hac uoce sentit author Cornucopiæ.

Sementis & messis. Cap. XXIIII.

Sementis

SEmentis est satio, siue (ut sic dicã) seminatio. Liuius: Campani sementem facere possent. Miror quarè cũ in alijs locis apud Hieronymum plurimis, tum in Geneseos principio, Sementis pro Semine posi tum est. Messis, tum ipsa messio est, tũ seges iam matura. Cicero de Oratore: Qualem sementem feceris, ita metes.

Seges & Fruges. Cap. XXV.

SEges est fruges eorum seminum, ex quibus conficitur panis, nondũ demessa. Nonnunq; contentum pro continente usurpantes, ipsam humum ad accipienda semina subactam, segetem uocamus, ut Vergil.

Illa seges demum uotis respondet auari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sentit.

Fruges uerò quicquid ex fructu terræ in alimoniam uertimus. Liuius: Eam gentem tradit fama dulcedine frugũ, maximè uini, nouatũ uoluptate, captam. Idem: Non arbore frugifera, non satis in spem relictis. Plinius titulum dedit de arboribus frugiferis.

Augustio rẽ huiꝰ uocis significationem Paulus tradit, in, l. frugem .ff. De uer. signi.

Malleolus & Sarmentum. Cap. XXVI.

MAlleolus à Sarmento sic distat, ut pars à toto. Est enim malleolus (ut placet Columellæ) in modũ mallei rostra habens, aptus plantationi. Quando autem arefacta sarmenta sunt cum malleolis igni reseruata, indifferenter uocãtur. Nam & Hannibalem legimus sarmenta cornibus boum alligasse. eaq; incendisse, ut hostes falleret. Et nonnullis ciuibus Romanis, quòd domos haberent plenas malleolorum ad capitolij uel urbis incendia, fraudi fuit.

Arbor & Frutex. Cap. XXVII.

ARbor à frutice ita differt, ut frutex ab herba. Est enim frutex qui ad iustam magnitudi-

nem arboris nõ assurgit, & statura similis est multis herbis, sed non demoritur neque aresçit ut herba, sed perennis est. Inter frutices est soboles quoq; illa arborum & plantula. Ab hac Fruticari uerbũ, quasi fruticem renasci ex arbore. M. Tullius ad Attic. Excisa est enim arbor, non euulsa. itaq; quàm fruticetur uides. Nam illud quod sæpe legimus, Fruticari pilum, translatum est.

Acinus, Bacca, Pomum, & Nux. Cap. XXVIII.

ACinos inter & Baccas hoc interesse puto, quòd Acini inter fructus minutiores arborũ fruticumue densiùs nascuntur, baccæ uerò dispersiùs & rariùs. Inter acinos enim numerantur grana uuæ, grana hederæ, grana sambuci, grana ebuli, grana mali punici, addo etiam morum, & quidquid his est simile: inter baccas uerò, fructus lauri, fructus oliuæ, corni, lotι, quam fabam Syriacam uocant, myrti, lentisci, similiumq;. Supra hæc autem poma dicuntur duntaxat, quibus uescimur. Cerasum, uel (ut Seruio placet) cerasium, & prunum, & mespilum, poma, non acini neque baccæ nominantur. Glans in numerum istorum nõ uenit, sylueſtris enim & pastio porcorum est. Castanea in nuces refertur, unde Verg. Castaneasq; nuces, sicut pinus, corylus, siue à loco auellana, amygdalus * iuglans, & si qua his similia, non poma dicuntur, sed nuces. Nonnunquàm acini & baccæ indifferenter ponuntur, ut Vergil.

Sanguineis ebuli baccis, minioq; rubentem.

ERAS. * Iuglans & si qua sunt alia.) Ouidius tamen in nuce, ut Erasmus annotauit, in commentario quem ẽdidit in hoc opusculum, nuces etiam poma dixit:

Poma cadunt mensis non interdicta secundis, Et

Et condit lectas parca colona nuces.

Acinos inter.) Acinum genere etiam neutro protulit Columella lib. 12. cap. 39. Vuam præcoquem bene matura legere, acina arida aut uiciosa relinquere. Ibidem. Cùm deinde exaruerint, acina decerpere. THEOD.

Crepitus, Strepitus, Fremitus, & Stridor. Cap. XXIX.

CRepitus, sonitus est uiolentus ex impulsu resultans. Vndè increpare, est cum eruptione uocis, & immani sonitu reprehendere. Cymbala Tympanaq; crepitãt. Vndè fit crepitaculũ. Tubæ quoq; et cornua, similiaq; crepãt siue crepitãt. Crepitus quoq; speciali uocabulo qd significet, málo me tacẽte minus notũ esse, q̃ me dicente nimis. Strepitus fit ex corporũ tactu, siue collisione rerũ, & multarũ uocũ in unũ confusione, si modò non sit immodicus: tũc enim dicitur fremitus, ut ex alto mari sonus fluctuũ, et in populo murmur, uocatur etiam fremitus: quin & indignantis, & excandescentis, & quasi humanã uocẽ præ iracundiæ immutatis uox oratioq;, fremitus dicitur. Stridor est acrior, et quasi sibilans collisio. Strepitus tamẽ proprie pedum ambulantium, manuumq; aliquid pertractantium sonus est. Appellatur etiam fastus & pompa diuitiarum, quasi à strepitu comitantium, ut apud M. Fabium: Hic cùm me euocasset subitò trepidum, totoq; fortunæ suæ strepitu circunstetisset.

Officium & Officia. Cap. XXX.

OFficium est uirtutis actio, quod Græci καθῆκον uocant, uel, ut latiùs explicem, pro loco, pro tempore, pro rerum dignitate, similibusq;. Inde illud est quod dicitur à multis. In familia benè instituta omnes in officio sunt, id est. omnes agunt quod debẽt, &, Missi sunt legatis obuiã ciues, officij gratia: et, Circunstæ

cunstabant Senatores Cæsarem sedẽtem in aurea sella officij gratia, id est, honoris gratia, quem legatis, Cæsariue exhibere debemus. Nihil enim tam nos decet, quàm merenti uel honorem exhibere, uel opem ferre. Quo factum est etiam ut officia significent beneficia, siue obsequia. Vndè illud Ciceronis: Odiosum sanè genus hominum est officia exprobrantium: quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. Et illud Quintil. Duxit me similis ætas, euicerũt officia, cepit fides, amantem odisse non potui. Magistratus quoq; officium dicitur, siue quia honoris caussa factus est, siue opis populo ferendæ, siue quia ius suum cuiq;, & quod cuique debetur, reddat. Cæteræ autem artes, quæ modò honestæ sint, suam rationem officium uocant, ut, Officium medici, officium architecti.

Histrio & Mimus. Cap. XXXI.

HIstrio, qui personatus in scena Tragœdias agit, Comœdiasq;, uoce & corporis gestu. Mimus, qui uel intra uel extrà scenam gesticulationes quasdam exercet, imitaturq; mores hominũ, ac naturas, præsertim obscœnè. Nam mimorum scriptores, res obscœnas, ut amores, tractant. Primum è Tusco quodam homine tractum nomen esse, Titus Liui. ac Valerius Maxi. authores sunt. Alterum è Græco uenit, ἀπο τοῦ μιμέομαι. Mimi tam homines, quàm poëmata uocantur.

Liui. li. 7. abur. cõd. Vale. li. 2. de institutis antiqs.

Actor & Author. Cap. XXXII.

ACtor & Author ita differunt, quòd actor dicitur orator, qui agit caussam, quiq; gestum uultus & corporis agit. Vndè tum ipsa pronunciatio

tum oratio quæ habetur, tum oratio scripta, actio est appellata. Item, Comœdus & Tragœdus, id est, histrio qui agit gestus in scena, & quod huic generi simillimum est, qui agit Atellanas: & Mimus omnis actor uocari potest, & partes comœdiæ actus dicuntur. Nam Comicus, Tragicusq; poëta, ipse est comœdiarum tragœdiarumq; conditor. Author autem est (ut sic dicam) factor. Nam factor in usu non est, nisi in quibusdam è Græco translatis. Et illud quotidianum. Credo in unum Deum, patrem omnipotẽtem factorem cœli & terræ, Græce est ποιητὴν, hoc est poëtam. At nos poëtas cæterosq; operum cõditores, authores uocamus: & illum qui fecit aliquod opus, qui egit bellum, egit pacem, authorẽ operis, authorem pacis dicimus, nũquàm actorem. Quidam originem eius è Græco repetunt αὐξάνω, sed à latino quoque faciliùs formari potest, nisi quòd nullum latinum in or, à supino descendẽs, est cõmunis generis, ut author. Nam cùm est ab Augeo (si modò unquã reperitur) auctor & auctrix facit, ut Seruio placet in Vergilũ scribenti. idem super Donati artem ita ait: Quæritur, Author utrum per se, an de uerbo oriatur. Sed sciẽdum est quòd à se nascitur. Nam illud quod est Augeo, non nos seducat, quòd indè ueniat. Aliud enim est augere, aliud authorem esse. Ego uerò à Seruio non omnino dissentio, quum huius uocis non uideatur mihi origo esse nec Augeo, nec αὐξάνω: & inauditum est, significationis illius hic & hæc author est. Nam nunquam aliud (quantum ego sentio) significat quàm duo, unum quod dixi, & alterum quod est huic simile, hominem in quo est uis, potestas, & dignitas. Vnde authoritas dicta est, ut apud Liuium dicitur: Decreuerunt, ut

cùm

cùm populus regem iussisset, id sic ratum esset, si patres authores fierent. hoc est, authoritatẽ (ut aiunt) suam, & decretum interponerent, ratum haberẽt, atq; ratificarent, siue comprobarẽt. Et alibi: Maiores nostri nullam, ne priuatam quidem, rem agere fœminas sine authoritate uoluerunt, in manu esse parentum, fratrum, uirorũq;. Et authores pupilli uocantur, in quorum administratione infirma ætas, resq; eius sunt. Ideoq; filios regum pupillos sub authoribus fuisse legimus. Vndè Paulus iurisconsul. Etiam si non interrogatus tutor, author fiat, ualet authoritas eius, cùm se probare dicit id, quod agitur: hoc est cum authorem fieri. Et Pomponius: Et si pluribus datis tutoribus, unius authoritas sufficiat, tametsi tutor authoretur. Quarè authores sententiæ alicuius, consiliy'ue, uocantur hi, quorum sententiam consiliumq; secuti sumus. Et duces militum, authores uocabantur. Vndè Authorare. Liui. lib. 46. Signo dato suo, impressas tabellas misit, & uero pignore uelut authoratum sibi proditorem ratus est, id est, obligatum & subiectum. Et Valerius Maxi. libro 4. Authorato socijs officio. Suetonius libro 3. Delegendo uel authorando milite, ac legionum & auxiliorum descriptione. Ex quo fit authoramentum, uel quasi obligatio, nexusq;, uel quasi stipendium quoddã, & quasi precium cuiusdam militiæ ac pugnæ actionisq;, ut Quintil. Nec difficilem sanè, sub illo præsertim authoramento, habuisset missionẽ. sed noluit gladiator uiuere. Suetonius: Munus gladiatorium dedit, rudiarijsq; quibusdam reuocatis, authoramento centenùm millium. Cicero: Quorum ipsa merces authoramentum seruitutis est. Seneca lib. 7. epistolarũ: Nullum sine authoramento malum

lum est. Auaritia pecuniã promittit, luxuria uarias uoluptates, ambitio purpuram & plausum, & ex hoc potentiam, & quidquid potentia potest, mercede te uicia solicitant. Deniq; author nihil habere commune cum Augeo, neq; cum αὐξάνω. Auctio probat, quæ uenditio quædam est in publico ac celebri loco. Et hinc auctionari, publicè & ferè sub hasta uendere, non ea quæ ad esum spectãt, sed ea quæ ad supellectilem, atq; ad alios usus, nec ferè nisi quæ penès alium in usu fuerunt. Differt igitur Auctus ab Haustu: quia diuersam originem sortita sunt. Auctus enim est incrementum ab Augeo descendens, ut haustus ab haurio.

Pupillus & Orphanus. Cap. XXXIII.

PVpillus est qui caret quidem patre, sed tãtisper dum est in ætate, cui adhibetur tutor. Orphanus qui caret patre præsidioq; paterno, & qui summoperè desiderat illius opem, quum sine eo malè habeat, Græcum tamen nomen est, non sanè à ueteribus usitatum. ὀρφανὸς orbus, priuatus patre

Triclinium & Conclaue. Ca. XXXIIII.

TRiclinium à tribus thoris, mensis'ue, appellatum est. Ibi enim comedebant, præcipuè in conuiuium accepti, cũ res ipsa postularet tres thoros, mensas'ue extrui. Qui aũt huic ministerio præerat, architriclinum uocabant. Quintilianus quidẽ triclinium uocat, quod Cicero cõclaue. Nam de eodem conuiuij loco, ubi Simonides artem memoriæ traditur inuenisse, ille sic ait: Vix eo limen egresso, tricliniũ illud suprà conuiuas corruit. Hic sic, Hoc interim spacio cõclaue illud dicitur concidisse. Est igitur triclinium conclaue discubitorium. Nam conclaue generalius est, quod est etiam pars quædã in penatibus remotior, in

quæ

quæ uel uiri colloqui, uel mulieres confabulari solent.

αὐλὴ atriũ septũ ouiũ

Aulam autẽ, quod Græcum est, nostri semper trãsferunt atrium. Nam Aulam pro Olla, Plauto, uetustißimisq; dicendum relinquamus.

Penus & Commeatus. Cap. XXXV.

PEnu ea omnia contineri dicũtur, quæ ad uictum pertinent, sed priuatum, si modò domi repositæ ac recondita sunt. Nam locum ubi ista reponuntur, Varrone teste, penarium appellamus. Quæ uerò ad uictum publicum spectant (sicut alio loco diximus) commeatus uocãtur, sed ex paucioribus cõstant, ut sumus diligentiores pro re priuata, quam pro publica. Ferè nihil aliud cõtinet cõmeatus, quàm annonam, & quidquid annonæ uicem habere potest. Quanquàm (ut uerum dixi) priuatorum etiam commeatus est, nec annona tantum frumentaria, Cicerone dicente lib. 2. de Diuinatione: Aut si Epicuri de uoluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore.

Macellum

Nescio tamen an macellum non tantùm pro loco, ubi caro uenditur, accipiatur, sed ubi & annona.

Ceruix, Iugulus, & Collum. Ca. XXXVI.

CEruix est posterior colli pars, undè origo est omnibus neruis. Iugulus anterior, undè uox haritusq; procedit. Collum omnes partes in solidum complectitur. Et quoniam nerui, qui corpus erectum rigidumq; faciunt, in ceruice sunt collocati: dicimus hominem duræ ceruicis, quasi indomabilem more ferocium boum: uel qui ceruice erecta & rigida est, contumaciã quandam & rigorem mentis præ se fert, tanquàm nemini caput inclinare uelit, tali nomine uocatur, quasi duri capitis, duræq; mentis. Ceruicis etiam dicimus pro ceruice: imò singulari numero neminẽ ante Hortensium

tensium dixisse, Quintilia. est author. Similiter, quoniam in iugulo mortifera statim plaga est præ cæteris membris, eademq; pars corporis uulneri obnoxia, ad quam mucro inter ipsa arma facilè subit: à ueteribus dicebatur petere iugulum, ferire iugulum, pro eo quod est petere mortẽ. Quintil. Iiturusq; forensium certaminum pugnã, iam in schola uictoriam spectet, & iugulum petere, & ferire uitalia, aut tueri sciat. Cicer. in Verrinis: Sua confessione inducatur ac iuguletur, necesse est. Li. 8, cã. 3. de ornatu

Sinus & Gremium. Cap. XXXVII.

SInus est intra pectoris brachiorumq; cõplexum: unde sinus uestium, quales erant tunicæ Romanorum, & modò quorundam religiosorum, supra cinctu ram laxitas illa uestis, quæ cingulum operit. Littora quoq; curua, & quasi brachijs mare amplectentia, sinus uocamus. Gremium est inter complexum fœmorum, fœminum'ue: quo in complexu mulieres concipere solent. Et per translationem gremium terræ appellamus, cùm semen suscipit, conceptum retinet quasi uiuentem fœtum posteà paritura. Quarè cùm lactantur infantes, ad sinum admouentur: pueri uerò iam fãti, à sedentibus matribus, utiq; cùm illis blandiuntur, ad gremium accipi solent. ut Vergilius de Cupidine sub imagine pueri Ascanij: Hæret, & interdum gremio fouet insciа Dido. Quinetiam matres nutrices'ue cùm super genua collocant infantem, aut extremis uestibus repositum, et ad uterum usq; sublatum gestant, in gremio magis quàm in sinu tenêre aut gestare dicuntur. ut idem de eodem:

– et fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos:

Socius, Comes, & Sodalis. Ca. XXXVIII.

SOcius socio dicitur: Comes comiti raro dicitur. Nanque socius est par: comes uerò minor, quippe qui sequitur, & ducem habet, ut Cice. Non comitem se, inquit, sed ducem præbuit. Et alibi. Neq; enim princeps tunc ad salutem esse potuissem, si esse alij comites noluissent. Ideoq; duces in bello, quoties milites alloquuntur, conciliandæ beneuolentiæ gratia, non secùs appellant comites, sed socios, communicantes quodammodò ipsorum dignitatem cum illis: ut ediuersò, cùm eosdem commilitones uocant, communicantes eorum conditionem ac sortem cum ipsis. Neq; enim dux commilito est militum, sed milites inter se commilitones, ut apud Vergil Aeneas comites suos consolans ait, O socij. Et author ipse sua persona loquens de Achimenide, inquit:

- Cómes infelicis Vlyßi — Et iterum:
- Vno graditur comitatus Achate.

Neq; recte dixeris de Vlysse & Aenea, hunc esse comitem Achatis, illum Achimenidis. Idem tamen ait,

Arma deosq; parant comites. - Et iterum:
Sacra deosq; tibi commendat Troia penates,
Hos cape fatorum comites. -

Nunquid dij erant comites Troianorũ atq; Aeneæ, an duces? certè dij penates erant comites confessione, tum Aeneæ, tum ipsorum quoq; deorum. Nam libro primo Aeneas ait:

Raptosq; ex hoste penates, Classe ueho mecum.

Et in tertio dij aiunt:

Nos te Dardania incensa, tuaq; arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor.

Sub te, id est, te duce, & te secuti sumus, id est, tui comites

mites fuimus. Idem quoq; de Græcis dicendum est, et de eorum dijs. Idem etiam de Sibylla, & de Aenea: quãquàm modò hic, modo illa dux erat aut comes: tamen quia sequebatur Aeneæ uoluntatem Sibylla, & quasi ministram se præbebat, comes erat. Quia uerò ducebat, præmõstrans iter, & declarans ea quæ ignorabat, dux eadẽ dicitur. Tametsi aliquando comitem pro socio dicimus, ut Cicero in Rhetoricis de illo uiatore, qui cùm ante lucẽ surrexisset: Comitem, inquit, suum inclamauit semel & sæpius: cùm de eodem antea dixisset, In itinere quidem proficiscentẽ ad mercatum quendam, & secum aliquantulum nũmorum ferentem, est comitatus, id est, secutus. Quarè peccauit tũ Priscianus ad Iulianum scribens: Tibi ergo hoc opus deuoueo omnis eloquẽtiæ præsul, ut mihi (quantumcunque deus annuerit) suscepti laboris gloria, te comite, quasi sole quodam, dilucidiùs crescat. Quid magis absurdum, quàm quem dicas tuum solem, eundem appellare comitem tuum, hoc ipso quòd sol est? Tum ille (parco nomini sacrosancti uiri) qui dixit: Ebrietas est comes libidinis et intemperãtiæ, superbia comes est odij, diuitiæ sunt comites superbiæ. Nam potiùs dicendum erat. Libido & intemperantia comes est ebrietatis. Sequitur enim libido & intemperantia, ebrietas antecedit. Odium comes superbiæ est, superbia comes diuitiarum. Cicero: Est gloria comes uirtutis. Gloriæ enim sequitur honestatem, sicut umbra corpus. In eodem opere nuper à quodam perdocto uiro, illud: Iracundiam laudãt, comitem fortitudinis esse dicunt: emendatum sic erat, Comitem fortitudinem: ut sciremus uerum esse quod ait Quintilianus Cùm librariorũ inscitiam insectari uolunt, suam confitentur. Idem Cicero

alio loco: Cupiditas dicendi pacis est comes, ociiq; so-cia. Siquidem pacem sequitur dicendi cupiditas. Quid ergo si hæc comes est, illa dux erit? dicemusq;, pax est dux cupiditatis dicendi, & ebrietas est dux libidinis & intemperantiæ, non est hic sermo quidem usitatus, sed potiùs per alia uerba, quorum tria nũc in mentem ueniunt: magister magistra'ue, pater mater'ue, mate-ries materia'ue, ut, Ebrietas magistra est libidinis & intẽperantiæ: superbia est mater odij: diuitiæ sunt materia superbiæ: quibus tribus ferè indifferẽter uti possumus. In personis uerò magis cõuenit dux, aut in his rebus, quæ personis sunt similes, qualis est fortu-na, quæ dea fingitur. Cicero non semel dixit, fortunã non ducem, sed comitem fuisse quibusdã imperatoribus. Est præterea (ut eò redeam, undè egressus sum) alia differentia inter comitem & socium: quòd comes est qui ut cunq; sequitur alterius ductum: socius plerunq; in negocijs, serijsq; rebus, & fortunæ arbitrio subie-ctis, ut Cæsar in commentarijs: Itaq; Androsthenes prætor Thessaliæ cùm se uictoriæ Pompeij comitem esse mallet, quàm socium Cæsaris, in rebus aduersis omnem ex agris multitudinem seruorũ ac liberorum in oppidum coëgit. Verùm huiusmodi differentia aper-tior est inter socium & sodalem. Est enim propriè so-dalis in rebus leuioribus, ac sæpè uoluptuosis. Quinti-lia. Quo tandem patereris animo, si delicatus adole-scens, præsertim splendidis opibus, uel ex ætate mo-res, uel ex fortuna traxissem, & tempestiua conuiuia, & peruigiles iocos, aduocata sodalium turba, solutus atque adfluẽs agerem? Marcus Tullius: Epulabar modicè cum sodalibus. Sodalitates enim, me quæsto-re, sunt institutæ. Idem alibi: Ego Plancium Late-rensem

rensem, & ipsum gratiosum dico, & habuisse in petitio-ne multos cupidos sui gratiosos, quos tu si sodales uo-cas, officiosam amicitiam nomine inquinas uicioſe. Ca-ius autem, Sodales, inquit sunt, qui eiusdem sunt colle-gij, * quos Græci θιασίτους & ἑταίρους uocant, A quo non sanè discordat apud Marcum Tullium Anto-nius, qui Norbanum Quæstorem suum appellat soda-lem. Comis est, benignus homo & facilis, qui alijs non grauatè inseruit.

ff. lib. 47. Tit. 22. in fin.

* aliâs, quã Græci ἑταιρίαν uocant.

Pompa & Spectaculum. Cap. XXXIX.

POmpa omnis spectaculum est, sed non contrà. Pompa quidem in prosperis est & in aduersis, qualis est in triumpho & in funere, quasi quidam so-lennis apparatus & ostẽtatio. Cicero: Sed iam è pom-pa in ueram aciem descendamus. Vergil.

Ad delubra iuuat solennes ducere pompas.

Quintilia. Quid enim si respondere iubeas orbitatem, cur in exequijs totos egerat census, quid sibi uelit ille funebrium longus ordo pomparum: Spectaculum ue-rò nunc illud est quod spectatur, ut:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula manè:
Nunc ipsa spectatio, ut, O acerbum spectaculum.
Nunc locus undè spectatur, ut, Sedebat in spectacu-lis, &, De spectaculis excitatus est.

Senecta & Senectus, Iuuenta ac Iuuentus. Cap. XL.

SEnecta est senilis ætas: Iuuenta autem iuuenilis, (ut quibusdam placet) dea ipsa melioris ætatis et iuuentutis. At senectus idem est quod senecta: Iuuen-tus uerò etiam frequentia iuuenum, non solum ætas. Se-nium quoque pro senectute accipitur.

Continentia & Abstinentia. Cap. XLI.

COntinentia ab Abstinẽtia ita differt, quòd abstinẽtia iusticia est, Continentia uerò illa, quæ inter uirtutes quarta numeratur quæ eadem dicitur temperãtia & modestia. Est enim hæc, cùm à uoluptatibus nos cõtinemus: Abstinentia, cùm abstinemus ab alienis, nulli uim inferentes, nihil cuipiam eripientes. Cice. Si in una uoluptate cõtinuerit, in alia se effudèrit. Rursus: Quod beneficium est, q̃ te abstinueris à nefario scelere? Nonnunquàm tamẽ indifferenter, ut apud Valerium Maximum titulus est de abstinentia & continentia, ubi exẽpla istarum uirtutũ promiscua sunt. Vt tamen sentio, continẽtiæ dare poteris nomen abstinentiæ potiùs, quàm ediuersò. Illud enim specialius uidetur, hoc generalius: quemadmodum temperantia putatur sub iusticia esse, uel ab ea non posse separari: illa uerò sine hac frequenter est. Quarè rectè continentia uocatur abstinentia.

Pecus pecudis, & Pecus pecoris. Cap. XLII.

PEcus pecudis, & Pecus pecoris, propè nihil differunt. Significatur enim hoc nomine animal, quod sub imperio hominum ex pabulo terræ pascitur, ut bos, qui taurum uaccamq; compræhendit, præter suum proprium nomen: Equus caballus ue, qui asinariam potiùs operam exercet. Asinus, non autem onager, nec lalisio. Mulus, qui propriè generatus est ex asino & equa. Nam hinnulus dictus, qui patre equo, matre asina genitus est, quem quidam burdonem nominant. Camelus quoq;, nam non tantùm pascitur sub magistro, uerùm in quibusdã locis inter armenta. Et eius significatio non modò ad marem fœminãq; pertinet

net, ut passer & aquila, sed cũ genere fœminino nonnunquã iungi inuenitur, ut Camelos fœtas: quale est bos, ut apud Vergilium:

Ille meas errare boues, ut cernis. -

Quod ideò minùs mirum est, quòd lupus etiam apud Varronem, & Ennium, & Fabium pictorem, in genere fœminino reperitur, siue hic lupus lupam quoq; significet. Huic simile est Bubulus. Cæterum & ipsi cameli, & cætera quæ enumeraui, armenta faciũt, licèt quidã uelint tãtùm esse boum, quasi ab arando aramenta dicta, dèinde sublata tertia litera, armenta. Præterea ouis, quæ marẽ fœminãq; significat. Capra, cũ qua caper, siue hircus. Porcus, cum quo porca intelligitur. Vndè fiunt greges, ut grex ouium, grex caprarum, grex porcorũ. Ouid. Metamorph. quarto.

Mille greges illi, totidemq; armenta per herbas
Pascebant. Vergil. tertio Georgicorum:
Hæc satis armentis, superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtasq; capellas.

Idem tamen de ceruis primo Aeneidos, dixit:

- Hos tota armenta sequuntur A tergo. -

Vt minùs mirãdum sit, si de bobus gregẽ dixerit ibi:

Aut aliquam in magno sequitur grege. -

Tamen ad distinctionem adiecit Magno, sicut Horatius adiecit Mugientium, in Epodo:

Aut in reducta ualle mugientium
Prospectat errantes greges.

quasi grex sit generalius nomen, armentum uerò speciali us: & illud sine apposito de pecoribus minutis intelligatur, cũ apposito possit etiam ad maiora transferri, ut Cice. in Philippicis: Fundit apothecas, cecîdit greges armentorum. Hæc omnia pecudes & pecora

dixeris, quorum exempla tot sunt, quoties hoc uocabulum reperimus: Veruntamen Pecus pecoris nonnunq̃ reperitur pro multitudine pecorum siue pecudum, sed gregalium potiùs, quàm armentalium, ut Vergil.

Dic mihi Damœta cuium pecus, an Meliboei?
Infelix ô semper ouis pecus. Et alibi:

Caprigenumq; pecus nullo custode per herbam.

Ouid. Metamorph. lib. decimotertio: (errant

Hoc pecus omne meum est, multæ quoq; uallibus
Multas sylua tegit, multæ stabulãtur in antris,
Nec (si fortè roges) posim tibi dicere quot sunt.
Pauperis est numerare pecus: de laudibus harũ,
Nil mihi credideris, præsens potes ipse uidere,
Vt uix * sustineant distentum cruribus uber,
Sunt fœtura minor tepidis in ouilibus agni,
Sunt quoq; par alijs ætas in ouilibus hœdi.

*circumeant.

Cur dixit Multæ, & Harum, quum nullum genus anteà nominasset: nisi quòd intellexit oues & capras, quas posteà nominat. Cicero in Verrem: Nominat iste seruum, quem magistrum pecoris esse diceret. Vergil. tamen Georgicorum tertio ait:

Pascitur itq; pecus longa in deserta sine ullis
Hospitijs, tãtum campi iacet, omnia secum
Armentarius Afer agit

Armentarium pecoris dixit. Nonnunquàm Pecus pecoris significat ouem, nec solùm uulgò, ubi hæc animalia pecora dicuntur, uerumetiam apud graues oratores, quorũ est Plinius, qui libro octauo inquit: Est in Hispania, & maximè Corsica, nõ absimile pecori, genus musimonum, caprino uillo quàm pecoris uelleri propius: quorum è genere & ouibus natos prisci umbros uocauerunt, infirmissimum pecori caput. Et non longè

Cap. 49

Cap. 5.

longè pòst: Suis fœtus sacrificio die quinto purus est, pecoris die sexto, boum tricesimo. Quintilia. Cur in usum uestium sæpe pecori lanæ detrahuntur? Præter pecudes autem cæteræ quadrupedes feræ sunt: licèt proprie uideantur feræ dici, quæ feritatẽ habent, ut leones, ursi, pardi, lupi, uulpes. Harum quæcunque mansuefactæ sunt, cicures uocãtur, qualis canis, q̃ nec pecus nec fera est, licèt sit natura ipsa nõ tantùm fera, sed etiã ferus: qualis elephas, siue (quod usitatius est) elephãtus ad bella domitus, alioqui fera natura, de quo nomine idẽ, quod de camelo, fortassè dici potest, quòd & communis generis sit, & armentum faciat. Quidam suem domesticam tantùm cicurem uocãt. Ego potiùs aprũ dixerim, qui ex fero cicur est factus. nec aprum modò, sed etiã onagrum, ceruum, capreolum, damam, capream, leonẽ quoq;: deniq; quicquid cicurari potest. Cicurare enim (ut Varro ait) est mãsuefacere. Quod enim à fera discretum est, id dicitur cicur: & ideò dictum, Cicur ingenium obtineo, id est, mãsuetum. Inuentum à Cico Cicur uidetur. Cicum dicebant membranam tenuem, quæ est in malo Punico discrimen. Hæc Varronis uerba cõfirmat Cicero, ubi ait: Nam aliæ sunt feræ, aliæ cicures, aliæ natantes, aliæ uolucres.

Collis, Cliuus, Iugum & Promontorium. Cap. XLIII.

Collis est (ut ita dicam) monticulus siue per se, & à monte separatus, siue pars montis. Iugum (ut etiam ita dicam) ipsa arduitas montis, & procliuis ac prona supinitas, cui similis est in colle cliuus, tamen mollis magis & clemens, ut cliuus Capitolinus, cliuus qui ducit ad Ianiculum, cliuus montis Auentini, quos omnes scimus esse in urbe Roma colles. Vndè

quidam uocant eam urbem ſepticollem. Et antiquitus fiebant feſta quædam Septimontalia. Liuius: Itaque cùm per Caſtilinum euadere non poſſet, petendumq; mõtes, & iugum Caligulæ ſuperandũ. Et alibi: Quantum in altitudinem egrediebantur, magis magisq; ſylueſtria, & pleraq; inuia loca excipiebant. Vt uerò iugis appropinquabant (quod rarum in alijs locis eſſet) adeò omnia contecta nebula, ut haud ſecus quàm nocturno itinere impediretur. Promontorium * locus eſt in mari prominens, ut Plinius lib. uigeſimoexto. Promontoria aperiũtur mari, & rerum natura agitur in planũ. Liuius libro trigeſimotertio: Aut aperientibus claſſem promontorijs. Idem quadrageſimoquinto: Adiunctaq; inſula Euboia, & excurrente in altum, uelut promontorium, Attica terra ſita.

*Ali. mõs

Officina & Taberna. Cap. XLIIII.

OFficina eſt, ubi opera fiunt. Taberna, ubi opera ipſa, cæteraq; merces uenditantur. Officina eſt ſtatuarij, fuſoris, flatoris, cælatoris, excuſſoris, uitrearij, pictoris, ſutoris, fabri, qui multiplex eſt lignarius, & hic non unius generis, ferrarius, nec hic ſimplex, lapidarius qui in multas & ipſe diuiditur ſpecies. Taberna uocatur uinaria, lanaria, olearia, & mille huiuſmodi: undè opifices & tabernarij uocantur Cicero pro Lucio Flacco: Opifices et tabernarios, atq; omnem illam fecem ciuitatum, quid eſt negocij concitare? Nec negauerim aliquando unum eundemq; locum officinam & tabernam eſſe, ut ſutrina, in qua calcei & fiunt, & uenduntur. Quædam igitur artificia (quanquam ſola artificia ſunt opificum) cætera quæſtus & operæ dicũtur: ſed quædam huiuſmodi ſemper habent ſuum nomen, ut hæc ipſa ſutrina ſutoris, & lignarij

gnarij propriè fabrica, aurificis aurificina, cauponis caupona: tamen eam, quæ uinum uẽditat, cauponam uocamus. Quidam malunt dicere cauponã pro loco. Argentarij argentaria, quod nomen quidam pro artificio, et argẽtarium pro artifice (qui idem eſt aurifex) accipiunt, atq; ita eſt in Hieremia. Titus autem Liuius, Cicero, Quintilianus, cæteraq; omnis antiquitas pro his accipit, qui campſores uulgò dicuntur, non illos dico minutos, qui numularij & menſarij à nobis, κολυβίσται à Græcis dicũtur, qui ijdem trapezitæ uocari poſſent. Nam colybiſtæ * trapezites habẽt. Sed Plautus in Curgulione trapezitam & argẽtarium pro eodem accipit.

Aliãs trapezas.

Nam colybiſtæ.) Budæus & alij geminant l. Collybus autem & collybiſtæ quid ſint, uide in Prioribus Budæi ad l. Pignori creditori. ff. de pignoraticia actione.

Auis & Volucris. Cap. XLV.

AVis eſt, quæ oua ponit uel parit, pennisq; eſt prædita, præter unum ueſpertilionẽ, qui utroque caret, quatuor enim pedes habet, & ſemimus eſt. Volucris eſt quæcunq; uolat, nec auis ſolum, ſed illæ beſtiolæ quoq; minutiores, ut apes, ueſpa, culex, tabanus, locuſta, muſca, cicada. Siquidẽ Quintilianus apes uolucres uocat. Et Plinius non ſemel hoc ſignat. undè & Cupido uolucer dicitur.

Decla. 130.

Indoles. Cap. XLVI.

INdoles eſt non ſolùm in pueris & adoleſcentibus ſignificatio futuræ uirtutis, ut apud Quintilianũ: In primis annis laudaretur indoles. Cicer. Vt enim adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur. Et Valerius titulum de indole fecit, non tantùm puerorum adoleſcentium'que exempla repetens

tens, sed etiam in uiris & quidem præsentis urtutis, ut idem Cicero de officijs: In quibus est uirtutis indoles, commouẽtur. Idẽ pro Cælio: Si quis, iudices, hoc robore animi, atq; hac indole uirtutis & continentiæ fuit. Liuius de Lauinia iam matre, & post mortem Aeneæ res administrante, inquit: Tanta in ea nirtutis indoles fuit. Lucanus:

Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis. -

Indole, quasi generositate quadam uirtutis, atq; animi. Liuius ad malam quoq; partem, & ad muta atque inanimata transfert, loquens de Hannibale sic: Cum hac indole uirtutũ & uiciorum triennio sub Hasdrubale imperatore meruit. Et alibi. Sicut in frugibus, pecudibusq;, non tantum semina ad seruandam indolem ualent, quantũ terræ proprietas, cœliq;, sub quo alitur, generosius in sua quidquid sẽde gignitur, insitum alienæ terræ, in id quod alitur, natura uertente se, degenerat.

De Concio. Cap. XLVII.

CConcio est populi multitudo congregata, uel ex magistratus iussu, uel ex publici sacerdotis, uel interdum sua authoritate, & sponte propria, ad audiendum oratorem concionantem in bonum publicum, cuius etiam oratio uocatur concio. In priore significato est Græcè ἐκκλησία, quam nos pro Latina uoce habemus: multiq; ecclesiam, nescio quo iure, ædes sacras appellãt, quũ cœtum hominũ (ut dixi) significet, nõ loca.

Concio est populi.) Concio etiam suggestum significat undè uerba fiunt ad auditores. Cic. apud Gellium lib. 18. cap. 7. Ascendi in concionem, concursus est populi factus: Liuius ab Vrbe cond. lib. 3. In concionem Appius ascendit.

Aliud

Aliud lẽges esse, aliud iura. Cap. XLVIII.

LEges iuraque scriptum sæpẽ inuenimus: ex quo datur intelligi, aliud esse lẽges, aliud iura. Sunt igitur lẽges aut principis, aut liberi populi, quæ à rẽge conduntur, alterius consensum non requirunt. Quæ ad populum feruntur, quæq; sine eius iussu ferè ratæ non sunt, quia rogari, id est, interrogari de his populus solet, Rogationes etiam dicũtur. Iura autem magis generalia sunt. Siquidẽ & Ius gẽtium est, & Ius ciuile. Nam Ius generale dicere, quod natura omnia animalia docuit, ridiculum est. Appetitum coẽundi, atque adeò nocendi imbecilliori animali, spoliandi, occidendi, quis Ius esse dixerit? Ideoq; M. Tullius in lib. Offic. de Iure naturali silentiũ egit, inter solos hoĩes Ius esse significans: idq; gentiũ esse, uel ciuile. In Rhetoricis tamen ius naturale statuit, sed quod in homines tantummodò cadat: cuius species sex esse uoluit: Religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obseruantiam, ueritatem. Sed hæc hactenus. Ius ciuile dicimus tam lẽges, q̃ Plebiscita, Senatusconsulta, Decreta principum, Responsa prudentum: quod ultimum, uelut interpretatio est superiorum: quod qui profitentur, Iurisconsulti nominãtur. Qui uerò legem fert ad populum, ferè orator est, aut præsidio oratoris indigens, ut appareat quantò præstantior orator est, quàm Iurisconsultus, quum hic sit quasi illius scriba: aut ille præceptor, hic pædagogus: ille dux, hic ducis legatus atque assecla. Quid dicam de Iurisperitis, hoc præsertim tempore, qui quum maximo ab illis consultis interuallo distent, se literatorum arcem tenẽre arbitrantur, quorum quanta sit eruditio, uel hinc colligi coniectura potest, quod quoties Pau-

li

li, Vlpiani, aliorum'ue testimoniũ assumũt, legem nominant, quum longè aliud sit, legem esse, & habere unam lẽgis: quodq; deformius est, unam legem in plures lẽges partiũtur. uerbi caussa, Ad legẽ Aquiliam, quoties Scæuola, quoties Papinianus, alius ue quis loquitur, etiam si bina uerba, & quidem à superioribus dependentia, toties nouam legem appellant: non ab Aquilio Legislatore unã legem, sed ab infinitis interpretibus legum, infinitas lẽges esse iudicantes. Etiam titulum de uerborum significatione non legem, imò lẽges appellant. quo quid absurdius?

Aceruus, Strues, Strages, & Sarcina. Cap. XLIX.

ACeruus minutarum propriè rerum congeries est, ut frumenti & leguminis, ut salis, Interdũ aliquantò etiam maiorum, ut aceruus scutorum apud Vergilium, & ferè generale ad omnia est. Strues autem propriè lignorum. Strages uerò cadauerum interfectorum uno in loco, ac propriè iacentium multitudo, siue humanorum, siue mutorum. Sarcina utensilium, & eorum, quæ ad cultum, ad ornatum, & ad cæterum usum pertinent (ut sic dicam). Fascis, quẽ quis in itinere faciendo comportare possit. Siquidem milites cùm castra mouere uolunt, sarcinulas colligere dicuntur: & qui in aliam domum immigrant, sarcinas suas cõponere. Res enim nostras domi cistis capsisq; compositas, sarcinas uocamus, ut apud Quintilianum: Lacent relictæ sine hærede sarcinæ.

Inter Ministerium & Mysterium. Cap. L.

MInisterium ministri opera est propriè: sed pro omni operatione quoq; accipitur, ut de rẽge Latino Vergil. Mœstusq; refugit, Fœda ministeria. Mysterium uerò Græcum est μυστήριον, arcana quædãres, & propriè diuinis uiris, sacerdotibusq; tantummodò cognita. Illud prius in numero plurali solet accipi pro ministris, sicut seruitia pro seruis. Nam seruitium, aut seruitus ipsa, aut seruitutis actio est, ut Dauus apud Terentium: In And. Act. 4. sce. 1

Ego, Pamphile, hoc tibi pro seruitio debeo,
Gnari manibus, pedibus, noctesq; & dies
Capitis periculum adire, dum prosim tibi.

Adferamus etiam in alijs exẽpla. Sallust. Interea In Catili. seruitia repudiabat, quorum in initio ad eum magnæ copiæ concurrerant: quia opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existimans, uideri caussam ciuium cum seruis fugitiuis communicasse. Quintilianus sæpe ministeria pro ministris dixit, ut ibi: Nam torsit ministeria cæci. Et officia, pro officialibus, obsequiaq; exhibentibus. Paulus Iurisconsultus, teste Labeone, ait: Vrbica mimsteria dicimus etiam quæ extra urbem nobis ministrare consueuerunt. Vlpianus deniq; concubinam, filios naturales, alumnos, constituit generali adpellatione contineri, & si quæ alia sunt eiusmodi ministeria. Liui. lib. quarto: Frumento nanq; ex Hetruria priuata pecunia per hospitum clientumq; ministeria coëmpto.

Scurra & Parasitus. Cap. LI.

SCurra est, qui risum ab audientibus captat, non salua dignitate personæ. Parasitus, qui omnia ad uoluntatem eius loquitur, in cuius contubernio est, omnia assentatur: omnia illius facta simul ac dicta laudat: nihil repugnat: nihil facere recusat uentris gratia, in quo summum bonum constituit: quorum magna copia in principum domibus est.

Bucca, Gena, Mâla, & Cilium. Cap. LII.

BVccam & buccas pro eodem accipimus. Oratores frequẽtiùs in singulari. undè illud usitatum, Dicam quicquid in buccã uenerit, id est in os, sed non in labra, ut uulgus existimat, Quintiliano probante, qui ait: Ore enim magis, quàm labijs loquendum est. Sed uulgus errat atq; fallitur, cùm legit buccam, & duas buccas: in illa accipiẽs unum os, in his duo labra. Verùm ego ostendi, os ipsam concauitatem esse undè uox prodit, non oram labrorum. Etenim Iuuenalis cùm ait: Bucca foculum excitat, non de extremitate oris, sed de interiori parte dixit. quæ inflari solet, uentumq; concipere. Et iterũ de tubicinibus loquens: Notaq; per oppida buccæ, de illa deformi utrinq; inflatione intellexit tubam inflantium, non de labris, quæ latent cùm tuba canit. Nam & Horatius quoque cùm inquit:

Sermo. Saty. 1

- Quin illis Iuppiter ambas
Iratus buccas inflet: -

non de labris locutus est, quæ inflari nõ possunt. Quod Plautus apertiùs docet in Penulo: Nescias utrum ei maiores buccæ, an mammæ sient. Quid autem buccæ significent, ex Plinio audiamus, simulq; quid mâla, quid genæ, quid cilium. Hæc enim eodem loco tractat is, præterquàm quòd alibi dicit buccarũ sinus, & iterum buccarũ inanitas, ita libro undecimo ait: Sequar autem ipsius ordinem seriemq; libri: Quibus fragilia operimẽta, ijs oculi duri. Omnia talia, & pisces, & insecta, non habent genas, nec integunt oculos. omnibus membrana utri modo translucida obtẽditur. paulòq; pòst: Sed quadrupedi in superiori tantùm gena, uolucribus in inferiore. Ac paulò pòst: Grauiores alitum inferiore gena conniuent. At quadrupedes, quæ ouã pariunt, ut testudines, crocodili, inferiori tantùm sine ulla nictatione, propter præduros oculos. Extremũ ambitum genæ superioris antiqui cilium uocauêre, unde & supercilia. Hoc uulnere aliquo diductum non coalescit in paucis corporis humani membris. Infra oculos mâlæ homini tantum, quas prisci genas uocabant, xij. tabularum interdicto radi à fœminis eas uetãte. Pudoris hæc sedes. Ibi maximè ostẽditur rubor. Infra eas, hilaritatem risumq; indicantes buccæ. Et altior homini tantùm (quem noui mores subdolæ irrisioni dicauêre) nasus. Non alij animalium nares eminẽt. Auibus, piscibus, serpentibus, foramina tantùm adolfactus sine naribus. Et hinc cognomina simorũ, silonum. Septimo mense genitis sæpenumero foramina aurium & narium defuêre. Labra, à quibus bronchi labeones dicti. Ex his Plinij uerbis apparet, etiã eam in uultu partem uocari buccas, quæ uẽto inflari solet: Genam membranam illam, & quasi uestẽ, qua oculus integitur & cõniuet, id est, aperitur & clauditur, hoc enim est cõniuere. Mâlam uerò illud inter genam & buccam, quasi rotundum in speciem mâli (nam utrunq; horum uocabulorum primam longam habet: Malus uerò, mala, malum, primam breuem) cuius interior pars, quæ oris hiatũ efficit, ubi molares affixi sunt, maxilla dicitur, nomen diminutiuum non re, sed uoce. Mâlam quoq; genam dici, Plinius idẽ fatetur. Ideoq; dens ille intimus, & ipsi genæ affixus, genuinus dicitur: qui quia maximè latet, ea re factũ est iam tritum uetustate prouerbium, Genuino rodere dente, id est, latenter per inuidiam carpere famam alterius, & hoc (ut ille testatur) à posterioribus. Nam ueteres tan-

Plini. 11. cap. 37.

tùm membranam illã oculi genam appellabant: quam uetustatem à posterioribus quibusdam seruatam reperimus, nec poëtis modò. ut, Draconis genæ, pro oculis, continens pro contento: & Seneca in Tragœdia de Oedipo loquens, inquit, Et per irati sibi genas parentis, etiam continens pro contento: uerùm oratoribus quoq; ut Quintilianus de cæco loquens: Illa perpetua nocte clausæ genæ non custodierunt.

Pastio, Pastus, Pabulum, Esca, Pasco. Pascor, & Vescor. Cap. LIII.

PAstio uidetur significare cibum: sed tamen potiùs ad alimenta pecudum pertinet, quæ pasci dicimus: quanquàm suapte natura significat ipsam actionem pascendi, nunc frequentiùs cibum. Pastus homini competit. Varronis liber de re rustica titulum habet: De uallaticis pastionibus, uidelicet quæ ad bruta pertinent. Cicero Tusculana. lib. 5. Cum oblectatione solertiæ qui est unus suauissimus pastus animorum. Pabulum est pecudum quidem. & tamen aliorum quoque brutorum, quantumq; ego sentio, magis cibus herbaceus, fœniceusq;, ac paleaceus, & stramenticius, similiumq;, quàm ex seminibus. A Pasco enim & hoc descendit, sicut Pastio. Escam antiqui accipiebãt etiam quod dabatur auibus piscibus ue ad decipiendum, non solùm pro cibarijs humanis, aliorumq; animalium. Quo modo autem Pasco neutrum, & Pascor deponens, idem significent, Priscianus uiderit, qui hoc sibi persuasit. Est enim Pascor comedo et uoro, semperq; regit accusatiuum, illud uerò sine accusatiuo, ut:

- Pascentes seruabit Tityrus hœdos,

Propriè pascere bestiarum est, sicut uesci hominum, nisi quòd hoc regit ablatiuum, & aliquando potium quoq;

quoq; complectitur, ut Anacharsis apud Ciceronem: Carne, caseo, lacte uescor. Pro quo significato non rectè dicam, carnem, caseum, lac pascor. Aliud ergo est Pascor, aliud Vescor.

Cornucopiæ authoraliter de pascere sentit contra Vallã. DOLET.

Pastus homini competit.) Conuenit brutis quoque pastus. Cic. Offic. 1. Principiò generi animãtium omni est à natura tributũ, ut se, uitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea quæ ei nocitura uideãtur: omniaq;, quæ sunt ad uiuendum necessaria, inquirat & paret: ut pastum, ut latibula, ut alia eiusdem generis. Idem de natura Deor. 2. Quis pecudum pastus? quæ uita syluestrium?

Incola, Inquilinus, & Accola. Cap. LIIII.

INcola qui in alterius regione habitat, et in aliena ciuitate atq; republicæ. Inquilinus, qui in alieno priuato, propriè tamen in conducto, siue in urbe, siue in rure. Cicero de officijs: Peregrini & incolæ officium est, nihil præter suum negocium agere, nec esse in aliena republica curiosum. Idem in Philippicis: Quæ in uilla ista antè dicebantur, quæ in literis mandabãtur, iura populi Romani, monumenta maiorum, omnis sapientiæ ratio, omnisq; doctrina. At uerò te inquilino, non domino, personabãt omnia uocibus ebriorum. hoc est in quo incola differt ab inquilino. Rursus incola uita differt ab accola, quod incola qui in loco, accolæ qui ad locum habitat: ideoq; quicũq; iuxta aquas sunt, accolæ dicuntur, nec rêfert, in suo an in alieno, ut Accola Vulturni, accola Padi, accola Rhodani. At qui in montibus domos urbesq; positas habent, incolæ dicuntur: qui iuxta montes, accolæ. Nec immeritò legẽdum est illud in Psalmo 104. Et Iacob incola fuit in terra Cham, non autem accola. quia uox Græca etiã consentit παροίκησεν, licèt multis alijs in locis apud Hieronymũ quoq; hoc uocabulũ reperitur sic positũ.

Campus, Area, & Ager. Cap. LV.

CAmpus est planicies terræ ampla & grandis, ideoq; spaciosæ plateæ areæ ue, campi nomen accipiunt. Vnde Romæ campus Martius: nam locus huiusmodi angustior uocatur area. Ager uerò tum circũiectus ipsi urbi territorium, ut ager Campanus, ager Leontinus, ager Faliscus: tum locus in rure, quem colimus, siue arando, siue conserendo. Nam is qui seritur frumẽtis, aruum nominatur. Verùm in hoc secundo significato habet pluralem numerum, ut Omnes agros ciuium, depopulatus est: in priore nõ habet, duntaxat dum loquimur de singularum urbium territorijs: non enim dices rectè sic: Antonius dedit militibus suis agros Campanos & Leontinos: nam hoc pacto nõ complector nemora, saltus, pascua, desertos montes: sed sic potiùs: Dedit militibus suis agros, Campanum et Leontinum, id est, agrum Campanum & Leontinum: quo quidem modo complector omnia quæ in territorio illo sunt. Ager etiã flumina, lacus, cæteraq; omnia includit.

Sylua, Lucus, Saltus, & Nemus: Cap. LVI.

SYlua, & Lucus, Saltusq;, sic differũt, quia Sylua generalius nomen. Præterea solet esse cæcua. Lucus nequaquàm cæcuus est, quin potiùs manu consitus, religiosusq;, atq; uel alicui deo, uel alicuius hominis cineribus consecratus. Ideoq; aut circa delubra uirginum, aut circa sepulchra uirorum positus est. Saltus uerò sylua inuia, nec transeuntibus peruia, in quo pasci atq; æstiuare solent, aut si locus aërq; patiatur, hyemare. Nemora autem uoluptatis caussa comparata sunt, & plena amœnitatis.

Fœmora,

Fœmora, Fœmina, & Coxa. Cap. LVII.

FOemora partem illam exteriorem significant. Fœmina partem interiorem molliorem q̃, quæ se contingunt: uel, Fœmora partem anteriorem, Fœmina posteriorem. Liuius lib. 22. Quosdam & iacentes uiuos succisis fœminibus poplitibusq; inuenerunt. A quo conficitur nomen Fœmoralia, siue, Fœminalia (utroq; enim modo scriptum reperio) pro braccis. Tamen nominatiuus Fœmen non reperitur. Coxa pars supra fœmora, uertebrumq; ipsum, quoties uiciatũ est, aut os illud, quod in uertebro uoluitur. fractum, coxa uiciata, fracta'ue dicitur.

Crimen & Flagitium. Cap. LVIII.

CRimen non modò pro delicto, sed pro ipsa etiã criminatione. Cice. in Philippicis: Hæreditatem mihi negasti obuenisse, utinã hoc tuum uerum crimen esset. Flagitium propriè in libidine, quasi flagris dignum crimen, sed pro cæteris quoq; peccatis accipitur: nec tantùm turpibus, uerum his etiam, quæ per negligentiam, imprudentiam, obliuionemq; committuntur. ut idem in Bruto: Tantam'ne fuisse obliuionem, inquit, in scripto præsertim, ut ne legens quidem senserit quantum flagitij admisisset, id est, erroris.

Vectigal & Fœnus. Cap. LIX.

VEctigal non solùm ex publico, uerumetiam ex priuato capitur, ut in Paradoxis Cicero: Ex meo tenui uectigali capio ego ducenta. Et iterum: Non intelligunt homines, quantum uectigal parsimonia est. Paulus: Cæsæ arundinis, uel pali compendium, si in eodem fundo uectigal esse consueuit, ad fructuarium pertinet. Ex omni tamẽ prædio uectigal

est. Fœnus uerò ex solo ipso. Nam dicitur naturalis fructus terræ fœnus. Posteà autẽ ad usuram translatum, quasi pecunia per se fructũ producat, sicut terra.

Luctus. Cap. LX.

LVctus est dolor, qui exteriùs proditur uultu ipso atq; aspectu. Sæpe ipse habitus uultus atque uestis, luctus est. Vndè secundo bello Punico, post cladem illam Cannensem, censuerunt patres conscripti, ne fœminæ ulera triginta dies in luctu essent: nõ inde licet, ne in dolore (non enim imperare dolori possumus) sed ne in illo lugubri habitu. Et matronæ Iunũ Brutum anno luêre, tanto tẽpore iuẽ Publium Valerium.

Ocium. Cap. LXI.

OCium uacatio à labore, quod notum est: cuius contrarium est negocium. Sed quia hi, qui studijs operam dant, necesse est ut non negocioſi sint: factum est ut ocium pro literario studio accipiatur, ut Quintilianus: Inquirendo scribendoq; talia, solemur ocium nostrum. Non desiderat ocium solatium, sed labor, Ergo pro labore studij ocium accepit. Cicero: Quid dulcius ocio literario, id est, studio, & (ut ita loquar) negocioso ocio? Tale quid habet apud Græcos σχολή.

Amor, & Charitas, & Penuria. Cap. LXII.

AMor genus est, charitas species. Illud ad omnia pertinens, hoc autem ad homines. Demum & quidem pro dignitate ac qualitate personarũ. Maxima quidem charitas debetur parentibus, proxima filijs, & deinceps reliquis. Caritatem etiam pro penuria accipimus: sed frumenti quidem & annonæ caritatem dicimus: penuriam uerò uini, aquæ, pabuli, pecorum

rum, pecuniæ, uirorũ, cæterarumq; huiusmodi rerum. uel, Pœnuria est (ut sic dicã) carẽtia omnium rerum: Caritas uerò, quæ contraria est uilitati. Ideoq; Plinius Iunior ait, accessisse agris suburbanis caritatẽ. & Quintilianus cùm ait: Itaq; caritas annonæ, narum frumentum, cædes ac direptio pecorum: idem est, ac si dixisset, Caritas annonæ, penuria frumenti.

Seditio & Factio. Cap. LXIII.

SEditio uel à seorsum * se dando, uel (ut Ciceroni placet) à seorsum eundo dicta, tunc est, cùm populo secum discordante, res ad manum uocatur. Qualem ciuitatis statum Vergilius describit, sic dicens: * Aliãs secedendo

Ac ueluti magno in populo cũ sæpe coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus, 1. Aeneid.
Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat

Similiter dicitur seditio in exercitu, in classe, in schola, & si quid est tale. Factio est diuisio ciuium in diuersa studia, cùm aliqui se principes & primarios in ciuitate efficere conantur, inter quos æmulatio est, qui & factioſi dicuntur, pro se quisq; quàm maximam potest ciuium multitudinem (qui clientes uocantur) ad se trahens, sibiq; quouis pacto per fas nefasq; cõcilians, quæ pestis intestina cũctas ciuitates duntaxat Italiæ infecit.

Bellum, Prælium, Pugna & Certamen. Cap. LXIIII.

BEllum est tum ipsa pugna, tum totũ tẽpus, quo in militia sumus, quã illiterati guerram uocãt: Prælium ipsum tantummodò armorum certamen. Nam & pugna certamenq; etiã circa arma fit, interdum etiam fit nudis uerbis.

Copia & Copiæ. Cap. LXV.

COpia, facultas potestasq; est, ut, Faciã tibi copiam inspiciendi libros meos. id est, dabo tibi facultatem, uel faciam tibi potestatem. Vt enim alio loco dixi, semper iunctum est cum uerbo facio, duntaxat apud oratores. Nam poëtæ cum alijs uerbis, & præcipuè cum Do, ut Vergilius:

Affari extremum miseræ data copia matri,

Et iterum:

Postq; introgressi, & coràm data copia fandi.

Sine autẽ his duobus uerbis, copia plerunq; pro abundantia accipitur. Vnde dicta est copia orationis, & copia pecuniarum, & copia frumenti. In plurali quoque pro eodem significato: ut, Nôui copias tuas, Omnium rerum copias habeo. Peculiariter tamen adpellamus militum multitudinẽ, ut Copiæ Pompeij, copiæ Cæsaris, copiæ aduersariorum: pro quo imperiti dicunt gentes aduersariorum, gentes nostræ. Et in hoc etiam significato nõnunquam in singulari, ut Pompeius ad Domitium: Neq; solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris. Idem ad eundem: Etiam atq; etiam hortor, ut cũ omni copia quamprimùm ad me uenias. Sallustius: Postremò ex omni copia Catilinæ, neque in prælio, neq; in fuga quisquam ciuis ingenuus captus est. Vergil. in secundo Aeneid.

Et quæ sit me circùm copia lustro.

THEOD. Semper iunctum est cum uerbo facio.) Plinius tamen Cælius in Panegyrico: Nec uerò emendi tantum ciuibus tuis copiam præbes, sed amænissima quæq; largiris & donas.

Elogium. Cap. LXVI.

ELogium est testificatio de aliquo, siue honoris, siue uituperationis caussa. Vituperationis, ut Quintilianus: Non est iudices quòd putetis ideò nullum adiectum ad exhæredationem iuuenis elogium, quia de scelere constaret. Et alibi: Si exhæredatum à se filiũ pater testatus fuerit elogio, propterea quòd is meretricem amaret. Multa sunt huiusmodi exempla apud iurisc̃onsultos, sed unum sufficerit Modestini, ubi huius nominis (nisi ab altero adiecta sit) interpretatio reperitur. cuius hæc uerba sunt: Desertorũ auditum ad suum ducem cum elogio, id est, cum uituperatione mittat. Honoris caussa, ut M. Tullius: In quod elogium plurimæ consentiunt gentes, uirum esse ciuitatis primarium, & cætera. Et iterum: Quid elogia sepulchrorũ? Quæ qualia sint, Suetonius in Claudij uita ostendit, dicens: Nec cõtentus elogium tumulo eius uersibus à se compositis insculpsisse, etiam uitæ memoriam prosa oratione composuit. Seneca in declamationibus: Decessit negociator, testamento omnium bonorum reliquit formosam uxorem hæredem, & adiecit elogium, Quia pudicam cõperi. Pro simplici autem sentẽtiæ suæ testificatione. Cice. Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat uelle suam mortem dolore amicorum & lachrymis uacare. In Tuscul.

Condictio & Conditio. Cap. LXVII.

COndictio à Condico nascitur: Conditio à Condo. Illud rarius est, quod ita Iustinianus (si credimus hominẽ Græcum Romana iura potuisse præscribere) diffinit: Condicere est denunciare prisca lingua. Nunc uerò abusiuè dicimus cõdictionem actionem in personam, qua actor intendit sibi dari oportere. Instit. lib. 4. tit. 6.

re. Nulla enim hoc tempore eo nomine denũciatio fit. Ergo condictio erit uel hæc actio, uel illa denunciatio. Conditio uero multi his temporibus male (ut pleraq;) usurpant, accipiẽtes pro mentis qualitate. ueluti, Hic est homo mansuetæ & bonæ cõditionis: quod antiqui dicebant boni & mãsueti ingenii. Nos quoq; mansueti animi, & mansuetæ mentis: Nos cũ dico, de illis dico, qui latinè loquuntur. Nam homo bonæ cõditionis, latinè dicitur, si ad fortunas referatur, non si ad mores: ut, Ille est uir magnæ, paruæ, mediocris conditionis, id est, diues, pauper'ue, aut inter hos medius. Ego sum positus in hac conditione, id est, fortuna ac sorte. Cic. O miserã conditionẽ administrãdi Consulatus. Huic significato illud penè par est, cùm inter plura eligendæ sortis est oblata electio, ut apud M. Fabium: Oblata est à iuuenibus tyranno conditio, ut dimitteret alterũ ad uisendã matrẽ, ad diem præstitutum reuersurũ, ita, ut nisi occurrisset ad diẽ, de eo qui restiterat, pœna sumeretur. Dicimus igitur, Offero conditionẽ, uel fero, uel pono conditionẽ. Nunquam ferè per aliud uerbum. Quæ conditio dum placuit, etiam ferè semper dicimur accipere conditionẽ, ut apud Terentium, amatores Chrysidis tulerunt mulieri conditionẽ, si uellet eis morẽ gerere, se daturos illi precium liberalemq; mercedem: Ipsa uerò accepit conditionem, hoc est, pactioni promissionique assensit. Ab illo significato non longè absunt, Offero electionem, Do optionem. Hæc tamen solent esse inter plura, illud uerò in uno frequẽtiùs, ut, Offero electionem utrum uelis eligendi, &, Do optionem quod uelis potissimùm optandi: deinde tu aut eligere te dicis, aut optare. Offero conditionem Chrysidi, unam scilicet.

Frondes

Frondes & folia. Cap. LXVIII.

FRondes arborum sunt tantùm: Folia autem & arborum, & herbarum, & florum quoq;.

Excubiæ & Vigiliæ. Cap. LXIX.

EXcubiæ diurnæ, & nocturnæ: Vigiliæ tãtummodò nocturnæ.

Suffragia. Cap. LXX.

SVffragia sunt (ut sic dicam) uoces quæ dicebantur ad comitia, in tabellã ue scribebantur, quibus suam quisq; declaret uoluntatem de aliquo eligendo in magistratum: qualis hoc tempore electio summi pontificis, & eius quem Cæsarem Augustum Christiani non erubescunt appellare, à damnatis nominibus tyrannorum, qui non modò oppressêre rempublicam, ut nemo iam possit uocari rex Romanorum, sed sub eorum gladio REX uerus cœli & terræ occisus est. Et posteà isti insani, & nostræ religionis immemores, uocant diuum Augustum, diuum Claudium, diuum Traianum, quasi uulgus atque homines possint principes referre in deos. Sed hæc omittamus, hoc tamen dicentes, Romanos non agnoscere rẽgem aliquem: & quum cæteræ gentes in libertateem se asseruerint, hoc multò magis nobis licere. Suffragia igitur (ut dicebam) sunt uoces in electionibus, quod suffragium, quia cui præstamus, nimirum eidem gratum facimus. hinc factum est ut Suffragium pro auxilio sæpe ponamus, et Suffragor pro auxilium fero. Refragor, repugno, propriè quidem in dictis, sed nonnunquam & in factis.

Catulus, Pullus, Hinnulus, & Fœtus. Cap. LXXI.

Catuli

CAtuli sunt ferarum, siue immitium, siue mitium: nam & catulos murium legimus. Pulli uerò pecudum. Fœtus auium & piscium: quanquàm & hoc generalius nomen est. Vndè Fœtificare pro párere, & Fœtura pro partu, ad omnia animalia muta pertinet. Ceruorum hinnulos dicimus, capreolorum quoq;, caprearum, damarum, leporum, similiumq;. Catulos quoq; serpentum, ut Vergilius de colubro:

- Catulos tectis, atq; oua relinquens.

Immanium q̃ piscium, qui non edunt oua. Propriè tamen catuli sunt filioli canum. Vergil.

Sic canibus catulos similes. -

Cicero de Diuinatione: Erat autem mortuus catellus eo nomine.

PEROT. Fœtus auium & piscium.) Fœtus nõ auium tantùm & piscium, sed generaliter omnium animaliũ, etiã rationalium est. quin & rerum quoq; inanimatarum: ut fœnum terræ fœtum dicimus, à quo nomen habet: & fœnus fœtum pecuniæ, à quo simili modo ita uocatur. Plinius de homine: Legimus mulierem Aegyptiam binos fœtus quater enixam. Idem de feris: Totus tigridis fœtus, qui semper numerosus est, ab insidiatore rapitur equo. Idem de terra: Quòd si innumerabiles terræ fœtus consideremus. Pullus uerò non tantùm de pecudibus dicitur, sed etiam de auibus, maximeq; gallinis. Vnde pullaster fit, & pullastra, quæ duntaxat gallinacei generis sunt. Plinius: Antequam gallina pullos excludat. Idem: Inter columbarum pullos sæpe oua inueniuntur, & alij prouolant, alij erumpunt, ipsi déinde pulli quinquemestres fœtificant. Idem de apibus: Apes dum incubant, maximè murmurant, caloris, ut putant, faciundi gratia necessarij excludẽdis pullis. Idem de equis. Quapropter subreptos statim pullos in tenebris equarum uberibus admouent. Et de plantis, ut paulò antè ostendimus. Manifestum est igitur pullum generale nomen esse teneræ atq; imbecillæ ætatis.

Lues & Pestis. Cap. LXXII.

Lues

LVes & Pestis hôc differunt, quo genus & species. Nam cum in urbe aut in agro febris, aliud'ue genus morbi sæuit, siue solos homines, siue sola pecora, siue utrosq; corripiens, lues dicitur: interdum etiam si arbores, ac sata. Pestis uerò aut citô occidit, aut citò abit ab eo quem inuasit: quæ eadem dicitur pestilentia. Nonnunquam tamen pro lue ponitur, atq; ad animi uicium sæpe transfertur.

Corpus & Caro. Cap. LXXIII.

COrpus potiùs quàm carnem nostrum uiuentium dicimus: & hominem corpulentum potiùs, quàm (ut aliqui loquũtur) carnosum. Quintil. in sexto: Corpulento litigatori, cuius aduersarius item puer circa iudices erat, ab aduocato latus, quid faciam: te ego hilarare non possum. Item in primo: Ossa detegunt, quæ ut esse & astringi neruis suis debent, sic corpore operiẽda sunt. Idem in quinto: Neruisq; illis, quibus causa continetur, adijciunt, inducti super corporis speciem. Et alibi: Hæret adstricta nudatis ossibus cutis, & infame suæ homine consumpto, iam membra sine corpore. Cicero ad Gallum: Ego hîc cogito cõmorari, quoad me reficiam: nam & uires & corpus amisi. Sed si morbum depulero, facilè (ut spero) illa reuocabo. Quod etiam significauit Martialis, cùm ait:

Viuebant laceri membris stillantibus artus,
Inq; omni nusquam corpore corpus erat.

uidelicet quòd in corpore illius non erat caro.

Corpus potiùs quàm carnem.) Corpus interdum usurpatur pro factione, collegio, ordine, & hominum congregatione. Liuius dec. 1. lib. 1. Oriundi ab Sabinis, THEOD.
ne (quia post Tatij mortem ab sua parte nõ erat regnatum) in societate æqua possessionem imperij amitterẽt, sui corporis creari rẽgem uolebant. Libro 4. Alter uir-

gini

gini genere par, tutoribus fretus, qui & ipsi eiusdē corporis erant. Martianus. ff. de collegijs & corporibus: In summa autem (inquit) nisi senatusconsulti authoritate, uel Cæsaris, collegium, uel quodcunq; tale corpus coierit: contra senatusconsulta, & mandata, & constitutiones, collegium celebratur.

Lamina & Bractea. Cap. LXXIIII.

LAminam tam ferream, æream, plumbeam, stanneam, quàm auream, argenteam, electream, auricalceam dicimus: Bracteam potiùs ex his posterioribus: aut certè Bractea tenuis est, & sua sponte plicabilis: Lamina uerò crassior, ex qua armatura conficitur, & qua incensa olim homines torquebātur: nec crepitat, ut bractea præ tenuitate. Vergilius in sexto:

Talis erat speciēs auri frondentis opaca
Ilice, sic leni crepitabat bractea uento.

Veruntamen ita tenuis nonnunquàm bractea est, ut crepitare non possit, ut illa ex qua fit auratura, & argenteatura.

Munimenta & Monumenta. Cap. LXXV.

MVnimenta sunt munitiones castrorum, cæterarumq; rerum, quæ contra aduentum hostium muniunt, siue uallo & fossa, siue alio quouis modo, quo sunt milites (ut dixi) ab hostium aduentu muniti. Monumenta, i mutata in u, sepulchra, statuæ, tituli libri, cæteraq; quæ nos alicuius rei præteritæ moneant. Nam de futuro (ut quidam uolunt) ideò sepulchra appellari monumenta, quòd nos nostræ ipsorumq; mortis admoneant, falsum est. In honorem enim mortui illa tantummodò fiunt, non in publicam præceptionem. uixq; monumenta dixerim, nisi literæ aut alij tituli appareant: quæ si desint, magis sepulchrum quàm monumentum erit. Liuius lib. quadragesimooctauo: Verobique

bique monumenta ostenduntur, & statuæ. Nam & Interini monumētum, monumētoq; statua superimposita, quam tempestate disiectā nuper uidimus ipsi, & Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt: quarum duæ P. & L. Scipionū dicuntur e, esse. Dicitur esse tertia poëtæ Quinti Ennij.

Opera & Opus. Cap. LXXVI.

OPera est actio, ut, Dabo operā, & in Iure ciuili de operis libertorū. Cic. de officijs: Non malè præcipiunt, qui seruis uti iubent, ut mercenarijs iusta præbenda operam exigendam, id est, laborem et operationem corporis: siue (ut ait Vlpianus) operæ sunt diurnum officiū. Opus est finis fructusq; operæ. Vnde opera authorum dicūtur, ut opera publica, ipsæ publica ædificia. Nonnunquàm uidetur opus pro opera accipi, uti Vergilius: Lib. 38. tit. 1. Et de operis seruorū lib. 7. tit. 7.

Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit:

quasi ad operas. Sed (ut uidere uideor) quoties non ad laborem corporis, sed laborem animi, & artem industriamq; respicimus, magis opus quām opera dicēdum est, ut, In opere rustico, in opere faciendo, in opere fabrili, in opere textorio. Hanc differentiam ita ponit Seruius: Hoc opus, et Hæc opera tūc dicimus, quando negocium ipsum significamus quod geritur. Si autem fœminino genere dixerimus Operas, ipsas personas, quæ aliquid faciunt, sicut custodia dicitur, quæ custodit; ut, Cernis custodia qualis. Nam ut bi qui custodiūtur, custodia dicantur, usurpatum est: undè male est in usu, Custodiæ audiuntur. hæc Seruius. Sed non absolutè diffinit Opus & Operā. utrūq; autē horum nominum in eodem posuit loco Terentius: Quod

in

in opere faciundo operæ consumis tuæ, Si sumas in illis exercendis, plus agas. Operæ autem precium ab opera est, ut uersus indicat Iuuenalis:

Est operæprecium penitus cognoscere toto
Quid faciant agitentq; die.

id est, fructuosum est, & ad rem pertinens: ideò, uel quia decens, uel quia utile, uel gloriosum, uel quia iucundum. Ab hoc nomine Liuius exorsus est, dicens: Facturus ne operæprecium sim, si res gestas populi Romani ab initio perscripserim, necdum scio, nec sciam, dicere ausim.

Solatium, Consolatio, & Solamen. Cap. LXXVII.

SOlatium & Consolatio idem sunt, nisi quòd illud re, hoc uerbis fit. Quintil. Cæcitatis miseræ solatium est, habere rem uidẽtium. Idem: Itis obuiam consolationibus, & (quod omnem modũ feritatis excedit) captatis in magna calamitate laudari. Nec mirum, quum consolari sit oratione, solari uerò semper fere aliter. Nolo adferre plura malẽ utentium exempla, quæ facilè quilibet sibi inueniet. Cicero tamẽ de Attici tia ait: Ipse me cõsolor, et maximè illo solatio, quod eo errore careo, quo in amicorum discessu pleriq; angi solent. Vtrunq; rectè dictum est. Quid enim non rectè Cicero dicat? Nam cùm se tanquam alterum, quasi colloquio à mœrore reuocet, debuit dicere Consolatur. Quis uerò oratione non utitur, Solatium dicere potuit. Solamen idem quod solatium est, sed magis poëticum. Vergil.

Vtiẽ hoc uerbo Cicero in Lęlio: Et si illis planè orbatus essem, magnũ tamẽ ferret mihi ætas ipsa solamẽ

Solamenq; mali de collo fistula pendet.

Quo tamen Boëthius, & quidam alij utuntur.

Affectus, Affectio, & Affectatio. Cap.

Cap. LXXVIII.

ADfectum nusquam uideor reperisse apud M. Tullium, frequẽtissimè Adfectionem. Contrà apud Quintilianum, frequentissimè Adfectum, rarò Adfectionem: ut illo loco (si modò nõ est mendosus) ubi ait: Cupiditas caussa sceleris fuit, quæuis eius ira quantum efficiat in animis hominum talis adfectio. Nescio an sit adfectus. Et in alio loco: Illa uerò frigida & puerilis in scholis adfectio. Adfectionem Cicero modò sic diffinit: Adfectio est animi & corporis ex tempore aliqua de caussa mutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas & alia quæ in eodem genere reperiuntur. Modò sic: Adfectio est quædam ex temporum, aut ex negociorum euentu, aut administratione, aut hominum studio commutatio rerum, ut non tales, quales antè habitæ sunt, aut plerunque haberi solent, habendæ uideantur. In Tusculanis idem author: & alibi, Voluntatem hominis adfecti ad uirtutem, atq; ipsam uirtutem animi appellari adfecti onem ait, qualis non est adfectus, qui Græcè dicitur πάθος. Quod ipse Cicero interpretatur, perturbationem malens dicere, quàm morbum, quo nomine sæpissime utitur. At Quintilianus non perturbationem, sed adfectum nominat: neq; ipse aut solus primus, sed plerique ante eum, ut Seneca, Plinius, Rutilius, Columella, Valerius, Liuius, aliiq; multi. Ita enim ille ait: Quod Græci πάθος uocant, nos uertẽtes rectè ac prior rectè adfectum dicimus. Illa igitur (ut ego quidem sentio) adfectio, Græcè πάθος dicitur, quam nostrates philosophi in latinum uertentes, appellant dispositionem. Aliquibus tamen uideri posset diffinitio illa Ciceronis hunc quoq; significatum, qui est πάθος, com- Li. 6. ca. 2

plecti. Quibus, quia ad rem non multùm attinet, non sa-
nè repugno, quum præsertim omnes ferè Iurisconsul-
ti, omnesq; ecclesiastici scriptores, adfectionẽ pro ad-
Adfectus fectu accipiant. Est autem adfectus pars illa animæ
qualitatis, quæ è regione rationis est. Quidquid enim
in anima præter partẽ illã memoriæ ratio non est, ad-
fectus est: & rursus, quidquid non est adfectus, ratio
est. Ab hoc fit adfecto, quo etiã Cicero ipse sæpe uti
tur in libris ad Herennium: Non tam adfectanda
quàm superiores, sed tamẽ adhibenda nonnunq;. Apud
eundem nunquàm (nisi me incuria fefellerit, aut memo-
ria fallat) legi adfectationem, frequenter apud Quinti-
lianum & cæteros, ut ibi: Nihil odiosius adfectatio-
ne, id est, adfectu conatuq; æmulandi alterius uirtutẽ,
quam assequi nequeas, refragãte natura, uel nimio adfe
ctu, nimioq; conatu alterius uirtutem æmulandi: ita ut
turpe sit ac deforme, sic auidè æmulari.

Latebræ & Latibula. Cap. LXXIX.

LAtebræ hominum propriè dicuntur: Latibula
ferarum. Quintil. Et quanuis odio euersoris no-
stri euocatus è latebris suis, populus subsellia non im-
plet. Cicero: Videant ne quæratur latebra periurio, id
est, excusatio periurij. Latibula nonnunquam homi-
num: Latebræ etiam ferarum. Liuius lib. 47. Inter
uepres in latebris ferarum noctem unam delituit.

De Luce & Tenebris, Die ac Nocte. Cap. LXXX.

LVce & Tenebris, pro die ac nocte accipere sole
mus. Differt tamẽ, Prima luce, & Prima die.
Nam ibi intelligitur prima pars diei, & quasi dilucu
lum, hîc autẽ prima dies. Ita primis tenebris, & Pri
ma nocte. ibi de prima parte noctis loquimur, hîc de
nocte

nocte ipsa. Ideoq; Ante lucem meliùs dicimus, quàm
Ante diem, si diluculum significamus. Nam Ante
diem, pro Ante tempus dici solet: præterquã si de cer
eo die loquamur, ut: Ante diem decimum, uel ante sex-
tum calendarum Nouembrium, id est, sexto die ante
calendas Nouembris. In quo loco præceptum Pauli
inferere nõ inutile fuerit, qui ait: Ante diem decimum
calendarum, & post diem decimum calendarum, æquè
utroque sermone undecima dies significatur. Verùm
non quemadmodùm Ante lucem meliùs quàm Ante
diem pro diluculo dicimus: sic Ante tenebras, quàm
Ante noctem pro crepusculo: sed ediuersò potiùs.
Reperitur autem Luci pro Luce, ut Vesperi pro
Vespere: & Ruri pro Rure. Cicero in Philippi-
cis: Quis enim audeat luci et in militari uia. Diẽ pro
diurno tẽpore, itemq; pro certo tempore, uolũt esse ma
sculini generis, notaueruntq; Vergilium indifferenter
accepisse. Ego tamen & apud hunc, & apud cæteros
pro tempore ipso semper adnotaui esse fœminınum, ut:
Ipsa dies facit hominem prudentem, &, Multa dies
magnam dat hominibus rerum experientiam. Vndè
Pœdianus uult fieri Dieculam, pro paruo tempore.
Et apud Iurisconsultos bima, trima, quadrima die,
pro tẽpore biennij, triennij, quadriennij, quod Iurispe
riti non intelligunt. In certo tẽpore, Pœdianus idem
cõsentit debere esse generis masculini. Dicemus ergo,
Hesterno die, & crastino, non Hesterna die, & cra-
stina. Ad diem non uenit, ad diem nõ adfuit, id est, die
præstituto.

Itemq; pro certo tempore.) Dies pro certo tempo-
re tam fœmininum quàm masculinum est. Cicero in Ca
til. Orat. 2. Patefeci in Senatu hesterna die. Ad Atticum
lib. 2. Nos in Formiano esse uolumus usq; ad pridiè no-

nas. Eò si ante eam diem nõ uêneris, Romæ te fortasse uidebo. Idem Tuscul. 5, Multa prima die cũ de ipsa mor te quæreremus.

Orator, Rhetor, & Declamator. Cap. LXXXI.

ORator, qui caussas orat uel in iudicijs, uel in cõcionibus, qui Græcè dicitur ῥήτωρ, id est rhetor. Nos tamen rhetorem professorem Rhetoricæ uocamus, non oratorem: mirorq; cur in hoc tam facili peruulgatoq; nomine exponendo Victorinus errauerit. Declamator est, qui studens apud Rhetorẽ, in conuẽtu scholasticorum fictam caussam orat, id agens ut in ueris posteà causis possit orare. Ipsa quoq; Rhetor, & quicunq; alius etiam extra scholam hoc ipso genere utitur, siue ut alios, siue ut se exerceat, Declamator uocatur. Nonnunquàm tamen more Græco reperimus poni, ut Cice. lib. 2. de natura deorũ: Hæc cum Cotta dixisset, tum Velleius, Ego, inquit, incautus qui cum Academico, & eodem Rhetore, congredi conatus sum. Nam neq; indisertum Academicum pertimuissem, neque sine ista philosophia Rhetorem, quamuis eloquentem. Rhetorem dixit uel oratorem, uel Rhetoricum.

Peregrinus & Hospes, Diuersorium & Hospitium. Cap. LXXXII.

PEregrinus & Hospes hoc differunt, q. peregrinus uocatur qui in ciuitate sua non est: hospes qui in aliena est. uel peregrinus, qui ex nostra ciuitate oriundus non est: hospes, qui in nostra est. Cicer. Vos soli in hac urbe hospites estis, uestræ peregrinantur aures. Quintil. Attica anus Theophrastum hominem alioqui disertissimum, annotata unius adfectatione

ne uerbi, hospitem dixit: Nec aliô id se reprehendisse interrogata respondit, quàm quòd nimium Atticè loqueretur. Pro hoc imperiti dicũt Forenses, aut Extranei (loquendum enim nonnihil barbarê est, ut barbariem emẽdem). Hospites igitur sunt tam qui in priuato alicuius hospitio sunt. quàm qui in publico, quod diuersorium, uel tabernam meritoriam appellamus, tamq; qui recipit, quàm qui recipitur. Vndè Ouid.

-Non hospes ab hospite tutus.

Cice. Per dextram istam, quam hospes hospiti porrexisti. Sed ille receptor propriè uocatur, qui priuatim & amicitiæ caussa recipit. ut idem: Fuit mihi cum illo uetus hospitium, id est, amicitia familiariter uel mihi hospitandi apud illum, uel illi apud me. Vnde hospitales homines, qui amore non precio hospitium suum communicant. Hospitium & priuatum & publicum dicitur. Liui. Tarento Hannibali per dolum prodito, ait hospitia tãtummodò Romanorum à militibus fuisse direpta. certè priuata, non publica. Cice. Ex hac uita sic decedo tanquam ex hospitio, non tanquàm ex domo. Commorandi enim natura diuersorium, non habitandi dedit. Pro eodẽ posuit Diuersorium & Hospitium. Desenect.

Conciuis, Conterraneus. Cap. LXXXIII.

COnciuis, qui eiusdem ciuitatis est: Conterraneus, qui eiusdẽ terræ, hoc est territorij. Maior est enim terra, quàm urbs, oppidum'ue, cuius habitatores uocãtur ciues. Cicero: Eorum qui in hac terra fuerunt, magnamq; Græciam, quæ tum florebat, institutis & præceptis suis erudierũt. Plinius tamen Catullum cõterraneum suum uocat, uel quòd ex dio cesi illa, quòd ex urbe sit Veronensi. Vterq; enim di- Aristarchus.

Dispensatio.

ctus est Veronensis. Nam illius nepos, & per adoptionem filius fuit Nouocomẽsis, & ideò Plinius secundus et ipse dictus est. Quidam librum nuper sic inchoauit. Fauonius ciuis meus, optime princeps, & consul tuus. cùm dicere debuisset, Conciuis meus. Dominus enim ciuitatis ciuem suum uocat, quia nõ potest adpellare conciuem. Quemadmodùm miles socium in militia, non militem suum uocare potest, sed commilitonem: & discipulus eum, qui unà eidem præceptori dat operam, non discipulum suum, sed condiscipulũ. E diuersõ præceptor non uocat auditores suos condiscipulos. Et dux in bello non commilitones, sed milites suos adpellabit. licèt Cæsar, & quidam alij, adpellauerunt milites suos commilitones, comparãdæ beneuolentiæ gratia, ut apud Vergil. Aeneas qui sub eo erãt, socios uocat. Hic ergo homo priuatus non debuit quenquam suum ciuem adpellare, sed conciuem: nec rursum aliquem principem consulem dicere. Nonnũquam tamen inuenitur ciuis pro conciuis, ut Lælius apud Lucanum:

Hic ciuis meus est, in quem tua claßica Cæsar
Audiero. -

Dicam tamen, Municeps meus, pro eo quod est conciuis meus, quia cõmuniceps non inueniũtur. At quoties non adponimus pronomen, rectius sine adpositione loquimur. Audite ciues, succurrite milites, legite discipuli, etiam si mei fuerint conciues, commilitones, condiscipuli. Quòd si quãdo per hæc posteriora sine pronomine loquor, tamen pronomen subintelligendum est, ut Omnes mei conciues amant. Cur tu non das commilitonibus partem? Ille semper exagitat condiscipulos quæstionibus: subintelligitur, Mei, Tuis, suos. Dicimus tamen, Vos estis ciues nostri, quasi reipub. nostræ

strę, non quasi singulorum aliquorum ciuium.

DESPAVTERIVS.

Notauit hoc loco Laurẽtium Ioannes Despauterius inter grammaticos nostræ ætatis diligentissimus iuxtà ac doctissimus, quòd conciuem dictionem latinam esse docuerit, quum apud probatissimos quosque authores non Conciuis, sed simpliciter Ciuis in hoc significatu reperiatur. Cicero libro tertio Tusculana. Legimus librum Clitomachi, quem ille euersa Carthagine misit, consolandi caussa, ad captiuos ciues suos. Lucanus libro octauo:

Illam quam toto tempore belli
Vt ciuem uidêre suam discedere cernens,
Ingemuit populus.

Plura què se testimonia proferre posse fatetur: uerùm hæc putat sufficere.

De Prætor Prætoriusq̃, & alijs, magistratuumq̃ nominibus. Cap. LXXXIIII.

PRætor qui præturam: Consul qui consulatum: Quæstor qui quæsturam: Aedilis qui ædilitatem: Censor qui censurã: Tribunus qui tribunatum: Primipilus qui primipilatum gerit. Senator qui senator est, aut fuit. Prætorius qui præturã. Cõsularis qui consulatũ: Quæstorius q̃ quæsturam: Aedilitius qui ædilitatẽ: Cẽsorius qui censurã: Tribunitius qui tribunatũ: Primipilaris qui primipilatum gesßit. Senatorius non dicitur senator, sed (ut dixi) uel senatorij ordinis, aut de domo senatoria. Triumphator, qui triumphat propriè, sed etiam qui aliquando triumphauit: ut Victor exercitus, qui uicit: Triumphalis, qui triumphauit. Cæterùm illa priora nomina sunt substantiua, quia iunguntur cum adiectiuis, ut, Diligens consul, bonus tribunus, iustus prætor, seuerus cẽsor. Hæc posteriora sunt adiectiua eô, quia iungũtur cũ substãtiuis, ut, Homo cõsularis, tribunitia

mulier, prætoria familia, censorium edictum. Quòd si absint substantiua, subintelliguntur: ut, Consulares rogantur primi sententiam in senatu, proximi prætorij, deinde tribunitij: intelligimus homines: quẽadmodùm in illis, Plebei, nobiles, potentes, ingenui, libertini. Proconsul, non qui pro alio consule præst prouinciæ, sed qui cum potestate consulari extra ordinem, & ad aliquam prouinciam administrandam mittitur: præterquàm quòd non duodecim fasces eum præcedunt qui præcedũt consulem, sed tantùm sex, ut etiam prætorem & præsidem. Propræter, non qui pro alio prætore præturam, sed extra ordinariã gerit. Itaq; dicitur proquæstor, & si qui sunt alij huiusmodi nominum magistratus.

De locorum quorundam nominibus, & possessiuis horum. Cap. LXXXV.

RHegini ex oppido Calabriæ: Rhegienses ex oppido Galliæ Cisalpinæ. quorum oppidorum utrunq; uocatur Rhegium. Albani & Albenses, ex oppido Alba in Latio. Albani, ex oppido Alba ad lacum Fucinum: Albenses, qui à quibusdam Albani dicuntur. Cumani, ex oppido Cumarum in Campania, quam nunc præuè uocant terram laboris: Campaniam uerò illam regionem, quæ illi finitima est Romam uersùs. Comenses, ex oppido Como, in eadẽ Gallia, quam nunc Lombardiam nominant, in qua ipsa Gallia, & finitimũ Como est Bergomum, undè Bergomenses. Pergamum, ex qua Pergameni in Asia: à qua urbe, quia ob penuriam chartæ, ab Attalo rege missa est membranarum copia membranæ pergamenæ sunt nominatæ. in Asia prouincia intelligo. Nam in ea, quæ est tertia pars orbis terrarum, regio quædam

dam est eodem nomine, quam Turchiam nunc uocant, non autem (ut quidam uolunt) Teucriam, quemadmodùm in Africa, quæ & ipsa tertia pars orbis dicitur. Est etiam regio eiusdem nominis, nisi quòd Afros dicimus homines, non autẽ Afram regionem. Thebani à Thebis in Græcia: Thebe in Aegypto, sed & Thebæi secundùm Græcam formam fit. Nam & Thebani Græcè Thebæi dicuntur. non tamen occurrit ubi in libris gentilium legerim Thebæos.

Priscus & Pristinus. Cap. LXXXVI.

PRisca, quæ superioribus seculis, aut superiore ætate, ut Prisci Latini, Priscus Tarquinius, prisca tẽpora. Pristina, quæ superioribus annis, mensibus, diebus, & quæ nostra memoria fuerunt, ut, Pristina nostra amicitia, pristina beneficia nostra. Neque rectè hîc dicas, prisca, neq; illic Pristina. At uerò si de rebus quæ non senescũt, loquaris, Pristinum, non Priscum decebit, ut Pharos & Tyrus nunquã in pristinum statum redibunt. Maria in freto Messanensi laborant, ne montes (si Lucano credimus) repetant pristina confinia. Atqui tãtum temporis est, ex quo illuc mare irrupit, ut memoriæ nõ inueniatur proditum. Padus post quingentos, & eo amplius annos solet reuerti in pristinum cursum.

Prosper & Fœlix Cap. LXXXVII.

PRosper qui dat: Fœlix qui recipit prosperitatem. Sydus Veneris (si credimus Mathematicis) prosperum est: natus sub illo sydere fœlix est. Dicimus ergo propriè homines quidẽ fœlices: deos autem, tẽpora, loca actiones, fines, successus prosperos, & si qua sunt similia. Vtrunq; tamen aliquando

recipit exceptionẽ. Nam & non semel legimus Prósperam alicuius ualetudinẽ, ut Suetonius de Cæsare: Fuisse eum prospera ualetudine, id est, bona, & quasi fœlici. Et de Tiberio, ualetudine prosperrima usum eum esse aut. Sallust. Sed postquàm res ciuibus, muris, agris, satis aucta, satisq; prospera uisa est. Rursus Vergilius:

Sis fœlix, nostrumq; leues quæcunq; laborem:
pro eo quod est, sis prospera & benigna.

Saluber & Sanus. Cap. LXXXVIII.

SAluber, siue (quod usitatius est) Salubris, dicitur aër, cibus, potus, locus, multaq; huiusmodi idem ferè quod Salutifer siue salutaris: Sanus homo dicitur, cæteraq; animalia. Res salubris præbet sanitatem, homo uerò recipit. Potest & præbere, tuncq; Saluber, quasi Salutifer dici: sed in utroq; etiam aliqua reperitur exceptio. Siquidem sanum aërem, sanum cibum, sanum locum uocamus, quasi salubrem & præbẽtem sanitatẽ. Contrà, Salubris pro Sano. Sallust. Genus hominum salubri corpore, uelox, patiens laborum, pleroſq; senectus dissoluit. Liuius: Grauore tempore anni tam circumacto, defuncta morbis corpora salubria esse cœpêre. Martialis dum describit uitam beatam, inquit:

Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici.

Hi tres quos produxi loci, idem nomen habent conuictum cum corpore. Quare non ausim dicere, ut dixit Boëthius in translationibus suis: Aeger an saluber. Nam de æquali suo Cassiodoro, qui apud nonnullos in precio est, nunquam ideò facio mentionem, quia cum regibus

regibus suis Theodorico & Allarico, quorum scriba fuit, Gotticum sonat & barbarum.

Iucundus & Gratus. Cap. LXXXIX.

IVcundus & Gratus sic differunt, quòd iucundus propriè in prosperis, gratus in aduersis. Iucũdum uoco non qui lætus est. sed qui lætitiæ est alteri, ut prosper ac saluber: usq; adeò potest quis tristis, mœstusq; esse, & tamen iucundus. ueluti, cùm hostis meus in dolore est, tunc mihi iucundus est, & ego gaudens sum illi minimè iucundus. Quarè nõ recte locutus est, qui ait, Iucundos nos faciat suæ interesse commemorationi: sed ad differentiam. Cicero ad Sulpitium consolantem de morte filiæ, inquit: Seruius tamẽ tuis omnibus rebus interfuit, cuius officia etsi aliquando iucundiora, nunquã tamen gratiora. Idem ad Luceium: Amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his literis, quas à te proximè accepi: non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus & optatus. Dicerem iucundum, nisi id uerbum in omne tempus perdidissem. Idem ad Atticum: Fuit mihi sæpe & laudis nostræ gratulatio tua iucũda. & timoris consolatio grata. Idem tamen libro quarto. inuectiuarum: Est mihi iucunda in malis, & grata in dolore uestra erga me uoluntas. Iucunda dixit, quasi leticiæ plena et uoluptuosa, qualis est in prosperis. Grata, qualis plena adfectus ac fructus: In iucundo enim quædam gratia est delectationis, in grato uerò etiam commodi. Quippe aspectus rosarum, liliorum, uiolarum, florumq; ac similium, iucundus est. Aspectus plenæ messis, uberum, olearum, grauium fructu uitium, pinguiumq; pecorum, gratus: & pueritia filiorum atque infantia iucundior: adolescentia uerò ac iuuentus gratior, utpote utilior.

Idem

Idem de offic. lib. secundo: Quanquàm enim quod præsens tanquàm in manũ datur, iucundius est, tamen hæc in posterũ gratiora, muri, naualia, portus, aquarũ ductus, omniaq; quæ ad usum Reipublicæ pertinẽt. Hieronymus nonnunquàm his duobus nominibus cum ea, quam ostendi, proprietate & distinctione usus est.

Plura, Complura, Plerique, & Plerunq;. Cap. XC.

PLura & Complura sic differunt, quia plura possunt esse duo, complura duo nõ possunt: illud comparatiuum est, hoc uerò minimè: ideoq; non regit casum. Plerique, modò authores pro maxima parte accipiunt, modò pro nonnulli. Sallust. In diuisione orbis terræ plerique in parte tertia Africam posuêre, pauci tantummodò Asiam & Europam. Paulo pòst: Plerosq; senectus dissoluit, nisi qui ferro aut bestijs interiêre. Nam morbus haud sæpe quenquam superat. Quintil. Videas plerosq; ita paratos, id est, nõnullos. Plerunq; magis à priore significato, quàm à posteriore uenit, id est, pro eo quod est Ferè semper. Quintilianus in amatore: Excussa sunt plerunq; languentium uicia uerberibus, id est, nonnunquàm. Tamen in hunc sensum hæc dictio (siue nomẽ, siue aduerbium sit) rarò reperitur. Seruius quidem nescio an unquam utatur aliter.

Clarus & Præclarus. Cap. XCI.

CLarus et Præclarus figuratè accipiũtur pro eo, qui tanquàm fulgore quodã famæ & gloriæ resplendet. undè clarissima & præclarissima gesta dicimus. Sed Præclarus nonnunquam pro bono reperitur apud Ciceronem: sicut apud eundem Luculẽtus, pro

pro Magnus, ut in Philippicis: Luculentum uulnus accepit. In eodem opere ait: O præclarum custodem ouium (ut aiunt) lupũ. Non claritas in custode desideratur, sed probitas. ergo Præclarum pro Bono posuit. Idem in Lælio: Cum illo uerò quis neget actum esse præclarè? Et paulò pòst: Cum illo quidem (ut suprà dixi) actum est optimè, mecum incommodiùs: non suprà dixerat Actum cũ illo optimè, sed Præclarè. Verùm ideo sic dixit, quia Præclarè & optimè idem roboris & uiriũ in significatione obtinẽt: eoq; κράτιστον (quod est optimum) & apud Græcos accipi solet, & à nobis transferri Præclarum.

Festus & Festiuus. Cap. XCII.

FEstus dies potiùs, quàm Festiuus. Res festiuæ potiùs, quàm Festa. Nam Festus, festa, festum, ad diem festum pertinens: Festiuus, festiua, festiuum, res iucunda & lepida, ut, Oratio festiua, dictum festiuum, frondem festiuam legimus: non quæ ad festũ comparata sit, sed quæ iucũda & læta. Nam & festã frondem uocamus, quæ festis adhibetur. Festiuum multi pro Festo accipiunt.

Venale & Vendibile. Cap. XCIII.

VEnale & Vendibile hoc habent differentiæ, quòd illud significat rem uenditioni expositam, hoc rem quæ facilè potest uendi. Hæc domus est uenalis, id est, proscripta, uel exposita uenditioni. Et hoc de Curione significat Lucanus, cùm dicit: Venali Curio lingua, id est, precium, nõ ueritatem honesta temq; sequens ex suæ linguæ facundia. Cicero in Bruto: Horum ætati propè coniunctus L. Gellius, non tam uẽdibilis orator, quàm ut nescires quid ei deesset.

Et in eodem: Nam populo non erat satis uendibilis præceps quædam, & cùm idcirco obscura & peracuta, tum rapida, & celeritate citata oratio. Et alibi: Nam ut sint illa uendibiliora, hæc uberiora certè sunt. Vendibile dixit pro Gratum, & quod animos hominum solicitet ritu rerum, quæ ad se alliciunt emptorem. Hoc à Vendo uenit, illud à Væneo.

De Sciens feci, Prudens feci, & similibus. Cap. XCIIII.

SCiens feci, & Prudens feci. Item Insciens & imprudens atq; ignorans feci, hoc est, quod cùm facerem aliquid, sciui me facere illud, aut ignoraui. At Scienter feci, idem est, quod cum scientia ac doctrina feci, semperq; in laude est, scienter quid fecisse. Scientem uerò quid fecisse, tum laudare, tum uituperare solemus, pro rei qualitate. Si ergo scienter facere semper laudabile est, ediuersò insciẽter facere semper est uituperabile. Prudenter quoq; facere, opus prudentia nimirũ est: imprudẽter uero, stulticiæ. Tamen quid imprudenter facere ignoranterue, rarò in usu est: in cuius locum uelut succedit per ignorantiam & per imprudentiam factum, per se neq; laudi, neque uicio dandum. Idem enim est per imprudentiam siue per ignorantiam fecisse aliquid boni uel mali, quod imprudentem, ignorantemq; fecisse, quorum neutrum aut præmium meretur, aut pœnam.

Marinus, Maritimus, & Transmarinus. Cap. XCV.

MArinum piscem dicimus, & auem marinam, & deum marinum, uel deam, uel Nymphan marinam. nominatim quoq; uitulum marinum, turdum marinum, turturem marinum. præterea colorem marinum, rimum, casum marinum, periculum marinum, sonum, fluctum. aquam marinam, non maritimam, nauem marinam. quidam etiam nauem maritimam. rursus oram maritimam, gentem maritimam, res maritimas, bellum maritimum: non transmarinum, non marinum. item hominem, gentem, urbem, triumphum, transmarinum: non transmaritimum. Horum omnium hæc differentia est, quòd marinum uocatur quod incolit mare, aut ex mari est: Maritimum, quod mare accolit, & ad mare est. uel ad mare fit. Transmarinum quod trans mare est. Transmaritimũ enim foret, quod trans loca maritima esset, idem propriè quod mediterraneum.

Frequens & Celebris. Cap. XCVI.

FRequentem locum dicimus, quem frequentare multi solent, ut, Vrbs frequens, oppidum frequens, platea frequens, ubi multi homines aut habitant aut diuersantur. Quando autem de persona, aut de re animata loquimur, duobus modis dicitur: uel de sola, sic: Sit miles frequens spectator præliorum, id est, creber & assiduus: uel de turba sic: Frequens populus, frequens senatus, id est, copiosus & multus. Et quidẽ cum nomine collectiuo in singulari, cum cæteris uero in plurali, ut, Frequentes ciues, frequentes senatores, hoc est, multi & numerosi. Veruntamen cùm dico, Sis frequens, innuo actionem: cùm dico Frequens locus, passionem. Ille frequentat, hic frequentatur. Cui simile est Celebris semper passiuè positum, tam ad rem quàm ad personam relatum. Locus celebris, quòd celebratur. Homo celebris, quòd cum honore celebratur & colitur: propter quod in hanc ducor opinionem, ut locus celebris propriè sit honoratorũ frequentia

Aliter de Frequens iudicat author Cornucopiæ.

tia cultus: non ita Frequens, neq; Frequentia, quo nomine qualiscunq; hominũ multitudo significatur: quod ex uocabulo hinc ducto probatur, quod est Celebritas, quæ tum hominum cœtum honoratorum declarat, tum dignationem ipsam atq; honorem. Quintil. Ante omnia futurus orator, cui in maxima celebritate, & in media Reipublicæ uiuẽdum est, assuescat iam à puero non reformidare homines, neq; illa solitaria & ut-lut umbratili uita pallescere. Cicer. Itaque nos qui in maxima celebritate, atq; in oculis quondam ciuium uiximus, nunc fugientes conspectum sceleratorum hominum, quibus omnia redundãt, abdimus nos, & sæpè soli sumus. Idem in alteram significationem: Hac celebritate famæ cũ esset iam absentibus notus, Romam uenit Mario & Catulo consulibus. Quarè impropriè, licèt frequentissimè dicitur, locus celebris, an desertus, quasi contrarium sit celebrem esse, ab illo desertum esse. ubi enim baiuli, aut aleatores, aut lenones, scortaq; esse consueuerunt, quis eum locum propriè dixerit celebrem? non aliter q̃ celebrem meretricem, aut nobilem, ut sæpe legimus, & singularem improbitatem, & unicã turpitudinẽ, ut in bonũ, ita & in malum.

Ferus & Ferox. Cap. XCVII.

FErus homo, qui animum ferinum obtinet, ut leonis, ursi, pardi, lupi: Ferox, qui præanimosus est ad decertandum cum altero, & aduim alteri faciendum atque nocendum.

Corporeus & Corporalis. Cap. XCVIII.

COrporeum est existẽs ex materia atq; substantia corporea: & ediuersò incorporeum. ut, Lapis est res corporea, uirtus incorporea. Corporale uerò, existens in materia substantiaq; corporea: & ediuersò incorporale: ut, Domus, fundus, mancipium, corporalia sunt, non corporea: legatum, hæreditas, iuræ incorporalia sunt, nõ incorporea. Nanq; hîc de qualitate agimus quæ inest substantiæ, ibi de ipsa substantia, quas res diligentiùs exequemur in dialecticis nostris. Et sanitas, uires, pulchritudo, bona corporalia adpellantur, non corporea. Præterea (ut alia ratione hanc differentiam distinguamus) corporeus & incorporeus non nisi cum hoc nomine Res, aut substantia, iunguntur, aut ubi res subintelligitur: ut, Lapis est res siue substantia corporea, non autem est corporeus. Virtus est res incorporea, non autem uirtus incorporea. Omnia corporea aut tanguntur aut uidentur, id est, omnes corporeæ res, non autem sic, Res incorporeæ.

De Lassus, Laxus, Lapsus, Fessus, Defessus, Fatigatus, Defatigatus Cap. XCIX.

LAssum, quod labore fatigatum est, tam animo quàm corpore. Ideoq; ad ea demum spectat, quæ laboris molestiam sentiunt. Laxum uerò magis inanimata, quæ sunt lenta, mollia, flexibilia, nõ dura, non rigida: ut, Laxi rudentes, laxi funes, laxæ chordæ. Lapsus à labẽdo, quid uel corpore, uel per trãslationẽ animo & opinione labitur. Fessus idem est quod fatigatus, siue animo, siue corpore. Defessus defatigatusq;, qui ita fessus atq; ita fatigatus est, ut non queat ampliùs, & sæpe à labore atq; incepto, quod instituerat, desistat, ut in Bruto Cicero: Et ne defatigaretur orauissent. Et de Oratore: Profectò nunquàm conquiescam, neq; defatigabor, antequam illorum an-

cipites uias rationesq́, & pro omnibus & contra omnia disputandi percepero.

THEOD. Laxum uerò magis.) Laxum non modò lentum & molle, sed spacioſum quoq; significat. Cic. Offi. 1. In domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiẽdi, & admittẽda hominum cuiuſq; generis multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis. Aliter enim ampla domus dedecori domino ſæpè fit, ſi eſt in ea ſolitudo. Tranquillus in Tiberio: Hic modicis contentus ædibus, nec multò laxiore ſuburbano, genus uitæ ciuile inſtituit.

Bonum & Bonitas. Cap. C.

BOnum generale nomen eſt, honeſta pariter atque utilia cõplectens, ut Bonum animi, bonũ corporis, bonum fortunæ. Bonitas uerò (non ut multi opinantur) idem utique quod bonũ honeſtum, ſed idem quod benignitas. A primo fit bonus uir, bonus ſeruus, bonus iudex, id eſt, iuſtus & exequens officij ſui debitum. ab hoc bonus pater, bonus dominus, bonus deus, bonus Aeneas, hoc eſt, benignus & clemens, quam alteram iuſticiæ partem eſſe conſtituunt, uocantes eandem beneficentiam. Nam iuſticiam partiuntur in duas partes, Iuſticiam quæ eſt ſeueritas: & Beneficentiam, quam ego uoco bonitatẽ. Ergo qui planè bonus eſſe uult, planeq́ iuſtus, bis bonus ſit neceſſe eſt. & hoc quidem ad uirtutem pertinet. Eſt autem & aliâ bonitas, nõ ex induſtria, ſed ex natura, tam homini, quàm quibuſdam alijs rebus attributa. Cicero: Quæ & bonitate naturæ multi aſſequuntur, & progreſſione dicendi, id eſt, excellentia & dote naturæ. Quintilianus: At in ſolo fœcundo plus cultor, quam ipſa per ſe bonitas ſoli, efficiet. Non dixit Plus bonitas cultoris, quàm bonitas ſoli, quia excellens cultor induſtria fit, non natura. Nonnunquàm tamen bonitas pro iuſticia ſiue

ſiue pro honeſto accipitur. Cicero de officijs tertio: Cùm enim bonitatẽ alicuius fidemq́ laudant, dignum eſſe dicunt, qui cum in tenebris mices. Quintilia. in duodecimo: Quòd ſi in mediocribus etiam patronis conuenit hæc quæ uulgò dicitur bonitas: cur non orator ille, qui nondum fuit, ſed poteſt eſſe, tam ſit moribus, quàm dicendi uirtute perfectus: Nonnunquam etiam bonum accedit ad naturam uirtutis & bonitatis. Nam cùm dicimus de æquo & bono, non de rigore iuſticiæ, & de ſummo iure loquimur, ſed quaſi de bona æquitate.

Lubricus. Cap. CI.

LVbricus locus eſt, in quo nequeas inſiſtere, nec ingredi, quales ſunt herbæ perfuſæ ſanguine, ut apud Vergilium de Niſo, & Homerum de Aiace Oïlei, aut aliter humectatæ, marmora leuigata lapidesq́, uel humore conſperſi, terra glaciata, aqua gelata, pauimenta, cæteraq́ huiuſmodi lubrica dicuntur. Indè per translationem adoleſcentiam uocamus lubricam, in qua qui ſunt, uelut in glacie facilè labuntur. Anguilla quoque, congrus, murena, & ſimilia lubrica ſunt. Alio tamen modo uidetur Cicero dixiſſe lubricos oculos, & imitatus eum Lactantius in libro de dei opificio. Ita enim ait ille de natura deorum: Sed lubricos oculos fecit & mobiles, ut declinarent, ſi quid noceret, & adſpectum, quò uellent, facilè cõuerterent. Dicti ſunt oculi lubrici eo modo, quo à quibuſdã pes lubricus, pro eo quod eſt in lubrico. Ita oculi quaſi in lubrico poſiti ſunt, ut uix queant conſiſtere: quale eſt cùm dicimus: Spargo humũ floribus, pro eo quod eſt, Spargo humi flores, & Sterno lectum pallio, pro eo quod eſt, Sterno pallium lecto.

Aequalis & Aequabilis. Cap. CII.

AEqualis quid sit, notum est, ut in illo: Sintq; pares in amore, & æquales. Sæpè accipitur pro coætaneo, siue coæuo, ut Vergil.

Æqualemq; ab humo miserans attollit amicũ.

Cicero: Ego Q. Maximum, eum qui Tarentum recepit, senem adolescẽs ita dilexi, ut æqualem. Et iterum: Nec cum æqualibus solùm, qui pauci admodùm restant, sed cum uestra etiam ætate, atq; uobiscum. Aequabilis idem quod æqualis in priore significato: ut idem, Non ius æquabile (quid utilitatis haberet) acceperat. Iterum: Et uox reducitur in sonum quẽdam æquabilem atq; constantem.

Perfidus & Infidus. Cap. CIII.

PErfidus, qui fidem uiolat: Infidus, cui non est fidendum. hoc à Fido descendit, quod habet primam longam, siue Fido à Fidus: illud à Fides, quod habet primam breuem. Idecq; hæc duo adiectiua uario accentu efferuntur.

Moratus & Morigeratus. Cap. CIIII.

MOratus, qui moribus bonis est præditus: Morigeratus, participiũ ex Morigeror, quod est morem gero, id est, obsequor & obedio. Vnde Morigerus, obsequens, obediens, & facile morem gerens. Quod Accursius non intelligẽs (quid autem intelligat, si ignorat quid sit morem gerere) pro glossa scriptum reliquit: Soluat Apollo. quasi aut ænigma esset, aut Apollo soluere ænigmata soleret magis, quã proponere soluenda. Et alibi: Primipilus, inquit, nomen græcum est.

Proteruus. Procax, & Petulans. Cap.

Cap. CV.

PRoteruus, Procax, & Petulans, multum similitudinis habent. & quasi aliud alio magis increscit, tam in factis, quàm in dictis. Tria hæc tum quandam lasciuiam libidinemq; declarant, tum iniuriã. nam & proteruam petulantemq;, eodem loco de inhonesta fœmina apud Ciceronem legimus pro Cælio: Si uidua liberè, proterua petulanter, dies effusè, libidinosa meretricio more uiueret. Proteruam minore gradu, quàm petulantem significant. Petulans pro libidinoso, lasciuoq; accipi, notum est: ut, Petulansq; iuuenta. Et Ouidius:

Quinetiam ut possem uerbis petulantiùs uti.
Non semel ebrietas est simulata mihi.

Id est, lasciuiùs & licentiùs. Procaces quoq; meretrices legimus, qualis Bacchis Terẽtiana, cæteræq; impudicæ mulieres, quæ pudori suo (quæ una dos fœminarum est) ne uerbis quidem mordacibus simul & turpibus parcunt, à seipsis suaq; conditionis fœminis capientes principium. Proteruia leuior quædam contumelia: Procacitas maior: Petulantia maxima. Cicero in Sallustium: Ne in idem incidam uicium procacitatis, quod huic obijcio. Et iterum: Non enim procacitate linguæ, uitæ sordes eluuntur, Atq; iterùm: Nam quòd ista inusitata rabie petulanter in uxorem filiamq; meam inuasisti. Et iterum in eadem: Desine bonos petulantissima insectari lingua, desine morbo procacitatis isto uti. Sallustius in Ciceronem: Graui ter et iniquo animo maledicta tua paterer M. Tulli, si te scirem iudicio magis, quàm morbo animi ista tua petulantia uti. Et iterum: Bibulum petulantissimis uerbis lædis. Hæc eadem nomina in factis quoque

nonnunquàm reperiuntur, ut si quis ambulans, per impotentiam mentis obuium cubito feriat, aut cum contumelia sibi cædere cogat, hunc proteruum dicimus. Et Vergilius austros procaces uocat. Et ab eodem, hædiq; petulci Floribus insultent, dictum est quòd hœdi soleant iniuriam facere per animositatem quandam transcendendo sepes, & in alia loca penetrando, quæ iniuria petulantia est.

Orbus & Cœlebs. Cap. CVI.

ORbus est quicunq; aliqua re chara priuatus est: propriè autem parẽs, amissis liberis, quasi amissa luce oculorum. Vndè illud frequens, Parens liberorum, an orbus? Et hinc orbitas, quæ est illa qualitas patrũ post amissos liberos, ut uxoris uiduitas post amissum maritũ. Quintil. de patribus, in ipsos loquens pro uxoribus, ait: Non habet orbitas uestra lachrymas super ardentes rogos, tenetis inconcussam rigidamq; faciem. Contrarium huic est, cùm dicitur orbus, quasi orphanus, ut apud Terentium: Orbæ quæ proximi sunt, uxorem ducant. Et hinc orbitas apud M. Tullium li. 3. de oratore, quasi orphanitas: Deplorauit enim caussam atque orbitatem senatus, cuius ordinis à consule, qui quasi parens bonus, atq; tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nephario prædone diriperetur patrimonium dignitatis. Cœlebs, tam, qui caruit semper uxore, quàm qui nunc caret. & indè cœlibatus.

Diuturnus, Diutinus, Præcox, Serotinus, Præmaturus, Maturus. Cap. CVII.

DIuturnus & Diutinus nihil differunt. Vtrumque enim & in bonum & in malum reperitur, &

utrunq; à Diu siue Diutius uenit. Sed unum eo modo formatur, quo à Die, Diurnus, à Nocte Nocturnus. Alterũ quomodò à Sero Serotinus, à Mane siue à Matuta, quæ dea est, Matutinus, utq; alii qui utũtur à Vespere Vespertinus. De Diuturnus plurima exempla sunt. De Diutinus apud Ciceronem perpauca. ad Brutum sic scripsit: Libertatis desiderio, tædioq; diutinæ seruitutis. Quintil. Non sic confundunt obuios græubus catenis colla stridentia, nec diutino squalore cõcreta facies. Quia dixi Serotinus à Sẽro, uideor significasse sẽro pro uespere, non pro eo quod est tardè, siue post tẽpus. Hæc enim tria Sẽro significat, quæ tamen penè idem sunt. Vna & uera significatio est pro uespere, quod est post occasum. Altera quæ hinc nascitur, quæ est post tempus. Quod enim post solis lucẽ est, id uerè potest post tempus dici. Cicero: Cum accusator Milonis identidem interrogatus, instaret, quo tempore Clodius esset occisus, urbanè respondit, Serò: non tam horam intelligens, quàm tardiùs occisum, & post tempus, quo debuisset occîdi. Tertia significatio est, pro tardè, non pro tardiùs, ut apud Senecam in Hercule furẽte: Serò nos illò referat senectus.

Nemo ad id serò uenit, undè nunquam,
Cùm semel uenit, potuit reuerti.

Serotinus igitur cùm à primo significato (ut quibusdam placet) uenit, qui dicũt horam serotinam, tempus serotinum, pluuiam serotinam, tum à posterioribus. Adpellamus enim ut præcoces uuas, præcoces ficus, præcocia poma, quæ ante legitimum consuetumq; tempus siue citò matureſcũt: ita serotinas uuas, serotinas ficus, serotina poma, quæ post legitimum tempus,

consuetumq; cæteris pomis, uel tardè matureſcunt. Præcox quoq; ingenium per translationem dicimus, quod nimis citò maturitatem conſecutum, nimisq; citò uidetur adoleuiſſe. Ideoq; ait Quintil. Illud ingeniorum uelut præcox genus, non temerè unquam peruenit ad frugem, id eſt, non ferè unquã ad perfectionem, tanquã ad frugem fructumq; peruenit. Præcox, quaſi ante tempus excoctum. Huic ſimile ac diſſimile eſt Præmaturus, quod eſt, antequàm ſit maturus, & ante maturitatẽ, ut, Segetes præmaturæ, frumenta præmatura, poma præmatura, id eſt, nondum matura. Et per translationem, Præmaturus ſum militiæ. præmatura ætas, præmatura legatio, præmatura allocutio, præmatura poſtulatio, id eſt, immatura. Quanquàm maturum ipſum in frugibus propriè dicitur, & id uno modo. In perſonis uerò figuratè, & hoc duobus modis. Vno ſic: Ego ſum maturus audiẽdæ philoſophiæ, tu es maturus rei militari, id eſt, perfectionem temporis habeo ad hanc rem. Vndè ſenilis ætas uocatur matura, quaſi omnino perfecta, & tempus debitum aſſecuta. Altero ſic: Ego ſum homo maturus, id eſt, perfectus moribus. & in hac ſignificatione nõ componitur. Indè Matureſco, maturus fio. Et Maturo, maturas, maturum facio, uel perficio, atq; feſtino, ut Vergilius: Maturate fugam. Cicero ad Heremium: In ætate maturrima, dixit, pro In ætate feſtinantiſſima. Et Maturè aduerbium pro citò.

Li. 1. cã. 4

Annuus. Cap. CVIII.

ANnuus eodem modo dicimus, quo diurnus, ſpacium diurnum, ſpacium annuum, unius diei, unius ue anni. Annuus quoque quomodò Quotidianus. Febris quotidiana eſt, quæ ſingulis diebus uenit. Ita apud

apud Vergilium: Atq; annua magnæ Sacra refer Cereri, id eſt, ſingulis annis. Et duo illi Epicurei Philoſophi annua febri, quo die nati fuerant, corripiebantur, qua febri & mortui ſunt, atq; eodem quidẽ die. Dictum eſt ergo annuũ, quaſi anniuerſariũ. Nam, ut feſta, ita febres quibuſdam, quorum etiã Auguſtus fuit, anniuerſariæ ſunt.

Capitalis. Cap. CIX.

CApitale odium, quod caput & uitam alterius petit. Cicero: Cùm is tribunus plebis capitali odio à Q. Pompeio, qui tũ erat conſul, diſſideret. Item capitale ſupplicium, capitalis morbus, qui caput alterius petit. Capitalis autem homo, capitale uicium, capitale peccatum, non quod petat alterius caput, ſed cuius caput, aut propter quod caput committentis peti debeat ad pœnam, ut idem: Capitalis Etheocles, uel potius Euripedes. Et alibi: Fieri ait in ciuitate, uicia capitalia.

Capitalis autem homo.) Cicero capitalem hoſtem, qui aduerſariorum capita peteret, dixit: ut in Orat. 2. in Catil. Quòd tam capitalem hoſtem non comprehenderim potius, quàm emiſerim. Rurſus de Finib. lib. 2. Vt magnum & difficile certamen iniens, cùm ſibi cum capitali aduerſario dolore depugnãdum uideret &c. Et eodem ſignificato Treuiros uidetur appellaſſe capitales. Famil. lib. 7. epiſt. ad Trebatium: Treuiros (ait) uites cenſeo: audio capitales eſſe. THEOD.

Meritorius. Cap. CX.

MEritoriam tabernam, diuerſorium atq; hoſpitium mercenariũ uocamus, ubi cuiq; intrare licet danti mercedẽ. Nam merere, mercede operari, laborare, atq; alteri inſeruire eſt. Ideoq; merere, in militia eſt exerceri, propriè tamen ſpe ſtipendij ac præmij. quod dicitur Stipendia facere. Hinc mereri

ces dictæ, suam & ipsæ militiam exercẽtes, ac stipendia sua faciẽtes. Et indè adiectiuum Meritorius, meritoria, meritorium: unde scorta masçula, pueri meritorij uocantur. Nam puellæ non uocãtur meritoriæ, quippe proprium suum habentes nomen, quod est meretrix. Quidam aiunt hos pueros dici catamitos, quod mihi non uidetur: sed potius cõcubinos, meritorij namque, ut meretrices, precio merent. Cicero in Antonium: Ingenui pueri cum meritorijs, scorta cum matribus familiâs uersabãtur. Ingenuos pueros dixit: Meritorios ergò non liberos, quos mango, qui ideò homines mercatur. ut uendat, commodare etiam abutendos precio solet, siue illi dominorum permissu, aut ipsi suo iure prostant. Adpellamus corpus meritorium, tam puerum meritorium, quàm meretricem. * Rationem quoq; meritoriam, quasi uilem & malè coëmptam.

LONGO. Rationem quoq; meritoriam.) Variant hîc omnia ferè exemplaria. malim ego cum manuscripto exemplari hoc modo legere: Orationem quoq; meritoriã, quasi uilem & malè cœptam. Lectionem hanc uidetur etiam author Cornucopiæ probasse, qui magnam partem uocabulorũ Laurentio acceptũ ferre optimo iure potest.

Infensus & Infestus. Cap. CXI.

INfensus uehementer iratus, & odium gerens: Infestus uehementer molestus, atq; in aduersum uadens. Inde infestare, incursibus crebris molestia afficere: & signa infesta, quæ in aduersum tendunt, hoc est, uexilla in hostem euntia, ut molestiam inferant. Molestare autem rariùs reperitur, quàm Infestare. Modestinus Iurisconsultus ait, Ab Aurelio Sempronio fratre meo neminem molestari uolo.

Infensus uehementer iratus.) Infenso quoque pro Infesto

Infesto est ubi reperias. Cornel. Tacit. libro quinto: Interim Oroden sociorum inopem, auctus auxilio Pharasmanes uocare ad pugnam, & detrectãtem incessere, adequitare castris, infensare pabula. Libro decimo tertio: At Tyridates super proprias clientelas, ope Vologesi fratris adiutus, nõ furtim iam, sed palàm bello infensare Armeniam.

Præsens. Cap. CXII.

PRæsens, non modò quod est huius temporis, sed etiam alterius. ut Cicero: Ego incolumitati ciuium primũ, & posteà dignitati: ille præsenti potiùs dignitati, quàm futuræ consulebat. de mortuo loquitur: ergò non nunc præsenti, sed tunc. Quintilianus de ipso Cicerone iam defuncto loquens, ait: Posteà uerò quàm triumuirali proscriptione cõsumptus est, passim qui oderant, qui inuidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præsentis potentiæ, non responsurum inuaserunt. Præsentis potentiæ, quæ tunc erat præsens. neque in præteritum modò, uerumetiam in futurum, ut Horatius: Lib. 12. de genere dicendi.

Pleraq; differat, & præsens in tempus omittat,
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis author.

In præsens, id est, in suum tempus, ut dixi, & quando tempus dicendæ rei aderit: nisi accipiatur pro in præsentiarum, ut idem secundo Carminum:

Lætus in præsens animus, quod ultra est,
Oderit curare, & amara lento
Temperet risu, nihil est ab omni Parte beatum. Ode 16.

Præsens quoque dicitur subitus, & non dilatus in alterum tempus, ut Vergil.

Præsentemq; uiris intentant omnia mortem.

Iuuenalis:

Pœna

Pœna tamen præsens, & præsens ultio.

Vnde præsentissimum periculũ, & præsentissima medicina, remedium præsentissimum, uenenũ præsentissimum, quod etiam præsentaneum uocatur: Præsentissimum, quia statim aut sanat, aut occîdit. Et quoniam ea, quæ præsentem uim effectumq; exhibent, præstantiora ac potentiora cæteris uidẽtur: ideò in hunc quoque sensum accipi solet: ut præsens animus, dicitur præstans atq; excellens, & præsens remedium, præsensq; uirtus, id est, potens, & in primis efficax. In rem præsentem, non tẽpus, sed locum significat, ut Cicer. Offici. lib. 1. Vt si constitueris cuipiam, te in rem præsentem esse uenturum, id est, ad locum de quo controuersia est. Liuius libro 38. Responderi legatis utriusq; partis placuit, missuros se in Africam, qui inter populum Carthaginensem & rêgem in re præsenti disceptarent. Idem lib. 48. Eodem anno inter populum Carthaginensem & rêgẽ Masinissam in re præsenti disceptatores Romani de agro fuerunt. Valerius Max. lib. 7. Q. Fabius Labeo arbiter à senatu finium constituendorum inter Nolanos & Neapolitanos datus cùm in rem præsentem uenisset, utrosque separatim monuit. Ad tempus, duobus modis sumitur. Vno ad conditionem temporis, necessitatem, opportunitatem. Cicero pro Milone: Quàm ad tempus aptæ simulationes. Quintil. Fingere nimium ad tempus uidebor, & rem nimium manifestam imprudẽter complorare. Altero ad spacium tẽporis: ut Silebo ad annum, latebo ad tempus, id est, usq; ad annum, & usq; ad tempus quoddam, ut Quintil. Optimum emendãdi genus, si scripta in aliquod tempus reponãtur, ut ad ea possit interuallum uelut noua atque aliena redeamus, id est, usq;

usq; ad aliquod tempus. Nam sæpè subintelligitur Vsq; ut idem: Neq; id ueteribus Romanis dedecori fuit: argumentum est sacerdotum nomine & religione durans ad hoc tempus saltatio, id est, usque ad hoc tempus.

Stultus, Fatuus, & Stolidus. Cap. CXIII.

STultus qui imprudens est, & improuidus: multiq; non insipiẽtes homines aliquãdo stultè agunt. Fatuus, planè insipiens est, tractum à sapore ciborum. nam cùm illi non sapiunt, fatui dicuntur. ita homo qui non sapit, fatuus uocatur. Martialis:

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm sæpè petet uina piperq; coquus.

Melior huius uocabuli uidetur hæc caussa, quàm ea quæ quibusdam placet, fatuos dictos qui furore quodã (quali uxor rêgis Fauni Fatua nomine corripi solebat) futura prædicũt, ut illa faciebat. Stolidus est, qui proximè accedit ad naturã sensumq; pecudum.

Beatus. Cap. CXIIII.

BEatus, qui rebus omnibus ad uitæ usum ornatumq; spectãtibus abundat. Ideoq; locupletes sanè omnes beatos uocamus, ut apud Iuuenalem: Vetulæ uesica beatæ. Et Cice. Sint florentes, sint beati. Et alibi: Crotoniatæ quondam cùm florerẽt omnibus copijs, & in Italia cùm in primis beati nominarentur. Vndè apud inferos Elysijs campis beati uocantur, et à nobis qui apud superos uiuunt, ut penè idem sint felices & beati, felicitas & beatitudo. Felices inquam omnium bonorum compotes. Sunt & aliæ res pro sua quæq; natura beatæ felicesq;, ueluti de uoce apud Quintilianum: Ornata erit pronunciatio, cui suffragatur

uox

uox facilis, magna, beata. flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aëra, auribus sedens. Beata dixit pro eo, quod est plena & perfecta. Et alibi: Nam uocis, quantam in nullo cognoui, felicitas.

Mollis homo, Molle opus. Cap. CXV.

MOllis homo dicitur, & Molle opus: hoc in laudem, illud in uituperationem. Vergil.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Idem:

Excludent alij spirantia mollius æra.

Credo equidem uiuos ducent de marmore uultus. Quod non sine ratione factum est. Nam qui non fuerit seuerus, fortis, & constans, & in morem rei duræ patiens, resistensq; fortunæ, uel aduersæ, uel blandæ, hic mollis est, similis cæræ, & tenellis plantis, quum præsertim qui mollicula membra habent, ferè molli sint mente, ut pueri, fœminæq;. Contrà autem milites, nautæ, agricolæ, ut corpore, ita animo indurati putantur. hoc igitur modo Mollis accipitur in uicium. In laudem uero, quòd ut durus cibus, durum cubile, durum solum, ita durum ingenium: ueluti durus equus ad domandum, durum ingenium ad docendum, & (ut sic dicam) sculpendum, eadem ratione molle dicitur, quod non est durum, eritq; laudabile. Quintilianus de signis loquens, inquit: Illius opera duriora, huius molliora. Dicuntur autem signa opera sculptilia, siue fissilia, siue cætera eiusmodi ad effigiem animalium fabricata: quemadmodùm tabulæ. opera pictorum. Siquidem in tabulis antiqui pingebant, non in parietibus. Hæc

Hæc talia magis dicentur mollia, quæ fiunt, quam ingenium quod facit.

Crudus. Cap. CXVI.

CRudus uocatur, non qui cibum indigestum habet in stomacho, sed qui ægrè difficileq; digestibilem, & à quo offenditur, uel tanquam nimio, uel tanquam noxio, ut Cicero. de Roscio: Qui in cœnam non ueniret, quod esset crudior. Et Quintilianus crudo oratori declamandum non putat. At cibo indigesto ferè & oramus & negocia agimus, uel magis quàm digesto. Siquidem digesto, & modificato cibo, iterum refici malumus, quàm cætera facere. Adpellamus autem hominem crudum, præsertim qui est truci aspectu, quòd eius aspectu oculi nostri offenduntur, ut stomachus cruditate cibi, uel quòd facies crudum habentis animum insuauis & fœda est, ut facies crudum stomachum habentis, siue crudum cibum in stomacho. Est etiam crudum idem quod recens. Vnde crudus dolor, crudum uulnus. Et recrudescere dolor. et uulnus dicitur, quasi renouari. Et cruda poma dicimus, quæ non sunt matura, ut Cicero, Poma quæ cruda sunt, ui auelluntur: quæ autem cocta & matura, decidunt.

QVARTI LIBRI FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN QVINtum librum elegantiarum præfatio.

TERTIVS iam mihi, & propè quartus annus agitur peregrinanti semper, & per omnia maria terrasq; uolitanti, proxima etiam æstate, & quidem tota, militiam experto. quod utrùm honestiore, an magis necessaria caussa fecerim, haud equidem scio. Illud tamen uel me non affirmante, indubitatum cunctis esse nõ ambigo, quæ maxima atq; adeò sola studiorũ præsidia sunt, ea mihi omnia defuisse, literatorum consuetudinem, librorum copiam, loci oportunitatem, temporis ocium, ipsam postremò animi uacuitatem. Quorum singula quum plurimum incommoditatis adferant cùm desunt. quid tandem putãdum est uniuersa fecisse? Tametsi repugnauimus assiduè, & quoad licuit necessitatibus reluctati sumus. interq; nauigandum, peregrinandnm, militandum, frequẽter ad studia respeximus, ita ut si nihil lucri in literis (quod optabamus) certè (quod proximũ est) nihil damni faceremus. quod si contigit, iacturam hanc multarum rerum noticia, quas uel uidimus, uel sumus experti, fortasse pensabimus. Hac enim præcipuè uia Homerus informandum esse uirum sapientem præcipit, Vlyssis exẽplo. Ita nãq; Odysseam inchoat:

Dic mihi Musa uirũ, captæ post tẽpora Troiæ

Qui

Qui mores hominum multorum uidit & urbes.

Quanquàm quid tergiuersamur, qui blanda, aut inani excusatione nos fallimus? qualescunq; redierimus, nihil tamen quo dotem filiæ iam, me absente, adultæ ampliare queamus, attulimus, & collocandi iam tempus est, satiusq; multò quamprimùm nuptui dare, quàm diutius custodiendo pudicitiæ periculum adire. Mira enim est puellæ uel procorum uel amatorum multitudo. Ipsa quoq; tenêri ampliùs nõ uult, & (quod me ualdè solicitum facit) alios magis incipit amare, quam patrem. Quarè non uacat comparare plura, quò splendidiùs ac magnificẽtiùs collocemus. Sex nanq; talenta, quæ ante profectionem nostram parta ac reposita erãt, in dotem dabimus: quod cum satis esse debet, tum plus est, quod multò post hæc tempora accessionis adijcere possemus. Et certè similia impedimenta (ut de morte taceam) extimescenda sunt: ne fortè (quod dij omen auertant) uel absente patre, uel mortuo, filia (ut quæ ea ætate, atq; adeò ea mente sit) prostet. Sufficiant igitur huic operi quatuor superiora uolumina, quintumq; hoc de uerbis, accedente sexto de notis authorum. Quòd si etiam plura scribendi facultas tempusq; suppeteret, nescio an faciendum putarem: quum sciam, ea quæ uel optima atque pulcherrima sunt, nisi compendij gratia iuuẽtur, ut pontificales olim cœnæ, longitudinis fastidio laborare, simulq; huius, de qua loquor, materiæ neminem (de prudentibus loquor) uniuersum corpus aggredi esse ausum: suã sibi unusquisq; particulam ad scribendũ delegit, siue ne longiore opere legẽtibus fastidium moueret (quod enim uocabulum non suam habet significando elegantiam?) siue immensitatem infinitatemq; uoluminũ ueritus. Quibus rebus

me quoq; motum fuisse fateor, cum mea sponte, tum illorum exemplo maximè, ne semper imperfectum, ne semper incluſum habere, ne semper efflagitantibus opus negare uideamur: ne'ue quibus obsequi, & à quibus laudum suffragia nãcisci cupimus, eisdem iustæ querelæ, iustæq; uituperationis materiam præbeamus: tum eo quòd insidiatores & fures re expertus (ut secundo libro dixi) cauere debeo. quos nunc multò plures esse ac fore amici ostendunt: quæ causſa Priſciano (ut ipſe teſtatur) fuit, ut feſtinantiùs opus illud de arte grãmatica êderet. Hac eadem nos causſa, & cæteris quas enumerauimus, sumus adacti, non modò ut feſtinantiùs libros noſtros, uerumetiam ut pauciores êderemus. Et illi tãtum æmulorum inſidiæ nocebant, mihi etiam præter cætera fautorum atq; amãtium ſtudia nocent. Tradatur ergo aliquãdo uxor puella, contenta hac quantulacunq; dote. Non enim formoſam eſſe credibile eſt, quæ maritum, niſi magnitudine doris conciliante, nõ inuenerit, uirgo præſertim. Maritum autem puellæ cœtum literatorum intelligimus, à quo ſanctitatem uxoris pudoremq; & cuſtoditum eſſe cupimus, & cuſtodiri debere teſtamur. Sed ad promiſſam uerborum diſputationem (cuius hoc libro locus eſt) deſcendamus.

Diſco, Ediſco, Dediſco, Dedoceo, & Inſtituo. Cap. I.

Diſco & Ediſco manifeſtè differunt. Nam diſcere eſt, ut intelligas. Ediſcere uerò, ut memoriter complectaris. Ideoq; caput apud Quintilianum quod inſcribitur de ediſcendo, ita incipit: Illud ex conſuetudine mutandum prorſus exiſtimo in his, de

de quibus nunc diſſerimus ætatibus, ne omnia quæ ſcripſerint, ediſcant, & certa (ut moris eſt) die dicãt. Dediſco, quod didici, obliuiſcor. Dedoceo te, oſtendo falſum eſſe quod doctus es, docens quod uerũ eſt. ut apud eundem in ſecundo: Et quidẽ prius ac difficilius opus dedocendi quàm docendi, Illud, quo quidam utuntur, Inſtruo, quale eſt: Inſtruam te in uia hac, qua gradieris: nobis apud idoneos authores incompertum eſt. Dicimus enim, Inſtruo claſſem, inſtruo aciem, inſtruo cauſſam, inſtruo militem: non autem diſcipulum, aut mentem alicuius, niſi eo modo, quo inſtruimus ea quæ dixi.

Excogito, Reperio, Inuenio, Offendo, Nactus ſum. Cap. II.

Excogitare eſt per cogitationem inuenire: idq; ad res tantũ incorporeas pertinet: ut, Excogitauit argumenta, rationes, figuras, cauſſas. Eſt ergo Excogitare & inuenire, conſilij: reperire uerò fortunæ: unde Ouid.

-Tu non inuenta, reperta es.

Sed iam uſus obtinuit, ut idem ſit Reperio, quod Inuenio. Eſt autem Inuenire, uel conſilio, uel caſu, ſiue corporea, ſiue incorporea reperire. Offendo ferè & Reperio, neq; ſolũ reuertendo. & ad ſtatũ rerũ publicarum, uel priuatarũ pertinet: ut, Offendes rẽpublicam perturbatã cõſilijs nepotis mei: uerumetiam ſinebis, ut idem Cicero: Sed tamen neminem tam malefica offendi, qui illum negaret Antonij dignum ſenatu. Nactus ſum etiam pro Inueni ſeu Reperi frequenter accipitur. Vt idem in Paradox. Eum tu hominem terreto, ſi quem eris nactus iſtis mortis aut exilij minis. Et de Senectu. Vitis quidem, quæ natura caduca

est, & nisi fulta est, fertur ad terram, eadem ut se erigat, clauiculis quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur.

ALEX. AB ALEX. AND.

Reperire uerò fortunæ.) Reperire etiam est studio & labore quæsitum inuenire. Ouid. Exanimesq; areus primò mox ossa requirēs. Repperit ossa tamē. Q. Curtius: Quippe Euphrates altum limū uehit, quo penitus egesto, uix sufficiendo operi firmo reperiunt solum. Idem: Quia duces adseruati profugerant, misit qui conquirerent: nec reperti. Prætereà quòd Valla existimat Offendo & Nanciscor idem esse quod reperio, procul à uero est. Etenim si Reperire est aliquid impenso studio inuenire, ut est modò ostensum: nemo ferè quispiam id in uerbo Nanciscor & Offendo inueniet. siquidem uerba hæc haud dubiè sub casu & fortuna sunt. Prætereà, Nanciscì propriè est rem fortè oblatam data occasione adsequi & habere. Liuius lib. 3. ab Vrb. cond. Pacuuius, inquit, Galenus malis artibus nactus opes. Idem: Castris ponēdis dispersos nactus. Cæsar: Idoneam temperstatem nactus.

Quod Valla ait Reperire esse fortunæ, iniquè calumniatur Alexander. Respexit enim Valla ad genuinam ac maximè propriam significationem, quæ est, casu inuenire aliquid: eaq; ratione Nanciscor & Offendo ferè idem sunt quod Reperio, Cæterùm Reperio à bonis authoribus usurpare pro eo quod est rem multo labore quęsitam inuenio, agnoscit Valla, cum ait, Sed iam usus obtinuit ut idem sit inuenio, quod Reperio. Idq; infinitis ferè exemplis probatur. Plaut. in Aulularia: Ibi intrò perscrutabor phanum, si inueniam uspiam aurum, dum hic est occupatus. Sed si reperero, ô fides, mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam. Ouid. Fast. lib. 3. de Baccho loquens:

Liba deo fiunt: succis quia dulcibus idem
Gaudet &, à Bacco mella reperta ferunt.

Et de eodem paulò post:

Colligit errantes, & in arbore claudit inani.
Libet, & inuenti præmia mellis habet.

Despio, Despisco, & Respisco. Cap. III.

Despio

Despio siue Despisco significat, uel quòd aliquid à communi sensu sapiētiaq; minùs habeo, uel quòd à meo sensu desistuor. Quod ferè uicium aut ex ætate uenit, aut ex morbo, aut amore, aut timore, aut simili aliquo adfectu. Cuius contrarium est Respiscere: & senes quidem iam dementes nunquam resipiscunt: cæteri autem resipiscere, id est, ad priorem mentis statum, uel ad meliorem mentem redire solent. Terent. Multò omnium nunc me fortunatissimum fā In Heaut.
ctum puto esse gnate, quum te intelligo resipisse.

Prohibeo, & Inhibeo. Cap. IIII.

Prohibeo uel generale nomen est, uel ante rem inceptam: Inhibeo autem re iam incepta. Illud uetat, ne quid facias, uel ne quid incipias: hoc, ne pergas ire, desistasq; ab incepto. Vergil.

Quod genus hoc hominum? quæue hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ.

Idem:

Parcite iā Rutuli, & uos tela inhibete Latini.

Vtor, Fungor & Fruor. Cap. V.

Vtor & Fruor, apertè differunt: sed non ea ratione, qua quidam uolunt, omnia sua imperitia confundentes, qui aiunt nos uti humanis, frui uerò diuinis: imò & diuinis utimur, & humanis fruimur. Quis enim mihi usum diuinorum interdicat? Quis ruri sus uetet me frui rebus meis, labore & industria paratis? Aut quis dicat me frui sacris, cùm in illorum uersor usu atq; administratione? Vel quis neget, cùm uoluptati operam do, me frui his rebus undè capio uoluptatem? Quòd si dicerēt, debere nos frui rebus diuinis, uti

uerò humanis (quanquàm ne in hoc quidẽ illis accedo) fortaſſe audirem. De rebus enim, non de uerbis diſputarent. Nunc uerbum exponunt. nõ res. Sed hos cum ſua imperitia, & (quod fœdius eſt) cum ſua pertinacia relinquamus. Vti igitur eſt alterius rei gratia: Frui nullius, ſed (ut ſic dicam) propter ſe. In illo iter eſt, in hoc meta, Hoc alterius finis, ad quem illud tẽdit. qui hoc habet, quieſcit & contentus eſt: qui utitur, nunquàm cõtentus eſt, ſemperq; ulterius tendit. Ideoq; reprehenſus eſt Hannibal, qui cùm poſſet uti Cannenſi victoria, frui maluit. Vtor armis, utor domo, utor libris, utor ſtudio, diligentia, operaq;, ut ex hoc poſtea emolumenti aliquid boniq; conſequar. Fruor bonis meis, fruor tuo aſpectu, tuo colloquio, tuo cantu: hoc eſt, delectationem uoluptatemq; percipio ex hac re, atque ex huius rei uſu. Nonnũquàm eadem re duo pariter, hic utitur, ille fruitur: ut ſi alter ad focum ſedeat ſanitatis cauſſa, alioqui id non facturus, alter uoluptatis: hic non tendit ultra, ſed apud finem ipſum quieſcit: ille non contentus præſenti conditione, ad ulteriora tendit: qualis Hannibal ſi fuiſſet, nec tam præſenti victoria requieſcere, quàm progredi maluiſſet. non enim Adherbal ſcire uincere, ſed uictoria neſcire uti, dixiſſet, id eſt, qui frui illa, quàm uti maluerat. Dicimus tamen nonnunquam Vtimur pro Fruimur, uerecundiæ cuiuſdã cauſſa: ut, Vtor pane triticeo, utor palmulis, utor ficis, quaſi uiuendi potiùs cauſſa edamus, quàm edendi cauſſa uiuamus. Deniq; frui eſt delectationem capere ex utẽdo. Itaq; ut idem recidunt, idemq; efficiunt frui, delectari uoluptatem capere. Quo fit, ut non fuerit cauſſa cur recentiores hoc uocabulum Frui, unde uenit Fruitio, ſolis rebus diuinis dare uoluerint.

Habet

Habet enim hoc uerbũ duo ſupina, Fruitum & Fretum: quorum primum uix in uſu eſt, niſi apud eos, qui uerborum nouitatibus & gaudent, & gloriantur. Secundum ſignificat confiſum: ut, Fretus fortaſſe familiaritate, quæ eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. Adiungimus etiam alterum uerbum ad perſonam (de Vtor dico) ſignificatq; conuerſor, ut opera tua utor. Idem Cicero ad Cælium: Fabio uiro optimo & homine doctiſſimo familiariſſimè utor. Et indè fit Vſus: ut, Vſus mihi fuit tecum, id eſt, conuerſatio, familiaritas, & conſuetudo. Quintil. Mulierem, cum qua longus illi fuerat uſus. Atque quia ſolemus aliqua re ideo uti, ut ex ea fructum percipiamus: factũ eſt ut dicamus uſum pro utilitate & fructu, tam in ſingulari, quàm in plurali: quorum exemplorum plena ſunt omnia. Fungor autem idẽ eſt, quod Officium munusq; ago: ut, Fungor magiſtratu, fungor prætura, fungor legatione, fungor officio delegato, fungor munere iudicis. Fungor autem uita, quod Fungor officio uitæ & munere adminiſtrãdi, gubernandiq; corpus, munere inquam adſignato nobis ab imperatore Deo. Inde Defunctus eſt uita, id eſt, finiuit officium uitæ. Vergil.

O tandem magnis pelagi defunctæ periclis.

Tit. Liui. Defuncta morbis corpora ſalubriora eſſe incepêre.. Defunctus periculis, quòd finita ſunt pericula: & defuncta morbis corpora, quòd finiti ſunt morbi corporum. Legimus etiã Defunctus morte, id eſt, uitam finiuit. De Potior dixi alio loco.

Sto, Sedeo, Sido, Siſto & Stator. Cap. VI.

STare eſt non ire, in his duntaxat, quæ eunt ſine pedibus, aut quæ erecta non ſunt: ut, Nauis ſtat, flumen ſtat, currus ſtat, ſol ſtat, unde eſt ſolſtitiũ, & iuſtitium

iustitium, quia ius stat, forumq; clausum est. Anguis etiã, & piscis, & lacertus, & auis in aëre, stant. Quædam ediuersò dicũtur stare, quæ erecta sunt, quandiu non cadunt. Sed hæc ferè sunt inanimata, ut arbor stat, simulachrũ stat, domus stat, columna stat. Quædam uerò non dicuntur stare, nisi hæc eant, & erecta sint, ut homo, equus, uolucrisq; stat. Nanq; homo cùm sedet, & equus cùm recumbit, & auis cùm cubat, non stant, nec tamen eunt. Illud tamen notandum, aliter dici Sedere de hominibus, aliter de auibus. Nam cætera non sedent, nisi simia, & si quid est simile. Ipsum uerò sedere auium, est in loco altiori esse, ut, Passer sedet in tecto, birũdo sedet in pertica, cornix sedet in arbore. Nec rectè dixeris, Stat in arbore: sed tali potiùs quodam modo cornix stat, non cubat. Vergil.

Alitis in paruæ subitam conuersa figuram,
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serũ canit importuna per umbras.

Li. 2. ca. 4 Quintilianus: Vt si quæratur, an sit credibile, super caput Valerij pugnantis sedisse coruum, qui os oculosq; hostis Galli, rostro atq; alis euerberaret. Deniq; eodẽ modo dicitur sedere auis supra rem quãpiam, ut homo super equum, aut iumentum: non dicitur stare, aut manere, sed sedere, quocunq; modo, aut quocunq; corporis habitu gestuq; compositus sit. Sidere autẽ à Sedere multùm distat. Est enim sidere deorsum descende-

Aeneid. 6. re, pessumq; ire. Vergil,

Sedibus optatis gemina super arbore sidunt:

Id est, ab alto demittuntur: unde Desido, subsido. ut idem: Subsidere ualles. Et iterum: Subsedit dubius. Nam (ut ego sentio) à sedeo præteritum mutuatur. Indè Insido quoq; Insedi, & Resido Resedi, Assido Assedi

Assedi. Siquidem Assidere est apud aliquẽ, ut ægrotum, ut rẽgem, sedere. Cùm enim Sallust. inquit: Consul postquam assedit: magis ab Assido, quàm ab Assideo præteritum hoc esse, significatio potest esse documento. Vt autẽ à Sedeo distat Sido, ita à Sto Sisto, ut, Siste lachrymas, siste fugam, siste gradum, id est, fac stare gradum, stare fugam, stare lachrymas. Atq; ut illa superiora idem præteritum habent, uel alterum ab altero mutuum sumit: ita hæc duo idem supinum, uel Sisto à sto, uel Sto à Sisto accipit, quod est Statum. Vnde fit stator, quod magis à sisto, quàm à sto descendit: ob idq; Iupiter Stator uocatus est, qui Romulum orantem ut fugam suorum sisteret, audiuit.

* Quarè nescio cur Hieronymus cõtra Iouinianum dixerit, offendet Iouem Statorem, qui libenter sederit, quasi Iupiter Stator à stando dicatur, & non à sistẽdo. nimirùm oblitus historiæ est, ut super Ionam fabulæ, ubi ait: Ex Ioppe Iudææ portu Andromedam à Perseo liberatam. In quo eorum manifestus est error, qui cùm legunt, quod Ionas surrexit, ut fugeret in Tharsis, & uenit Ioppen, opinantur hanc esse Andromadæ urbẽ, quum sit in India ciuitas Tharsis, undè illa fuit, ut ipse quoq; Hieronymus meminit. Ouid. lib. primo de arte amandi:

Andromeden Perseus nigris portauit ab Indis.

Et Sappho ad Phaonem:

Candida si non sum, rapuit Cepheïa Perseus,
Andromeda patriæ fusca colore suæ.

Eadem obliuio eiusdem fuit, quòd Gallos matris deûm. in Oseæ ait esse ex gente Gallorum, qui à Romanis ob ignominiã illius nationis uindice animo effœminantur, quum à Græcis hoc anteà, ut tunc fuerit fa-

ctitatum. Sistere dicimus etiam pro repræsentare, & præsentiam corporis exhibere, dictũ ab eo quod non tantum comparare quis debet, nisi & mãserit: undè de iudicio sisti, hoc est, de sistendo aliquem in iudicio. Cicero ad Atticum: Des operam, id quod mihi affirmasti, ut te ante Calendas Ianuarias, ubicũq; erimus, sistas. Et hinc stator, nuncius tabellarius'ue Consulis. Idem de officijs libro tertio: Vas factus est alter eius sistendi, ut si ille non reuertisset, moriendum esset sibi. Vergil.

- Et patrio te limine sistam.

ERAS. ROT.

Notatur à Laurentio Hieronymus, quòd in libris aduersùs Iouinianum sic Iouis statoris fecerit mentionem, uelut à stando dictus sit, & non potiùs à sistendo. Quasi uerò illic hoc agat Hieronymus, undè dictus sit Iupiter stator, ac non magis ridendi Iouiniani quęsiuerit ansam. nisi fortè cùm scribit Martialis:

Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos Cæciliane tuos:

uerè sensit hanc esse uocum differẽtiam, Et tamen, siue à sistendo deducitur stator, siue à stãdo, nihil est in quo reprehendas Hieronymum. Quid enim est aliud sistere, quàm facere ut stet aliquid? Quod enim Græcis unica uox declarat ἱστάνω, id est Latini duabus explicant, sed inter se cognatis. Próinde quum Iupiter sit stator: hunc offendere uidetur, qui sedere gaudeat. Atq; hæc qualiscunque uocum ac rerum adfinitas satis erat captanti risum.

Appeto & Expeto. Cap. VII.

Appeto cum affectu: Expeto cum ratione. Appeto qualiacunq;: Expeto honesta, planeq; bona. Vndè de rebus expetendis scripsêre philosophi, quæ scilicet peti debent: non autẽ de appetẽdis. ex quo deriuatur appetitus, qui immensa & immoderata cupiditas dicitur. Quarè qui dixit: Omnia bonum quoddam appetere uidentur, mallem dixisset Expetere.

Vendico & Vindico. Cap. VIII.

Vendico idem est quod (ut sic dicã) appropriо, ac meum esse dico. Quintil. Circo usitatum nomen Pœni sibi uendicant. Et iterum: Rusticus petit partem bonorum, orator sibi totum uendicat. Et ferè hoc uerbum postulat datiuum, & hunc frequentissimè ex pronominibus primitiuis: ut, Hunc agrum ego uendico mihi, tu uẽdicas tibi, frater uendicat sibi. Vindico, ulciscor. unde Vindicta, quoties iniuriam contumeliam'ue illatam punio. Interdum Vindico, idem quod ab iniuria, contumelia'ue siue iactura facienda, defendo. Cicero pro M. Marcello: Nobilissimamq; familiam iam ad paucos redactam penè ab interitu uindicasti. Idem de Senectute: Et est senectus natura loquacior, ne ab omnibus eam uicijs uidear uindicare: Vicijs, id est uituperationibus, quemadmodùm Criminibus, pro criminationibus. Dicimus Vindicare in libertatem, aut in seruitutem, quasi asserere in libertatem, aut in seruitutem, non (ut quidam uolunt) uendicare: ut Liuius lib. uigesimotertio, Intermori uehementioribus, quàm quæ pati possit, remedijs ciuitatẽ sinere, in ipsa uindicta libertatis perituram. Et in secũdo: Præmium indici pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data. Ille primùm dicitur uindicta liberatus. Quidam uindictæ quoq; nomẽ tractum ab illo putant, Vindicio ipsi nomen fuisse. Ego nescio an Vendico reperiatur, sed tantùm uindico.

Explodo, Complodo, Supplodo. Cap. IX.

Explodo non tantùm significat eijcio, sed eijcio manibus, & quidem cum sono pulsantibus, qualiter quempiam è domo, è theatro, ex aliquo concilio

iniectione manuum atq; pulsatione eijcimus. Quod apparet ex alijs à Plodo cõpositis, Complodo, & Supplodo. Est enim Cõplodere, aduersas manus, inuicem collidere: quod fieri pluribus de caussis soleat, uel ad testificandũ more fœminarum dolorem, uel præ gaudio, uel per subitam admirationẽ, uel si quæ sunt aliæ causſæ. Supplodere est pedem terræ incutere, quod interim solet in oratore laudari. Itaq; cùm dicit Cic. Quoniam Pyrrhonis, Aristonis, Herilli iampridem explosa sententia est: appositissimo uocabulo (ut semper) est usus. Non enim dixit eiectam sententiam eo modo, quo cætera eijciuntur: sed quasi pulsatione manuum, tanquam ipsi illi huius sententiæ authores è cœtu ab ipso cœtu, iniectis in eos manibus, eiecti sint, ut apertiùs alio loco indicat: Histrio si paulùm se moueat extra numerum, aut si uersus pronunciatus est una syllaba breuior, aut longior, exsibilatur & explauditur.

De Dico, & quibusdam deriuatis ab eo. Cap. X.

Dicere propriè est oratorum, & eleganter facundęq; loquentium. Quintil. lib. 10. Nam minè dicere quidem uidetur, nisi qui dissositè, ornatè, copioseq; dicit. Cic. de offic. Vt nõ modò Græcarum In præfa. lib. 1. literarum rudes, sed etiam docti aliquantulum se arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad iudicandum, id est, in oratoria arte, & in philosophia. Omnes ferè codices habent Discendum pro Dicendum. Quod exemplum ideò subieci potissimùm, ut uulgus emendarem. Vndè dictio uocatur * oratoria & oratio. Nam ab illo generali huius uerbi significato fit Dictio, quæ est uocabulum siue uerbũ. Ex hoc ipso uerbo Dico, duo

* Ali. oratoria & facunda oratio.

duo uerba frequentatiua oriuntur, Dicto & Dictito: sed posterius potiùs frequentatiuum est, & idem est, quod Frequentibus temporibus frequentibusq; locis & dico & narro. Alterum autem est quod Dico, si id alter scribens excipiat, & manu stylog; notet, ut Cicero ad Atticum quadã epistola testatur, se illam non scripsisse, sed reparãdi lateris gratia obambulantem dictasse. Et Quintilianus delitias dictandi appellat, sentiens delicati, non laborioſi esse dictare, nec accuratè dictando scribi. Ita dicta sunt Dictito & Dicto, à Dico, ut Ventito & Aduento à Venio, & eandem penè rationẽ significãt. Nam Ventitare est frequenter uenire: Aduentare uerò, proximum iam esse ueniendo. Victitare autem eodem modo dicitur, significatq; non frequenter uiuere, sed uesci, & quasi uictu uti, siue tali genere uictus frequẽtissimè et ferè semper uti, ut Sarmatæ uictitant lacte. Dictum & Dicta de omni sermone intelliguntur: sed specialem quoq; significationẽ habent pro dicaci sermone. undè dicta est dicacitas, quã Quintil. ita diffinit: Dicacitas sine dubio Lib. 6. cã. de risu. à dicẽdo quæ ex omni genere cõmuni dicta est. Proprièt tamen significat sermonẽ cum risu aliquos incessentem. Ideò Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant. Dicacitas igitur (ut diceba) sermo cum risu aliquos incessens. Dictum uocatur quod Græcè σκῶμμα dicitur: quale est Ciceronis: Nisi fortè iure Germanum Cimber occidit. Germani, quos Frãcos nunc dici Hieronymus ait, & Cimbri, nationes sunt olim inter se dissidentes. Cicero autem de quodam, cui nomẽ erat Cimber, à quo frater occisus est, loquitur: captans risum ex hac ipsa ambiguitate sermonis, & illud Terentiani Thrasonis in adulescentulum, quod In Eunu. Gnatho

Gnatho uetus dictum credidisse se simulat, id est, uetere facetiam, ac uetus ridiculũ: Tute lepus es, & pulpamentũ quæris. Valerius Mart. ad Domitianum:

Consueuêre iocos uestri quoq; ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet esse ducem.

Qualia autem sint dicta, quæ in ipsam triumphantem milites iaculari solebant, illud quod Cæsari dictatori fuit decantatum, erit exemplo: Ecce Cæsar nunc triũphat, qui subegit Gallias: Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem. Illud Subegit, & Cæsarem, in quem dicitur, mordet, & alijs apud quos dicitur risum mouet.

Adorare & Supplicare. Cap. XI.

ADorare ab Oro, quod est ore precor, componitur. Supplicare à Plico, quod genu, poplitemq;, aut ceruicem plicamus, cùm a potentiore aliquo magnum quid precamur. Et tamen adorare sine ore, hoc est, sine uoce fit, non sine plicatione genuum, ac gestu corporis: Supplicare sine plicatione genuum, ac gestu corporis, non sine ore ac uoce. Hinc est quarè supplicare tãtùm homini datur, adorare etiam mutis: unde Elephas, & Phœnix, & alia quædam irrationalia Solem adorare dicuntur: nosq; rebus mutis & sensu carentibus non supplicamus, sed adorationis honorem exhibemus, ut regum statuis, signis, uestibus, lateris, alijsq; similibus. Et præcipuè picturis imaginibusq;, tum Dei, tum sanctorum, tum ipsius etiam crucis, quam sapientes etiam adorant, stulti etiam orant. Quod de cruce, idem etiam de sudario dico, cæterisq; similibus: idem de reliquijs sanctorum, quorum corpora præsentia adoramus, animas uerò absentes oramus. Si quid autem ad hæc mutæ, quæ uidemus, dicimus,

mus, salutatione utimur, nõ precatione, quale est: Salue sancta crux.

Assurgo. Cap. XII.

ASsurgunt sani, ut stent, aut ut obuiam eant: assurgunt ægroti, ut sedeant, aut ut cubito innitantur. Viroq; modo in alterius honorem, aut officij, aut beneuolentiæ caussa hoc agẽtes. Ideoq; fere adiungitur datiuus, ut, Aduenienti magistratui omnes assurgimus, etiam morbo affecti, uidelicet ob honorem. Et, Pater cùm iaceret in lecto, redeũti à peregrina militia assurrexit, optatissimũ illud caput amplexurus: nempe ob charitatem.

Tollo. Cap. XIII.

SVstuli filium ex uxore, id est, habui filium: item Sustuli filium, id est, educaui: & ab utroque fit Ablatum. Primum est à Tollo, pro capio: secundum à Tollo, pro educo. Paulus: Tamen intelligendum est de his legẽ sentire, qui liberos tollere possunt. Itaque si castratum libertum iureiurando quis adegerit, dicendum est, non puniri patronum hac lẽge. Quintil. Cupidus ego liberorum, uxorem duxi, filium sustuli, natum educaui, in adolescentiam perduxi. Aliud est igitur hìc sustuliſſe & educaſſe. Et alibi: Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionẽ dederat, alterum abdicauerat, sustulit nothum, id est, habuit: quanq; patrùm propriè significo quod uolo. Nam ut fœmina, cùm mater fit, dicit, Peperi filium: ita uir cùm fit pater dicit, Sustuli filiũ. Terent. Quicquid peperisset, decreuerũt tollere, id est educare. Idem: Meministin me grauidã esse, et mihi te magnopere interminatum. Si puellã párerẽ, nolle tolli? Chremes. Scio quid feceris, sustuliſti

In And.

In Heaut.

sustuliſti. Eodem modo dicimus, Tulit filium, et ſuſtulit. Suetonius in Domitiani uita: Deinde uxorẽ Domitiani, ex qua ſecundo conſulatu ſuo filium tulerat, repudiauit. Alia duo ſignificata notiora ſunt: quorũ alterum eſt, ſubmouiſſe, ut Vergil.

- Iubet, & ſublata reponi
Pocula. -

Alterum in altum tuliſſe, ut idem:

- Et ſublatum ſurgit in enſem.

Quæ duo declarãtur ex illo in Neronẽ Epigram.

Quis neget Aeneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Hic ſuſtulit matrem, quia occîdit & de medio abſtulit. Ille ſuſtulit patrẽ, id eſt, ſupra humeros ſumpſit, & ab incendio eripuit.

Prouoco & Laceſſo. Cap. XIIII.

PRouoco in malam partem dicitur, & in bonam, De mala notũ eſt. De bona uerò Cic. ad Brutum: Tuis literis amantiſsimis ſum prouocatus. Laceſſo plerunq; in malum. ut idem: Sed iuſticiæ primum munus eſt. ne cui quis noceat, niſi laceſsitus iniuria. Lib. 1. off. Sed nonnunquàm in bonũ, ut idem 5. Tuſculanarum: Tuis me amantiſsimis libris laceſsiſti. Et ad Atticũ lib. 13. Cùm ipſe homo nunquàm me laceſsiſſet, id eſt, nunquàm me libris ſuis prouocaſſet ad reſpondendum. Eſt autẽ prouocare & laceſſere, tentare ad pugnam & ad concertationem.

Hio, Hiſco, & Debiſco. Cap. XV.

HIare eſt aliquid ſua ſponte & externa aliqua ui diffindere. ut tellus æſtu, et ligna ariditate, aut nimio calore biant. Hiſcere eſt quidem oris, & quidem

quidem humani, et accipitur pro eo quod eſt loqui, aut os aperire ad loquendum, ſed ferè per negationem, ut, Coram illo nõ auderes biſcere: aut per interrogationem, Quid nunc habes quòd biſcere audeas? Ouid. tamen poëticè dixit:

Hiſcere nempe tibi terra roganda foret.

quum oratores ſoleant potiùs dicere Debiſcere, id eſt, deorſum peſſumq; ſe aperire.

Do & Habeo fidem. Cap XVI.

DO fidem non eſt (ut nũc multi loquuntur) Dare fidem uerbis illius, & Non dedit fidẽ illi ſecum tantis uerbis loquenti. Hi uidentur ſignificare, quòd non crederetur illius uerbis: quod latinè dicitur Fidem habere: loquendumq; ſic potiùs, Habeas fidem uerbis illius. Nam Dare fidem eſt aliquid ſanctè promittere, ut Terentius: Grauidaq; facta, dat fidem uxorem ſibi fore hanc. Vergil. In And.

Accipe daq; fidem, -

id eſt, accipe ſponſionem factam à me, & tu mihi uiciſsim da tuam. Quintil. Fidem habeas hominibus, quos mentiri alius affirmat. Atticus ad Ciceronem: Neq; dedi neq; do infideli cuiquam fidem, id eſt, non promiſi uerè ex animo, quia ipſe meretur ut uiciſsim fallatur.

Præ ſe ferre. Cap. XVII.

PRæ ſe ferre, eſt dicto factóue, & ipſa ſtatim fronte, qualem opinionem de aliqua re aut homine habeas confiteri. Quintil. Fiduciam igitur præ ſe ferat orator, ſemperq; ita dicat, tanquàm de cauſſa optimè ſentiat, id eſt, ex ipſo aſpectu oratoris, ex ipſa uoce, ex ipſa tota oratione eluceat fiducia: quemadmodùm qui pugnaturi ſunt, in uultu & geſtu indicant tacitam uel formidinem, uel fiduciam, hoc eſt, præ ſe ferunt

runt fiduciam, uel formidinem. Cicero: Nam ille qui accipit iniuriam, meminit, & præ se fert, id est, ait se accepisse iniuriam, mentem ue se habere persequendæ iniuriæ ostendit. Iterum: At beneficio sum usus tuo, quòd quanquam illud ipsum, quod commemoras, præ me semper tuli, malui tamen me tibi debere confiteri, quàm cuiquam minùs prudenti non satis gratus uideri. Præ se ferre, & Confiteri, pro eodem posuit. In eundem sensum accipi solet Præfero, item Præ me duco, Præ me gero, Ante me duxi. Idem: Et tamẽ cùm ita uiuit, neminem præ se ducit hominem, ubi accipitur Præ se, Ante se, uel in comparatione sui. Et alibi: Præ se utilitatem gerit. Et alibi: Tamen iniuriam à te in me factam semper ante me duxi.

Rationem habeo, & Ratio constat. Cap. XVIII.

RAtionem habeo, idem est quod Respectum habeo, sed tantũmodò in bonum: ut, Habenda est ratio salutis, ratio honoris, ratio rei familiaris: non autem infirmitatis, turpitudinis, incommodorum, ut quosdam adnotaui scribentes: & Tu facis contra rationem ualetudinis, id est, non habes respectum ualetudinis, sanitatis inquam, non ægritudinis: quæ duo hoc significat nomen. Quæ exempla, quia passim inueniuntur, omitto. Cicero ad Marium inquit inusitatiùs: Pudori tamẽ meo malui cedere, quàm salutis meæ rationem ducere. Et in 2. Offic. Siue ratio constantiæ uirtutis q; ducitur, aut hæc ars est, aut nulla omnino, per quam eam assequamur. Et hoc fit cum genitiuo. Cum ablatiuo autem, præposita præpositione Cum, habet aliam significationem. ut Cic. in Catone maiore: Rationem habet cum terra, quæ nunquã recusat imperium, id est, negocium & commercium habet cum terra. Quod probatur ex illo in Tusculanis: Quis est omnium, qui modò cum Musis, id est, cum humanitate & doctrina habeat aliquod commercium, qui se non hunc Mathematicum maluit, quàm illũ Tyrannum? Idem ad Atticum: Nunc uerò quoniam, ea quæ putaui præclara, expertus sum, quàm essent inania: cum omnibus Musis rationem habere cogito. Rationem constare (ut breuiter dicam) est aquam legitimamq; rationem aut ostendi, aut apparere ostendi posse. Plinius iunior: Mihi & tentandi aliquid, & quiescendi, illo authore ratio constabit. Et iterum: Mirum est quàm singulis diebus in urbe ratio constet, aut constare uideatur pluribus, cunctisq; non constat. Vlpianus: Planè ne si defendendi gratia aliquid fecerit, rationem ei constare oportet: id est, rationem eum iustam aut ostẽdere, aut facilè posse ostendere.

De E, & Ex, diuersisq; nominibus & uerbis eisdem appositis. Cap. XIX.

ERepublica est, id est, pro republica est. Quintil. At hoc nemo dubitabit, quin si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse conceditur, saluos esse eos, magis è republica sit, quàm puniri. E republica dicendum est, ut in oratore Cicerone testatur, non ex republica. Tollitur enim x, sicut in omnibus fit ferè, quæ ab r incipiunt, ut E regione, id est, ex opposito, uel ex aduerso, atq; è contrario, non ex regione: è re mea, è re tua, è re nostra. Liuius libro 33. Perinde ac si non postulauerint, quæ è re sua essent, sed suaserint quæ nobis censerent utilia esse. Similiter E dignitate, ex utilitate, ex usu, pro eo quod esset pro dignitate, uel ad dignitatem, utilitatem, uel usum

usum. Cice. Ex tua ac reipub. dignitate facies. Et alibi: Legem (ut æquum est) ex utilitate Reipublicæ considerate. Terent. Quod ex usu fiet. Cæsar in commentarijs: Vtrùm prælium committi ex usu sit. Ex tempore dicere, est ex improuiso, et impræmeditatum dicere, nec domi compositam orationẽ adferre. Hinc uocatur extẽporalis oratio. Persius autem ait: Ex tempore uiuitur. Ex tempore quoq; agere. Cic. offic. 2. Quos credimus expedire rem, & consilium ex tempore capere posse. Aliter idem 3. eiusdem operis libro dixit: Vnius generis quæstionis sunt hæ omnes, in quibus ex tempore officium quæritur: ex tempore, quasi ex temporis cõditione. E renibus laborabat, idem inquit, hoc est, morbum in renibus patiebatur. Ex uinculis causam dicere, est alligatum respondere criminibus: ut ex equo pugnare, est in equo sedentem pugnare.

Æstimo & Existimo, Cogito & Excogito. Cap. XX.

Æstimo & Existimo à plerisq; confundũtur, quum diuersa sint, sicut Cogito et Excogito. Ante enim est cogitare, deinde excogitare. licèt nõ quicunq; cogitat, statim & excogitet. Ita priùs rem æstimamus, deinde qualis sit existimamus. Æstimare enim est considerare: Existimare uerò iudicare. Quintilia. Consumptis affectibus, non reperiens quo dignè modo uultum patris posset exprimere, uelauit eius caput, & suo cuiusq; animo dedit æstimãdum. Cicero de legibus: Sisenna eius amicus, omnes adhuc scripiores, nisi qui fortè nondum ẽdiderunt, de quibus æstimare non possumus, facilè superauit. Et in Verrinis: Expendite hæc, atq; æstimate. Vndè dictum est æstimare, pro taxare, ab æs æris, & τιμὴ Græcè, quod est precium Latinè. Ouid. 3. de Tristibus lib.

Quod quicunq; leget (si quis leget) æstimet antè,
Compositum quo sit tempore, quôq; loco.

Coniuro & Conspiro. Cap. XXI.

Coniurare & Conspirare ferè in malum accipiuntur, quoties in patriam, aut bonum principem coniuratio fit atq; conspiratio. Sed si honesta caussa id fiat, in bonum etiam accipi debent. Nam & Mutius Scæuola ad Porsennam rẽgem inquit: Trecenti coniurauimus principes iuuentutis Romanæ, ut in te hac uia grassaremur. Et Cicer. ad Cæsarem pro Ligario, fratrum cõspirationem dixit, quasi unanimitatem. Verùm conspiratio, ut in hoc ipso loco, nonnunq; nemini perniciosa est, in neminemq; grassatur: Coniuratio semper in alterius perniciem grassari solet.

Cordi est, & In animo est Cap. XXII.

Cordi est, & In animo est, differunt. Nanque hoc secundum, notum est significare In animo habeo, uel animus est mihi, uel uolo, atq; constituo. ut ad Terentiam Cicero: Nam mihi erat in animo, mittere ad Dolabellam. Illud uerò est delectat & placet. ut idem. Itaq; non tam me ista sapientiæ, quàm modò Fannius commemorauit, fama delectat: falsa præsertim, quàm quòd spero amicitiæ nostræ memoriam sempiternam fore: idq; mihi eo magis est cordi, quòd ex omnibus seculis uix tria aut quatuor numerantur paria amicorum. Quo in genere sperare uideor Scipionis & Lælij amicitiã posteritati notam fore, id est, eo magis me delectat & placet. Terent. Si tibi hæc nuptiæ sunt cordi. Et alibi: Quia uterq; utriq; est cor- In And.

di id est, nuptiæ iucundæ sunt tibi, & uterq; alterutrum amat.

Inuerto & Interuerto Cap XXIII.

INuertere est quasi in contrarium uertere, ut interiora uestis aut pellis, aut aliarum rerum exteriora facere, præpostereq; uerba pronunciare, ut pro lauo uola. Interuertere est rem aut cõmodatam, aut depositam, aut creditam, callidè doloq;, ne domino restituatur, efficere. ut Cic. in Verr. Candelabrum, quod rex Aegypti Ioui capitolino dono tulerat, à Verre, qui illud à rêge commodato acceperat, interuersum esse conqueritur. Marcellus Iurisconsultus: Si duo (inquit) hæredes rem apud defunctum depositam dolo interuerterint.

Compertum est, & Exploratum est. Cap XXIIII.

COmpertum est mihi, & Exploratum est mihi, idem est quod Scio per inuestigationem: similiter Comperi, & Exploraui. Constitutum est mihi, deliberatum est mihi, decretum est mihi, idem quod Apud me cogitando firmatum est: similiter Constitui, & Decreui: at non ita Deliberaui. Possum nanque deliberasse, & nihil tamen constituisse. Quintilianus in ægro redempto: Oderit is licèt confessionẽ meam, deliberaui, hoc est, dubitaui & hæsitaui. Itaq; differt an dicamus Senatus deliberauit, an Senatui deliberatũ est, id est, decreuit. Plin. Iunior: Tum ego, si fixum istud tibi ac deliberatũ est, sequar te. Cicc. in Verr. Deliberatũ autẽ est, si res opinionem meam, quam de uobis habeo, fefellerit, non modò eos persequi, ad quos maxima culpa corrumpendi iudicij, sed etiam illos, ad quos conscientiæ contagio pertinebit.

Explo

Exploraui tamẽ pro Inueni ferè accipitur, quũ Exploro idem sit, quod Inquiro sagaciter: undè dicũtur exploratores. Idem fit in nonnullis alijs, ut Exigo, quod est uehemẽter & iure quodã postulo: inde exegi & exactum, pro postulando obtinui, & postulando obtentum. Tale est Quæsitum, pro partũ, à Quæro. At non ita deliberaui.) Delibero interdum pro Constituo. Cicero act. 2. in Verrem: Quæ fama non idcircò solùm emanarat, quòd iste certè statuerat ac deliberauerat non adesse.

Fœnero, Fœneror, Mutuo & Mutuor. Cap. XXV.

FOenero tibi dicitur, sicut Mutuo tibi: Fœneror abs te, sicut Mutuor abs te. Qui mutuat pecuniam, dat mutuò. Qui fœnerat pecuniam, dat ad usuram. Qui mutuatur pecuniam, mutuò accipit. Qui fœneratur pecuniam, ad usuram accipit. Diuersum sentit author cornu piæ

Gradum facio, & Gradũ iacio. Cap. XXVI.

GRadum facere, nõ est transitum facere, sed aliquam rem gradũ & quasi scalã ad alia facere. Ideoq; à quibusdã dicitur Gradum iacere, ut si riuum transire, si in arborem fenestram ue aut tectum scandere uelim, ex saxo & scamno, aliquã ue alia re, gradum facio. ut apud Quintil. Nanque & illud frequens est, ut ea, quibus minùs confidimus, cũ tractata sunt, omittamus: interim sponte nostra uelut donantes, interrim ad ea quæ sunt potentiora, gradum ex his fecisse contenti. Hoc eodem modo Ambrosius in libris Officiorum utitur. Cicero contra Rullum: Nunc quasi gradum quendam atq; aditum ad cætera iactum intelligetis. Idẽ pro Cluẽtio: Antequã ad hoc nefariũ facinus accederet, aditũ sibi alijs sceleribus antè muniuit.

De Certum est. Cap. XXVII.

CErtum est non modò accipitur pro Manifestum est, ut Quintilianus: Nempè lêgẽ esse certum est: sed etiã pro Deliberatum & constitutum est. In quo secundo plerunq; adiungitur datiuus cum infinitiuo: ut Certum est mihi ire in Hispaniam. Nonnunquàm datiuus subintelligitur, ut apud Vergil.

Certum est in syluis, inter spelæa ferarum
Malle pati.

Liceor, Licitor, & Addico. Cap. XXVIII.

LIceor uidetur carere præterito: tamen quasi præteritum habeat, formatà se frequẽtatiuum (sed eiusdem tamen significationis) Licitor unde sunt participia Licitans, & Licitaturus. Vtriusq; uerbi significatio est, precium deferre in auctione facienda, hoc est, in uenditione, quæ publicè fit. Hinc unum compositum fit Polliceor, nõ multùm à primitiua significatione dißidẽs. Est enim polliceri, ultrò aliquid promittere. Ita qui licentur, aut licitantur, ultrô pro re emenda precium, alius alio maius, pollicentur, ut sibi potiùs quàm alteri uænalia addicãtur. Nam talis modo uendere addicere est, & inde apud Iurisconsultos de In diem addictione titulus est, quẽ nostri Iurisperiti emendãt, de in diem adiectione, non uerbum modò, sed sententiam quoq;, atq; ius ipsum corrumpentes. Asseramus ergo exẽpla utriusq; uerbi. Vlpianus: Si res eius uænierit, & exsistat qui plus liceatur, an in integrum propter lucrum restituendus sit. Et quotidiè Prætores restituunt, ut rursum admittatur licitatio. Caius: Licitatio uectigalium, quæ calorẽ licitantis ultra modum solitæ cõditionis inflauit, ita demum admittenda est, si fideiussores idoneos & cautionẽ is, qui

ff. lib. 18. tit. 2.

qui licitatione uicerit, offerre paratus sit. Ad conducendum uectigal inuitus nemo compellitur. Et ideo, completo tempore conductionis, licitatores alloquendi sunt. Licitatores uectigalium ad iterandam conductionem, antequàm superiori conductioni satisfaciant, admittendi non sunt. Paulus: Si uenditor simulauerit meliorem allatam conditionem, cùm minoris, uel etiam tantidẽ alij uenderet: utriq; emptori in solidum erit obligatus. Sed si emptor alium non idoneum subiecit, eiq; fundus addictus est: non uideo (inquit) quemadmodùm priori sit emptus, quũ alia uẽditio & uera postea subsecuta sit. Sed si neuter subiecit emptorẽ, maiore aũt precio addictũ est prædium ei, qui soluendo non esset, abitum est à priori emptione. quia ea melior intelligitur, quã uenditor comprobauit, cui licuit non addicere. Quibus ex uerbis intelligitur, quid sibi uelit illud Cicero. in Officijs lib. 3. Non licitatorem uenditor, nec qui contra se liceatur, emptor opponet. Idem pro Cecinna: Cùm esset (ut dicere institueram) constituta auctio Romæ, mulier mandat ut fundum sibi emat: Ebutio negocium datur: ad est ad tabulam: licetur Ebutius: deterrentur emptores multi, partim gratia Cæsenniæ, partim precio: fundus addicitur Ebutio: pecuniam argẽtario promittit Ebutius. quo testimonio nunc uir optimus utitur, sibi emptum esse: quasi uerò aut nos ei negemus addictum, aut tum quisquam fuerit qui dubitarit, quin emeretur Cæsenniæ, cùm id plerique scirent, omnes ferè audissent, cùm pecunia Cæsenniæ ex illa hæreditate deberetur: eam porrò in prædijs collocari maximè expediret: essent autem prædia quæ mulieri maximè cõuenirent, ea uænirent: licеretur is, quem Cæsenniæ dare operam nemo

miraretur. Quintilia. de pastu cadauerum: Si nobis nihil ex commeatu nostro partiris, nos uicinæ ciuitati uendemus, liceat seruire ubi frumentũ est. Non exigua res est, pro uita, pro sepultura, pro innocentia licemur. Idem in ægro redempto: Omnes facultates in precia collegi, rus, seruulos, penates et omnia utiliora properanti festinatione parẽtis addixi. Indè Addicti apud ueteres dicebãtur, qui prætoris pronunciatione ac iussu, cùm soluendo non essent, creditoribus uendebantur. de quibus magna apud Liuium fit mentio. Et Addictus morti, destinatus dicitur. Cicero Officiorum libro tertio: Et is qui morti addictus esset, paucos sibi dies, commendandorum suorum caussa, postulasset, uas factus est alter. Aliquando sine actione fit licitatio, ut apud Curtium de Darîo, qui pollicebatur precium pro capite Alexandri, si quis eum dolo occidisset, ita inquit: Et quum habeatis arma, ita licitamini hostium capita. Si quid tamen inter Liceri & Licitari differt, id est, quòd Liceri uidetur aut sine reſpectu esse aliorum emere uolentium. aut tantùm semel deferre precium: Licitari uerò cum multis, & sæpius augere precium, ut emere uolentes deterreas ab emendo.

Audio & Exaudio, Oro & Exoro. Cap. XXIX.

AVdio & Exaudio, indifferẽter ponuntur pro duplici significatiõe. Vna pro eo quod est Auribus accipio: altera pro eo quod est Audita peteti concedo: ut, Visa sum audire uocem militis, &:

In Eunu. Vox quoq; per lucos uulgò exaudita silẽtes. Iteꝝ
Audijt, & cœli genitor de parte sinistra
Intonuit læuum. -

Et

Et: Nulli exaudita deorum Vota. precesq; meæ. Audio, tamen frequenter accipitur pro eo quod est Credo, accedo, pareo præcipienti: sed ferè cum negatione, & frequentiùs per participium, quod transit in nomen, quod est Audiendus, ut apud Quintilianum: Nec audiendi quidam, quorum est Albutius, qui treis modò primas esse partes uolunt, quia memoria atq; actio natura, non arte contingant. Audiendus nõ est, idem est quod Audiri non debet. Ideoq; licebit dicere: Neque uerò quosdam, quorũ est Albutius, audire debemus. Sine participio. Cic. Tusculanarum lib. 1. Nec Homerum audio, qui Ganymedem à dijs raptum ait propter formam. Sine negatione. Idem in eodem: Endymion uerò (si fabulas audire uolumus) nescio quando in Lycio obdormiuit. Sed coniunctio hæc tacitam quandam in sẽ habet negationem. Aut certè idem hoc loco dicemus, quod diximus lib. tertio de Vllus. Sed nonnunquam sine negatione aptè dicitur. ut apud Liuium: Ciuem tuum non audisti arma capere, ac sequi se iubẽtem Hannibalem. Paulò pòst: Audisti castra prodi, & arma tradi iubentẽ. Audio insuper pro Fateor, quæ similis significatio superiori est. Ideoq; sæpè sic scriptum legimus: Audio & fateor, quasi poste rius declaret primum. Exoraui hoc munus, idem est quod Orando impetraui. Exoraui patrem, exorando induxi, quod licèt etiam pueris notum sit (quippe Terentium legentibus, ubi hoc uerbum millies est, nec unquam reperitur aliter acceptum) tamen quidam sic locuntur: Exoramus te Deus.

Li. 3. ca. 3.

De Lego & Perlego, multisq; alijs à Per compositis. Cap. XXX.

LEgo & perlego differunt, & multa huiusmodi.

Legere

Legere quid sit, notum est. Perlegere uerò, ad finem usq; legere. ut Quintilianus in duodecimo: Ideoq; opus est intueri omne litis instrumentum, quod uidere non est satis, perlegendum erit. Ouid.

In epist. Heroid. *Perlegis? an coniunx prohibet noua?*

Lactantius in proœmio libri quinti: Non iniustè petere uidemur, ut si quis erit, qui inciderit in hæc, si leget perlegat. Ita differt Scribere & Perscribere, quæ exempla sunt plurima. Tit. Liuius libro primo, statim in proœmio: Facturus ne operæ preciũ sim, si à primordio urbis, res gestas populi Romani ab initio perscripsero. Perferre, usque ad constitutum finem ferre. Vergilius:

Nec spacium euasit, nec totum pertulit ictum.

Et multi ferunt literas, sed eas uel negligentia, uel dolo, uel casu non perferunt. Cicero: Sed nuncius ille, qui literas accepit, nõ pertulit. Seneca in Tragœdijs: Leue est miserias ferre, perferre autem graue, id est, ad spacium temporis in miserijs esse leue est, ad finem uerò usque uitæ graue est: ut in illo simili exemplo Martialis:

Nam uigilare leue est, peruigilare graue.

Hoc est, partẽ noctis uigilare, leue est: usq; ad finem uerò, & totam noctem insommem ducere, graue, quod dicitur etiam pernoctare: Vnde & Pernox, quod & Peruigilando ita differt, quôd hoc interdiu quoq; fieri potest, illud uerô tantummodò noctu: quanquam Pernoctare facere uigilantes possumus, id est, totam noctem ducere. Peruigil draco dictus est, non quod pernox esset, sed quòd nunquam dormiret, semper uigilans. Peragere reum, est non tantùm agere reum, nisi peruenias ad illius condemnationẽ. Dicitur enim accusator reum condemnasse, cùm illũ condemnandum curauit. Vlpianus: Peregisse autem quis reum nõ aliter uidetur, nisi & condemnauerit. Perorare, finem orationis orare. Vndè peroratio, finis orationis dicitur. Sed quia in hac parte utimur plerũq; affectibus, ideoq; usurpamus interdum Perorare pro ipsa commotione affectuum, ut Quintil. At ista legem recitat, & in cadauer filij perorat, id est, indignationem commouet. Persuadere, est suadendo inducere: ut Cicero in Philippicis: Duo tamen tempora inciderũt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim: ea uelim reprehendas, si potes. Vnum, ne quinquennium Cæsari imperium prorogaretur: alterũ, ne pateretur fieri ut absentis eius ratio haberetur. Quorum si utrumuis persuasissem, in has miserias nunquàm incidissemus. Suasit ergo, & nõ persuasit Cicero Pompeio: ideoq; dicere solemus: Sic mihi persuadeo: nõ autem, Sic mihi suadeo. Persuasum habeo, persuasum est mihi, non autem Suasum habeo, suasum est mihi. Idem ad Brutum: Persuasum est adolescẽti, & maximè per me, nisi Antonio electo, Rempublicam stare non posse. Ille tamẽ, qui alijs, siue alios (utrunq; enim dicimus) persuasit, non persuasor eius sententiæ appellari solet, sed author. Cicero Offic. lib. 3. Atque huius deditionis ipse Posthumius, qui dedebatur, suasor & author fuit: quasi dixisset, Suasor & persuasor. Apud Quintiliã autem, cæterosq; sui temporis, dicitur persuasio pro certa opinione atq; sentẽtia, quam nobis persuasimus, ut libro primo: Si qua publicè est recepta persuasio. Quæ (quantum ego quidem sentio) id significare uidetur, quod Christiani dicunt, fidẽ. Et si originem Græcam inquiramus, nescio an commodiùs dicamus

persuasio

persuasio, quàm fides, præsertim re ipsa pro nobis fa-
ciente. Fides enim propriè Latinè dicitur probatio,
ut, Facio fidem per instrumenta, per argumenta, per
testes. Religio autem Christiana non probatione ni
titur, sed persuasione, quæ præstãtior est, quàm pro-
batio. Nam sæpe probationibus nõ adducimur: ut ma
lus seruus, malus filius, mala filia, mala uxor, optimo
consilio, quod confutare non potest, non tamen acqui-
escit. Qui persuasus est, planè acquiescit, nec ulterio-
rem probationẽ desiderat. Non enim solùm sibi pro-
batum putat, sed sese commotum ad ea exequẽda intel
ligit. Sed quia fides etiam pro (ut sic dicam) crudelita
te accipitur, quale est, Habeo tibi fidẽ, rectè etiã no-
stra religio nominata est fides, sicut à Græcis πίστις.
Verùm eò, undè egressi sumus, reuertamur. Persua-
dere est in affectu, Suadere autẽ in actu: itemq; Diss-
suadere. Itaq; nonnulli peccant, cùm dicunt, Diss-
hoc illi, pro eo quod est, reuocaui ab opinione in qua
erat. Siquidem pro hoc sensu dicimus, Persuasi ne fa-
ceret: sicut ediuersò, persuasi ut faceret. Quarè &
Suasor & Dissuasor, nisi persuadeant, nihil effec-
runt. Quintil. Ergò pars deliberatiua, quæ eadẽ suã-
soria dicitur, de tẽpore futuro cõsultat, quæritetiam
de præterito, officijs cõstat duobus, suadẽdi & dissua-
dendi. Non dixit Persuadendi: quoniã non est offici-
um oratoris positum in euentu, qualis est persuasio:
neq; est eius ars persuadendi, sed suadendi & dissua-
dendi in deliberatiuo genere: in uniuersum autem bene
dicendi, quod est in actu, non in euentu. Præterea, de-
liberatio uocatur suasoria, quoniã utrinq; suadetur:
qui enim dissuadet, nil aliud quàm in contrarium sua-
det. Cicero in Catone Maiore: Dissuasimus nos.

Deinde ut scias finem euentumq; dissuasionis, subiun-
xit: Itaque lex popularis, suffragijs populari repu-
diata est, i d est, dissuasimus, & dissuadendo ne fie-
ret persuasimus. Quantum errant philosophi nostri,
quorum Albertus unus est, qui cùm de comparatione Albertus Magnus
Dialecticæ & Rhetoricæ disputãt, huius uerbi si- Permanere.
gnificationem nescientes, quisquis illos leget, intelliget.
Permanere, est usq; ad finẽ manere. Plinius Iunior:
Tunc demum lentè cunctanterq; ueniunt, nec tamen
permanent, sed ante finem recedunt, alij dissimulanter
& furtim, alij simpliciter & liberè.

De quibusdam alijs à Per, Præ, uel Re com positis. Cap. XXXI.

Locuti sumus nõnihil de præpositione Per, quam
do componitur: addamus adhuc aliquid amplius.
Nonnunquam hæc per compositionem in malum acci
pitur, Periurus, perfidusq;, qui iusiurandũ fidemq; ui
olat. Pertinax, qui nimis est tenax. Perfuga, qui ad
hostes transit. Perditus, qui in omne scelus est tradi
tus. Percitus, qui iracundia furoreq; est incitatus.
Peruersus, qui uersatur in malo, & à bono uersus
est. Perpessus, laborioseè passus. Sæpè accipitur quasi
per medium, ut Perlucidum, siue pellucidum, id est,
per cuius medium fulgor emanat. Perspicuum, per cu Perspicuũ
ius medium, licèt opertũ sit, oculos dimittimus, & per
eius mediũ uidemus, ut aqua, glacies, laterna, uesica,
uitrum, cristallus, gẽma. Sed perspicuum plerunq; ad
mẽtem refertur, ut, Id quod ais perspicuum est, id est,
tale, quale uitrum, aut crystallus. Perlucidum magis Perlucidũ
ad corporea. Plaut. in Aululà. Ita is pellucet, quasi
laterna Punica. Seneca de tranquillitate. Quid pelli
centeis ad imum aquas, & circumfluentes ipsa conui-

uias

uia. Quintil. Sed, ut interest seiuncti, atq; ita cohærentes, ne commissura pelluceat. Aliquando, sed figuratè, ad mentem refertur. ut apud M. Tullium in Bruto: ita reconditas exquisitasq; sententias mollis & pellucens uestiebat oratio. Idem est Pellucens & Translucens, adeò ut Plinius maior ferè nunquàm utatur Perlucẽs siue Perlucidus, siue Translucẽs, siue Translucidus, quod etiam figuratè ad mentẽ refertur, ut Quintil. lib. 8. Similiter illa translucida, & uersicolor quorundam elocutio res ipsas effœminat, quæ illo uerborum habitu uestiantur. Perfluere, per medium alicuius fluere, si lagena malè materiata, maleq; compacta sit, perfluit, id est, per eius medium humor. qui intus est, fluit. Terent. Hac atq; illac perfluo, id est, in modum nõ fidelis lagenæ, quæ mihi committũtur, effundo. Plinius idẽ sæpius utitur Transfluo pro Perfluo quæ idem sunt, ut perfuga & trãsfuga. Perpluere, per medĩ alicuius pluere, ut, Hæc domus perpluit, hoc tectum perpluit. Quintil. in 6. Cùm cœnaculum eius perpluueret. Frequẽtissimè accipitur pro Valdè, ut alio libro ostendi, Permagnum, Pergraue, Periucundum. Quo in loco notãdum est, quod quum Præ in eadem significatione reperiatur, tamen quædam uocabula cum Præ coniunguntur, non cum Per, ut Prapotẽs, præcelsus prælatus, præfulgens, prædiues, prædulcis, prælongus, prædurus, præclarus, præcultus. Quòd si quid inter has præpositiones interesse uelis, id erit quòd uehementius auget Præ. Nam Prælongus homo, prælõga oratio ea dicitur, quæ enormi lõgitudine est: et Præpotens, præcelsus, & similia, maiorem in modum potens, celsusq;, & quasi præter modum morem ue aliorum potens ac celsus. Vnde

Perfluere

In Eunu.

Perpluere

Vndè etiam Præcox fructus, præter morem cæterorum coctus, siue ante cæteros. Vndè uuæ ficusq; præcoces dictæ, & Præmaturus antequam sit tẽpus maturum, collectus. Quidam tamen Præcoquus dicunt, ut Martialis:

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptiuis persica cara sumus.

Eadem præpositio iuncta cum uerbo, nonnunquàm habet pene nihil diuersum à sui simplicis significatione, ut, præcludo, præcido, præmorior, præcingo. Idem sunt enim quod cludo, cædo siue incido, morior, cingo. Cuius naturæ est etiam Re, ut * Reseco, recido, recingo, repurgo, refodio, repromitto, reuinco, quæ sæpe uix quippiam à simplicibus dissentiunt in significatione. Per, in obtestationibus atq; admirationibus ferè solet separari à suo accusatiuo, interiecto nominatiuo, qui frequentissimè est Ego, ut Vergil.

Per ego has lachrymas dextramq; tuamq;
Quintil. in Mathemat. Per has ego te optime pater
(si uis) tantum fortes manus.

* Mancinellus deprauatè legit Resero.

Inter Prosequor & Persequor. Cap. XXXII.

PRosequor & Persequor multi nesciunt distinguere: qui ne falli possint, ita accipiant: Prosequi non ferè carere ablatiui comitatu, ut, Prosequor te oculis, charitate, odio, honore, uersibus, cantu, conuicijs: Significaturq; actio declarans alterius affectũ in alterum. Persequor autem uel in malam partem, id est, insequor & insector, uel in bonam, cùm persequero exsequi, quod agere cœperam.

Prosequor.) Cæsar bel. Gal. lib. 2. Cæsar Rhemos

cohortarus, liberaliterq; oratione prosecutus. hoc est, liberaliter allocutus.

Partio & Impartio, & Partior. Cap. XXXIII.

PArtio & Partior quidam pro eodem legunt. Sed mihi uidetur rarò reperiri Partio sine In, & Partior cum In, quando est deponens, sed quando est passiuum. Est nanq; Impartio idem quod Impendo, uel partem do. M. Tul. Huic rei aliquid temporis impartias, quasi impendas. Idem: Laboris mei laudem nemini impartio, quasi partem do. Reperitur alibi quando mutata constructione, ut apud Terentium:

In Eunu. Plurima salute Parmenonem suum impartit Gnatho: quasi plurimam salutẽ Parmenoni suo impartit Gnatho: eo modo quo dicitur Dono tibi hunc equum,

Partior. & dono te hoc equo. Huius passiuum est Impartior. ut Cicero. Atque etiam uiro forti collegæ meo laus impartitur. Partior idem est quod partes facio, partesq; distribuo, sicut Sortior, sortem facio, sortem uel recipio. Vergil.

- Et socios partitur in omnes.

Quintil. Partire, uel gratis, dũ quo respiremus adsequas. Partiri itaq; de partib⁹ dicimus: Impartio magis de re incorporea, & quasi cõmunico. Impartiri tamen aliqui dicũt pro Impartire, ab ipso deponẽte Partior

In manu est, & In manibus. Cap. XXXIIII.

IN manu est, In manibus est, utrunq; acceptur pro eo quod est in potestate: sed dupliciter, de præsenti, & de futuro. De præsenti Cicero: Nõ est iste in manu mea. Et filius in patris, & seruus in domini manu dicitur esse. Vnde mancipium, & manumissio. Lucanus:

In manibus uestris, quantus sit Cæsar, habetis.

Vergil. Terra autem in manibus uestris.

De futuro Sallust. Verùm enimuero prob deorum atq; hominum testor fidẽ, uictoria in manu uobis est, uiget ætas, animus ualet. Contrà, illis annis atq; diuitijs omnia consenuêre. Tantum incepto opus est, cætera res expediet. In plurali tamen frequentiùs, cùm dicimus, Victoria in manibus est, quasi iamiam tenetur. Etiam dicimus In manibus est, in alia significatione, pro eo quod est Inter manus est, aut quia admirationi est, aut quia nondum operi summa manus imposita. Quando est admirationi. Cic. in Catone maiore. Est in manibus laudatio, quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus? Quando res non est consummata. Idem in eodem libro: Septimus mihi liber origi num est in manibus, omnia antiquitatis monumenta colligo.

Præditus sum & Adfectus sum. Cap. XXXV.

PRæditus sum bono dicitur, &, Præditus sum malo: sicut Adfectus sum malo, &, Adfectus sum bono, id est (ut breuiter magis quàm optimè dicam) habeo bonum, & habeo malum, ut Præditus sum humanitate, uirtute, diuitijs, dignitate, uiribus: quo sermo est usitatissimus: nunquam tamen cum ablatiuo & præpositione A uel Ab, ut fit in Adfectus, ueluti, Ego sum à rẽge magnis honoribus adfectus, nõ autẽ, Sum præditus à Deo magnis uiribus. De malo rariùs. Cic. pro Sylla: Nisi uerò unum me uis ferum, præter cæteros me asperũ, me inhumanum existimari me singulari immanitate & crudelitate præditũ. Idẽ pro Rabirio: Senectute adfectus, morbo præditus.

Contingit idē in Singularis, ut in proximo exēplo: Existimari me singulari immanitate. Sæpeq; legimus, Ille est singulari improbitate, tu es singulari stulticia. Similiter fit in alijs tribus, quatuor'ue, Notabilis, nobilis, insignis, & eximius. Quintil. Hūc tu animū modò inter libidines ac scorta perdebas, macie notabilis, pallore deformis, solaq; impatientiæ tuæ fabula notus. Nobile scortum, quasi in ordine meretricio excellens, uel maximè inter alia notum. ut apud Liuium: Nobilis ille clade Romana locus. Et apud Ciceronem: Cuius præter cæteros est nobilitata crudelitas. Et latrones uocamus insignes, qui maiore manu, maioreq; audacia grassantur. Et insignis improbitas, insignisq; stulticia dicitur, quē admodùm singularis eximiaq; stulticia, quod rarius est. Cicero Verrinarum. 4. Sin hāc uos in rēge tam eximiam iniuriam, tam acerbam neglexisse audient.

Descendo. Cap. XXXVI

DEscendo in prælium, descendo in forum, descendo in campum, dicimus, non quia de loco superiore in inferiorem descendimus, sed quia de loco tuto in locum discriminis: opinor, quòd qui in loco celsiore se tenet, pugnam detrectare existimatur: quem cùm reliquit, & in locum æquum uenit, atq; descendit, mentem se pugnandi habere declarat. Ideoq; non ferè dicitur in forum descēdere, nisi qui pugnandi & defendendæ litis caussa uenit in forum, non rerum uenalium coemptor ac negociator: & in campum descendere non nisi qui litis dignitatis'ue caussa (sicut in campo Martio fiebat) certaturus uadit: nec in prælium pugnam uel descēdere, quod in loca inferiora descēdat. Non enim locus est pugna & prælium, quū nihil intersit qualis locus

locus sit, planus, an montosus, in quem se cōfert, qui in pugnam descēdere dicitur, ut apud Vergilium: (Satis autem erit in re perspicua unum exēplum protulisse)

Instructos acie Tyberino à flumine Teucros,
Thyrrenamq; manum totis descendere campis.

Amo & Diligo. Cap. XXXVII.

AMare est generalis significati, idem quod Diligere nisi quòd putatur plus quiddam esse in amando, quàm in diligendo. ut Cic. ad Brutum: Lucius Clodius ualdè nos diligit, aut (ut ἐμφατικώτερον dicam) ualdè nos amat. Et iterum: Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quô contētus sum, diliges. Idem ad Dolabellam: Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem ergà te habebā, posse aliquid accedere? tantum tamen accessit, ut mihi deniq; nunc amare uidear, anteà dilexisse. Adamare est amatoriè amare, ut Quintilianus multis in locis: sed unus sufficerit. Me quidem marite, si quis interroget, omnes matres liberos suos tanquàm adamàuerint, amant. Videbis oculos nunquam à facie uultuq; deflectere, comere caput, habitumq; componere, suspirare cùm recesserint, exsultare cum uenerint, conserere manus, pendēre ceruicibus, non osculis, non colloquijs, non præsentiæ uoluptate satiari. Amicus cùm honesta res est: amica, quando ad uirum refertur, inhonesta: ut, Hæc amica mea est, id est concubina, ego uerò ipsius non amicus, sed amator sum. Ideoq; apud Terentium dicitur: Summum bonum esse heræ putaui hunc Pamphilum, amicum, amatorem, uirum. Ne putares amicum in malam partē accipi, adiecit Amatorem. Sed apud prosam hoc obseruatum semper inuenies: apud poëtas fortasse non semper.

Adamo.

Amicus.

In And.

THEOD. Adamare est amatorie amare.) Hoc perpetuum nō est. Aliter enim usurpant nōnunquàm hoc uerbum scriptores Latini. Cic. Acad. 4. Sed nescio quomodò plerique errare malunt, eamq; sententiam quam adamauerunt pugnatissimè defendere, q̄ fine pertinacia, quid constantissimè dicatur, exquirere. Idem in Verrem act. 6. Nam id concupisti, quod nunquam uideras: id inquā adamasti, quod antea non aspexeras. Cæsar bel. Gall. lib. 1. Posteaquam agros, & cultū, & copias Gallorum homines feri ac barbari adamassent, traductos plureis.

Declaro. Cap. XXXVIII.

DEclaro, frequētiùs ad facta pertinet, quàm ad dicta. Cicero: *Declarauit id modò, temeritas C. Cæsaris, qui omnia iura diuina & humana peruertit.* Aliquando etiam in dictis. Idem ad Ligarium: *Posteà uerò quàm magnam spem habere cœpi, fore ut breui tempore te incolumem haberemus, facere non potui, quin tibi & sententiam & uoluntatem declararem meam:* Et in eadem epistola: *Quandò quid sentirem exposui, uellem tua causſa re potiùs declarare quàm oratione. Interdum accipitur pro Significo.* ut idem libro primo de finibus: *Nullum uerbū est, quod idem declaret Latinè, quod Græcè ἡδονὴν, quàm uoluptas. declaret, id est significet, uel ostēdat, uel indicet.*

Ingredior. Cap. XXXIX.

INgredior componitur quidem ex In, sed diuersa ratione: nunc ad locum, ut, *Ingredior forum*, uel in *forum, qui modus loquendi nemini ignotus est. Nunc in loco, quod est ambulo & incedo. Vergil.*

Continuò pecoris generosi pullus in aruis
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit.

Cice. lib. 5. ad Atticum: *Si dormis, expergiscere: si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, aduola.* Idem

Idem est ergo Ingrederis hoc loco, quod Graderis, quod est ambulas.

Consulo te & tibi, Consulto. Consultor, Consultus, & Inconsultus. Cap. XL.

COnsulo te, consilium peto à te, uel interrogo & inquiro. Quintilia. *Quid per fidem facere uultis? Iuuenem quem de paricidio cōsuluit pater ille senatus miror Hercule non dixisse, uolui, sum uenefícus, sum paricida.* Idem: *Ergò quod primum est, ut* Lib. 10. *quod imitaturus est quisq; intelligat: & quarè bonum sit sciat: tum in suscipiendo onere consulat suas uires.* Et iterum: *Ego aures consulens meas. Consulo tibi, consilium do tibi, uel prouideo tibi: sed hoc frequentiùs, & magis propriè in rebus, ut, Consule uitæ tuæ, consule ualetudini, consule dignitati, cōsule saluti, consule rebus tuis: adeò frequentissimè, ut cùm dicitur Consulere uolo mihi, & liberis meis, intelligitur potiùs de corpore, & de rebus externis, quàm de animo.* In plurali autem numero interdum reperitur, sine apposito tamen, ut, *Consulunt Senatores*, quod frequentiùs dicimus Consultant, id est deliberant. Nisi enim adsit qui consilium petat, & qui consilium det, non erit deliberatio siue consultatio. Atque ut Consulunt dicimus pro Consultāt, hoc est, quòd altera pars petit, altera dat consilium: ita econtrariò nonnunquam Consultare est unius, non plurium partium, sed ita, si apud se duas partes sustinet, secumq; deliberat. Hinc duo nomina nascuntur, Consultor & Consultus. Consultor ferè pro eo qui alium consulit, accipi solet: nonnunq; tamen pro eo, qui alij consulit. Sallust. in Iugurth. Simul ab eo petiuit, uti fautor consultorq; sibi adsit. Et iterum: *Ita cupidine atque ira, pessimis*

consultoribus grassari, neq; facto, neq; dicto abstinere.

Cõsultus. Consultus, est homo prudẽs ac sciens, dignusq; à quo consilium petas. Cæterùm non occurrit mihi ubi reperierim, nisi aut participium, ut ibi: Consulti medici dixerunt eundem esse languorem. Aut nomen pro Iurisconsulto, ut Horat.

Lib. 1. Saty. 1

– Eris tu, qui modò miles,
Mercator: tu consultus modò rusticus.

Quintil. in 7. Scripti & uoluntatis frequentissima inter consultos quæstio est. Liui. tamen lib. 1. ait de Numa Pompilio: Consultissimus uir, ut illa quisquam ætate esse poterat, omnis diuini atq; humani iuris. Et in 10. Callidos solertesq; iuris, atq; eloquentiæ consultos. Horat. 1. carminum:

Parcus deorum cultor, & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ consultus erro.

In compositione frequens est, sed adiectiuum, ut apud Quintil. O inconsultam muliebrem semper amentiam, id est, imprudentem, inconsyderatam, & nullius consilij, Alterum quoq; compositum, si compositum est Iurisconsultus, quod etiam dici solet Iureconsultus. Nonnunquàm in simplici: ut Ouidius primo de arte amandi:

Sit tibi credibilis sermo, consultaq; uerba.

THEOD. Consulo nonnunquàm pro animaduerto accipitur. Q. Curtius lib. 4. Nihil in eam grauius est consultum. Lib. 5. Inde per colloquia capriuorum paulatim feritate mitigata, tradidêre se rẽgi, nec in deditos grauius consultum. Liuius ab Vrbe cond. lib. 3. Abstinebatur à patribus: in humiliores libidinosè crudeliterq; consultum. Iustinus lib. 1. Vt passurus Cyrus graue belli Græciæ fuerit, si quid in Crœsum crudelius consuluisset.

Ago gratias, Habeo, Refero, ac Reddo gratias. Cap. XLI.

Agere gratias, est uerbo: quod quidam barbarè dicunt Regratior. Habere gratias, in animo, cùm memorem accepti beneficij mentem animumq; habeo, & inuicèm gratificandi uoluntatem. Referre siue reddere gratias est facto: ut, Si tu à me subleuatus aut pecunia, aut patrocinio, aut manu, alioue subsidio, uicissim me aliquo modo subleuaueris, gratias retulisti, reddidistiq;: licèt Seneca nolit malas referri posse, sed reddi. Cic. tamẽ in Sallust. ait: Nam quòd ista inusitata rabie in uxorem et filiam meam inuasisti (quæ se faciliùs mulieres abstinuerunt à uiris, quàm tu uir à uiris) satis doctè ac peritè fecisti. Non enim libere sti me mutuam tibi gratiam relaturũ, ut uicissim tuos compellarem. Quanquàm Cicero nunquàm ferè ait Reddere gratiã, sed Referre. Porrò hoc exemplum in alium quoq; usum attuli, quod uidetur significare gratiam etiam uerbo referri, nõ solùm facto. Sed multùm tamẽ differt ab illo, Agere gratiam, quo tantùm innuitur confessio accipientis beneficium. Qui uerò refert gratiam: reddit beneficium, & interdum maleficium, siue facto, siue dicto: quoniam dicendo nonnunquàm prosumus æquè atq; faciendo. Plancus ad Ciceronem: Immortales ago tibi gratias, agamq; dum uiuam. nam relaturũ me, affirmare non possum. Tantis enim tuis officijs non uideor mihi respõdere posse. Ecce, Respondere officijs, & Satisfacere beneficijs, est gratias referre. Cæterùm frequentius est Refero gratiam, quàm Habeo gratiam. Item frequentius, Habeo gratiam, quàm Ago gratiam. Vix enim audiuimus Ago gratiam, sed gratias. Et rarò Refero gratias, sed gratiam. Cuius rei testimonium est illud in lib. 46. Titi Liuij: Satiatusq; tandem complexu fi

lij, Renunciate, inquit, gratias rẽgi me agere, referre gratiam aliã nunc non posse, quam ut suadeam, non antè in aciem descendat, quàm ut in castra me redijsse audierit. Dicimus item Ago grates: sed sæpius apud poëtas, qui necessitate uersus Ago gratias dicere non possunt: Nonnunquàm etiam apud oratores, ut Ciceronem: Aliquanto pòst suspexit ad cœlum, & Grates tibi, inquit ago summe sol, uobisq; reliqui cœlites: nisi legendum est Gratias, & non Grates pro eodem significato, siue pro eo quod est Reddo gratias. Seneca in Tragœdia, quæ inscribitur Agamemnon, dixit: Reddunt grates tibi grandæui lassiq; senes compote uoto. Reddũt grates, id est (ut ego interpretor) agunt gratias. Quis enim referre possit gratiam deo? quod etiam fando nunq; cognitũ est, præterquam apud quosdam recentes, nihil nisi barbarè loqui scientes: sed gratias agimus. Rarò etiã gratiam dijs habere dicimur, quoties agnoscimus: apudq; nosipsos fatemur ab illis beneficium accepisse, citra spem gratiam referendi, ut in Andria Terent. Pol dijs habeo gratias. quòd in pariundo aliquot adfuerunt liberæ.

Dicimus item Ago grates.) Sic etiam Habeo grates. Curtius libro tertio: Pro se quisq; dexterã eius amplexi, grates habebant ueluti præsenti deo. Cornelius Tacitus libro primo: Laudes & grates reuersis legiõnibus habentem.

Gratulor & Grator. Cap. XLII.

GRatulari, est uerbo testari te gaudere fortunæ ac felicitate alterius apud eum ipsum, qui adfectus est felicitate. Nonnunquàm apud teipsum ob tuam felicitatẽ. Ideoq; ferè postulat datiuum, ut, Gratulor tibi ob tuam præturam adeptam, Gratulor manibus meis, quibus ut te contingerent, datum est. Quintilianus

tilianus: Non efficiet tamen infandum præsentis reatus indignumq; discrimen, ut misera puella non gratuletur sibi, quòd ipsam pauper accusare iam potest. Poëtæ nonnunquam prætereunt datiuum, utique cùm fuerit pronomen, quæ fuit caussa, ut quidam existimarent, quorum est Apuleius, hoc uerbum idem significare, quod Gaudeo. Ouidius in Heroidib.

Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris.

Gratulor inquam, tibi, uel mihi, uel nobis. Idem tertio de arte Amandi:

Prisca iuuent alios ego me nunc deniq; natum
Gratulor. -

Gratulor, subintellige mihi. & interdum etiam oratores. Quintilianus in pastu cadauerum: Gratulemur iam, quòd nulla ciuitas fame laboret: subintellige nobis. Verba autem Apulei hæc sunt in Apologia de Magia: Eo tempore quod non negabunt in Getuliæ mediterraneis montibus fuisse, nisi pisces per Deucalionis diluuia reperirentur, Quod ego gratulor nescisse istos, legisse me: prætermisit datiuum, atq; Gratulor pro Gaudeo accepit, Quod tantùm abest, ut approbem, ut posit gratulari quis cùm minimè gaudeat, atque adeò doleat (quod frequenter usu uenit) utiq; inter falsos amicos, cùm alter inuidus atq; æmulus tacitè quidem dolens, quòd alter honoribus auctus sit, tamen illi gratulatur. Fortè & Apuleius subintellexit Mihi. In eadem significatione accipitur Grator, sed poëticum historicumq; est. Vergil.

Inueni germana uiam, gratare sorori. Aeneid. 4

Titus Liuius lib. 7. Tuum sequentes currum, Iouis optimi maximi tẽplum gratantes ouantesq; adire. Dicimus aliquando Gratulari, pro eo quod est gratias agere

agere: sed non frè nisi dijs immortalibus. Ideoq; propriè idem est quod supplicare. Siquidem triumphantes in Capitolium ascendebant Iouī optimo maximo cæterisq; dijs gratulatum. Eiusdem quoq; significationis fortassis est Grator, quod significat Liuius libro decimo, dicens: Itaq; prætor exemplò edixit, uti æditui ædes sacras tota urbe aperirent, quo circumeundi, salutandiq; deos, agendiq; grates per totã diem populo potestas esset. Nec mirum, si dicimus Gratulari, Gratari'ue dijs, quasi ostendere, nos illis adgaudere: quum dicamus etiã eosdem salutare, quasi salutem illis optare, quod hominibus conuenit, non dijs.

Fingo & Effingo. Cap. XLIII.

FIngere propriè est figuli, qui formas ducit ex luto. Indè generale fit uocabulum ad cætera, quæ ingenio manuq; hominis artificioſè formãtur, præsertim inusitatè & nouè. Effingere est ad alterius formam fingere, & quodammodò fingendo repræsentare. Cic. 2. de Orat. Tum accedat exhortatio, qua illum, quem delegerit, imitãdo effingat atq; exprimat.
Li. 1. ca. 4 Quintil. Nam id quoq; est docilis naturæ, sic tamen ut ea quæ dicit effingat. Et iterum: Nam mihi uidetur M. Tullius cùm se totum ad imitationem Græcorum cõtulisset, effinxisse uim Demosthenis, copiam Platonis, iucũditatem Isocratis. Vndè dictum est nomen Effigies, figura ad uiuã alterius similitudinem, uel ad ueritatis imaginẽ facta, tam in picturis, quàm in sculpturis.
Li. 10. c. 4

Obeo, Oppeto, & Defungor. Cap. XLIIII

OBeo legationẽ, Exsequor munus & officium legationis. Obeo prouinciam, exsequor officium prouinciale. Ita Obeo mortẽ, exsequor uel pergo mortem, uel adeo mortem, quemadmodùm dicitur quis obijsse diem pro adiuisse. Item Obijt diem suum, idem est, quod mortuus est, & iuit ad diẽ fati, ut apud Quintilianum: Nunciatum est Marcellũ diem suum obijsse. Prætermittimus autem nonnunquam illum accusatiuum, dicentes, Marcellus obijt. Quod idem fit in illis significatione similibus uerbis, Oppetijt, & Defunctus est, atq; etiam in Detulit, & si qua sunt alia. Nã in priore subintelligitur accusatiuus Mortem, in posteriore ablatiuus Vita. Quid signi? quòd sæpè reperimus hæc nomina esse his uerbis adiuncta. Est autem Oppetere frequentiùs quidem mori, non fatali, sed illata morte. interdum tamen & fatali. Cicero de Officijs: Et Aiax traditur millies mortẽ maluisse oppetere, quàm mulieribus (si Circe & Calypso mulieres appellandæ sunt) ut Vlysses fecit, inseruire. Idem de Diuinatione: Aequius esse censuit se maturam oppetere mortẽ, quàm P. Africani filiam adolescentem fœminam amisit, ipse paucis diebus post est mortuus. Sine accusatiuo apud Vergilium:

Variauit hoc exemplum Laurentius.

- O terq; quaterq; beati,
Quîs ante ora patrũ, Troiæ sub mœnibus altis,
Contigit oppetere. -

Aeneid. 1.

Defunctus quoq; dicitur, quasi perfunctus munere uiuendi. Ideoq; ut dicimus Perfunctus est, siue defunctus officio prætorio, munere ædilitio, cura tribunitia: ita Defunctus uita, id est, ab hac administratione, ab hoc munere, ab hac procuratione cessauit. ut apud eundem:

- Defunctaq; corpora uita.

Detulit autem (quod tertio loco posui) in idem significatum

catum accipio, quod est accusauit, ubi subintelligitur reus, ut Quintilianus: Diuitem detuli reum, pauper, inimicus occisi pater.

Vestigo, Peruestigo, & Inuestigo. Cap. XLV.

PEruestigo & Inuestigo, non solùm quæro, sed etiam (ut quidem frequentiùs) quærendo inuenio, ut sit Vestigo quæro, Inuestigo & Peruestigo, quasi acquiro. Ductum autem est hoc uerbum à uestigijs, tanquàm signis indicijsq́, quibus ad rei notitiã peruenimus. Cic. 3. de Oratore: Ipsa tractatio & quæstio quotidiè ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione uestiges. Idem in eodem libro secundo: Nosse regiones, intrà quas uenias, & peruestiges quod quæras. Idem pro Ligario: Sed quoniam diligentia inimici inuestigatum est quod latebat, confitendum est, ut opinor. Terent. Nihil tam difficile est, quin quærendo inuestigari posit.

In Heaut.

Nutrio & Alo. Cap. XLVI.

NVtriri est & paruulorum, ut crescant: undè nutrices dicuntur, nutricijq́, qui curam infantium habent, habuerunt ue, & adultorum, ut uituant. Ali quoq; in eodem significato. undè lex illa XII. tabularum: Liberi parẽtes alant, aut uinciantur. At in rebus corporeis frequentiùs ut crescant. Quintilianus: Sed alere facundiam, uires augere eloquẽtiæ possit: périnde acsi dixisset, augere facundiam, augere uires eloquentiæ posit. Cic. Sed nec illa extincta sunt, aluntuŕq; potiùs, & augentur cogitatione & memoria mea. Coniunxit & ipse hæc duo, sicut solemus in multis, quæ similia sunt, ut Possum & Licet, ut Numinus & Officiũ, ut Mens Animusq́. Verg. Hoc successus alit, i. quasi borũ aĩos successus augescere facit.

Spero & Confido. Cap. XLVII.

SPero, pro Credo, usitatũ est, siue de præsenti loquamur, siue de præterito. De præsenti Quintilianus: Facilis (ut animaduertere uos spero) defensionis meæ cursus est. De præterito. Idem: Et innocentiam quidem puellæ satis (ut spero) defendimus. et Cicero: Spero iam probatam esse amicitiam nostram. Similiter Confido pro Credo tum in præterito, tum in præsenti, tũ in futuro. In præterito: Quoniam probatam rationem officij mei uobis esse confido. In præsenti: Quanquàm à Cratippo nostro principe huius memoriæ philophorum, hæc te assiduè audire atq; accipere confido. In futuro: Ita fore confidimus. Hæc exempla ex Cicerone sunt.

Dico & Fero sententiam, Dico & Fero legem. Cap. XLVIII.

DIco sententiam consiliarius, Fero sententiam iudex. Quorum exempla frequentiora sunt, quàm ut à me repeti debeant. Nonnunquàm tamẽ Dico pro Fero. ut apud Quintilianũ: Apud iudices quidem secundùm legem dicturos sententiam, de confessis præcipere, ridiculũ est. Iuris quoq; consultos hoc uerbo in hunc sensum frequentissimè usos uidemus: Dico lèges, aliud quàm fero lèges. Est enim Ferre adsumos, Dicere ferè ad uictos. ut Liuius libro quadragesimo sexto: Nihil ea mouerunt regem, tutam fore belli Asiam ratum, quando périnde ac uicto iam sibi lèges dicerentur.

Circunsto & Circunsisto. Cap. XLIX.

CIrcunsto, & Circũsisto, utrũq; facit Circunsteti, sed primũ pro Circundo, alterũ pro Inuado uirruo, & quasi terrificatione aggredior. Vergil. Aeneid. 6.

Circunstant

Circunstant animæ dextra lævaq; frequẽs. Idẽ.

At fessi tandem ciues infanda furentes
Armati circunsistunt. Et alibi:

At me tum primùm sævus circunstetit horror.

Quintilianus in apes pauperis: Cùm me euocassent subitò trepidum, totoq; fortunæ suæ strepitu circunstetissent. Nonnunquàm non terrificandi, sed terroris auferendi gratia ponitur. ut Cæsar in commẽtarijs: Si quis grauior uulnere accepto deciderat, circunsistebant: hoc est, socij iacentem exhortabantur, tela hostium arcentes. Nonnunquàm etiam ut Circunsto accipitur. ut apud eundem: Et mercatores in oppidis uulgus circunsistit, quibusq; ex regionibus ueniant, quasq; ibi res cognouerint, pronunciare cogit. Quo etiam modo apud Quintilianum accipi solet.

Vsurpo. Cap. L.

VSurpare est uti siue usitari, tum dicto, tum facto. Cic. in Orat. Pòst inuenta conclusio est, qua credo usuros illos ueteres fuisse, si iam nota atque usurpata res esset, qua inuẽta omnes usos magnos oratores uidemus. Hoc etiã sic dicere licebat in eandem sententiam: Pòst inuenta conclusio est, quam credo usurpaturos illos fuisse, si iam nota atq; usurpata res esset, quam inuentam omnes usurpasse magnos oratores uidemus. Idem: Quod semper usurpamus in omnibus dictis ac factis, minimis ac maximis: cùm hoc dicere dicimus, illud nõ decere. Idem: Præclarè enim hoc est usurpatum à doctissimis, quorum ego authoritate non uterer, si mihi apud aliquos agrestes habẽda esset oratio. Sed quum apud prudentissimos loquar, quibus hæc inaudita non sunt, cur ego simulem, me, si quid in his studijs operæ posuerim, perdidisse? Dictum est igiur

In Paradox.

igitur ab eruditissimis uiris, nisi sapientem, liberum esse neminem. Vsurpatum & Dictum pro eodem accepit, sicut Doctissimis & Eruditissimis. Quid multa? quũ frequenter Iurisconsulti utantur Vsurpo pro Dicito. nam pro Factito, minùs dubium est.

Præstò sum & Adsum. Cap. LI.

PRæstò sum idem est quod Adsum: nec alteri ferè uerbo cohæret, nisi uerbo substãtiuo, & huic simplici. Nam Præstò adsum magis poẽticum est. Quid igitur significat Adsum? Tria: Vnum naturaliter, duo per quendam flexum & deriuationẽ. Primum est, præsens sum, quod modò cum ablatiuo iungitur, In præpositione seruiente. ut apud Ciceronem de Oratore: Paulus in pugna nõ adfuerat. Modò cum datiuo. ut apud eundem in Philippicis: Omnibus his pugnis Dolabella adfuit. Et apud Quintilia. Nam in libris obseruationũ à Septimio êditis, adfuisse Ciceronẽ tali caussæ inuenio. Secundum est hinc ductum quod sæpè corrogamus, qui nobis adsint periclitantibus, quales sunt aduocati, quorũ officium est adesse in iudicio. Sed ipsum illud adesse sauere est, præsidioq; esse. Ideoq; dicimus Adesse pro eo quod est esse præsidio. Vergilius:

Modò Iuppiter adsit. - Et iterum:

Adsis ô tandẽ, & placidus tua numina firmes.

Et in prosa. Quintil. Nunc omnes in auxilium deos, ipsumq; in primis, quo nec præsentis aliud, nec studijs magis proprium numen est, inuocem, ut quãtum nobis expectationis adiecit, tãtum ingenij aspiret, dexteraq; ac uolens adsit. Idem: Si tamẽ pater, qui diuisit patrimonium. & reos paricidij defendit, sic agat quod contra legẽ sufficit: paricidium objcitur iuuenibus, quorum

In prologo 4.

rum pater uiuit, atq; etiã liberis suis adest. Tertium est Aduenio seu magis Aduentiam. Nam propè idem sunt, Iam ueniet, & iam præsens erit. Itaque Aderit accipitur pro utroq;, siue pro utrouis. Vergil.

Iãq; aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus.

Iterum:

Huc ades ô formose puer. - Et:

Huc ades ô Galathea, quis est nã ludus in undis?

Et iterum:

Huc ades ô Melibœe, caper tibi saluus et hœdi. Vbi si eadem foret significatio, quæ est in illo Præsens sit, Hîc ades, non huc, diceretur. Ergò Huc ades, pro Adsis, idem est quod Huc ueni. Has easdem significationes habet Præstò sum, & eadem ratione. In prima, Ciceronis exemplum est in Bruto: Quibus quidem causis tu etiam Brute præstò fuisti. In secunda eiusdem pro Murena: Ius ciuile didicit, multùm laborauit, uigilauit, præstò multis fuit. Et pro eodẽ: Tu interea Romæ scilicet amicis præstò fuisti. In tertia eiusdem ad Herennium: Hyrundines æstiuo tempore præstò sunt, hyeme pulsæ recedunt. Et in epistolis frequenter: Stator tuus mihi cũ literis præstò fuit. Et propriè accipi solet hoc ultimũ pro eo quod nunc dicimus Compareo: ut si quis aliqua dignitate imperioue adfectus, alteri sic iubeat: Cras mihi ad hunc locum, & ad hanc horam præstò sis, id est, compareas, & te repræsentes atq; exhibeas mihi.

Fleo, Gemo, Ploro, Plango, Eiulo, Lamẽtor, Vociferor. Cap. LII.

FLere est lachrymis. ideoq; tantùm hominum, sicut ridere. Gemere est in pectore, cùm præ angustia in sonum prorumpit. ideo & iumenta sub nimio pondere

pondere gemunt, & inanimaea quoq; cùm nimis onusta sunt, gemere dicuntur. ut apud Vergil. Aeneid. 6.

- Gemit sub pondere cymba.

Plorare, est uoce flebili & effusa dolorem suum aperire. Vndè Implorare est plorãdo opem orare. Plangere est percussiõe ac uerberatione pectoris, capitis, uultus, aliorumue membrorum, se in dolore affligere: regitq; post se accusatiuum. Ideoq; per translationem dicuntur fluctus plangere litora, quasi ad declarandum dolorem, in modum lamentationis. Eiulare est uoce sublata flere, quod magis mulierum est proprium. Vociferari est uoce effrenata non modo dolorem, sed etiã indignationẽ (quanq; indignatio doloris genus est) ostẽdere. Interdum sine affectu, sed tamen uehementiùs exclamare. Lamentari est uoce querula & tristi oratione cladem testari suam. Quæ exempla lecturis hoc opus inuestiganda relinquimus.

Existit & Extat. Cap. LIII.

EXistit atq; Extat, quorum uerborũ unum atq; idem præteritum est, simile quiddã significant, quod est Eminet & superest. Sed primum cum motu, alterum sine motu, ut illud sit prodit uel exurgit, hoc uerò superstat. Cic. de Diuinatione: Atq; delapsus in flumen nunquàm cõparuisses, me contremuisse, timore perterritum, tum te repentè extitisse. Et iterum in eodem libro: Submersus equus uoraginibus nõ existit. Adhuc iterum in eodem: Vocem ab ade Iunonis ex arce extitisse. Atq; iterum: Neq; diu illa uox extisset. Et in secundo: Anguem ab ara extitisse. Et iterum: In Lysandri statuæ capite Delphis extitit corona. De rebus quoque mutis existere dicimus. ut idẽ in Lælio: Existit hoc loco quæstio subdifficilis.

De extare exemplum unum Vergilij suffecerit Georgic. tertio:

- Stant circunfusa pruinis
Corpora magna boum, conſertoq; agmine cerui
Torquẽt mole noua, & ſummis uix cornib⁹ extãt.

Quo fit, ut de libris, qui demortui non ſunt, dicamus extare, ut, Extant pauciſsimi Varronis libri, plurimi non extant. Nam ut de homine, qui adhuc uiuit, loquimur Supereſt, quaſi nõ ſubter eſt, ſub terra humatus: ita de rebus Extant, quaſi extrà ſtant, non intrà & in tenebris latent. Cicero in Oratore: Quæ (ut ſcis) extat oratio. Et de Senectute: Et tamen ipſius Appij extat oratio.

Conciliare amorem & beneuolentiã nos, dici, Inire autem gratiam. Cap. LIIII.

COnciliamus amorem nobis alicuius, cõciliamus beneuolentiam: non autẽ conciliamus nobis gratiam. Rurſus, Inimus gratiam, nõ autem inimus amorem aut beneuolentiam. Quarum omnium orationum eadem ferè ſententia eſt, ac ſi hoc uerbo uterer Contraho, uel Comparo: niſi quòd inire gratiam eſt magis fauorem comparare, quàm amorem, ut apud Quintilia. Quinetiam hoc timeo, ne ex eo minorẽ gratiam hic liber ineat, quòd pleraq; nõ inuenta per me, ſed ab alijs tradita continebit. Reconciliari tamen, & In gratiam redire, idem ſunt, quoties amici, interpoſita aliqua offenſa, cùm aliquandiu fuerunt inimici, in priſtinam redeunt beneuolentiam ac familiaritatem. Sed Redire in gratiam etiam cum inanimatis ſolemus. ut Cic. de Senect. In gratiam cum uoluptate redeamus. Præterea cõciliamus nobis laudem, famam, honores, ſimiliaq; nõ autem inimus. Quintil. lib. ſecundo: Nam & plus authoritatis adferunt ea, quæ non præſentis gratia litis ſunt comparata, & laudem ſæpè maiorem, quàm ſi noſtra ſint, conciliant. Rurſus, Ineo rationem, ineo fœdus, ineo pacem, ineo ſocietatem, ineo bellum, ineo pugnam, ineo uiam, quaſi capeſſo atq; ingredior: quòd non ferè, niſi in re momentoſa, aut graui grandiue, dici ſolet. Nam nõ ita rectè loquar, Ineo prandiũ cœnamue, ut Ineo conuiuium. Vndè principium rei maioris, initium uocatur, ut initium orationis, Quintiliano quoq; teſtante, qui ait: Quod principium Latinè uel exordium dicitur, maiore quadam ratione Græci uidẽtur procœmiũ nominaſſe, quod à noſtris initium modò ſignatur. Et huius uerbi participiũ abſolutè poſitum ſine regimine, maioribus rebus adhibetur, ut, Ineunte pueritia, ineunte adoleſcentia, ineunte ætate, ineunte uere, ineunte æſtate, hyeme ineunte, ineunte anno nouo: non autem Dormitione ineunte, conuiuio ineunte, die ineunte, nocte ineunte, hora ineunte, ſed incipiente: niſi dicamus illud Ineunte certis nominibus debere adiungi, quæ ſunt ea, quæ modò expoſui.

Lib. 4 ab initio.

Ineunti pueritia. &c.

Obruo, Ingurgito, & Crapulor. Cap. LV.

OBruere eſt operire: ſiue aqua, ut, Obrutus undis: ſiue terra, ut,

Obrue uerſata cerealia ſemina terra:

ſiue per translationem ad animum, ut Quintil. Tot uoluptates obruere poſſunt unum dolorem. Sed de multo uino potando etiam Obruere dicimus, ſicut Ingurgitare de abſumendis multis cibis. Cicero pro Deiotaro ait: Vino ſe obruiſſe, nudumq; ſaltaſſe: & in Antonium: Vt fratrem imitetur, ſe obruit. Et in eundem idẽ: Cùm ſe cibis ingurgitaſſet. Ingurgitare aliquando utrunq; complectitur: ſicut crapulari non modò in

uino, uerumetiã in cibo: undè fit crapula ut idẽ in eundem: Edormi, inquàm, crapulam, & exhæla.

Deuenio, Peruenio, Deuoluo, Despicio, & Dispicio. Cap. LVI.

DEuenimus in montem, Deuenimus ad diuitias, minùs usitatum ac minoris rationis est, quàm Peruenimus in montem, Peruenimus ad diuitias. Similiter ediuersò, Deuenimus in planum, deuenimus in uallem, quoties ab êditiore loco profecti sumus, usitatius probabiliusq; quàm Peruenimus in planum, peruenimus in uallem. Ita deuenimus in paupertatẽ, quasi descendi, & delapsus sum in humiliora. Deuoluò, deorsum uoluo, ut, Deuoluere rogos, deuoluere trabes, deuoluere saxa, deorsum præcipitare. Despicio, deorsum aspicio: sicut Suspicio, sursum aspicio. Indè per translationem, cùm quis alium contemnit ac paruifacit, despicere uidetur, quasi infra se & ad pedes suos proiectum aspicere: quemadmodum & suspicere est uenerari, quasi supra nos aspiciamus illum esse collocatum. Nam Despicere est prouidere, & circunspicere mente, tanquàm in omnem partem lumina mentis intendere, omniaq; discernere. A quo dispicientia dicta est, circunspectio & prouidentia, & consideratio diligens atque discretio.

Dispicientia.

Occupo. Cap. LVII.

OCcupare est locum tenere, aut capere, & ui ea opere. ut apud Liuium lib. 33. Nam & ipsis uocantibus urbem hanc accepi, non occupaui. id est, non ui accepi, aut mea sponte accepi, sed aliorum rogatu. Sæpè uerò antè capere est, & (ut aliqui loquuntur) præoccupare. Vndè schemá illud Occupatio adpellatur, quoties quæ dici ab alio poterant, ea ipsi præueniendo

Occupatio.

niendo dicimus in nostram partem, ne nobis posteà obficerent retorquẽtes. Cicero Officiorum lib. primo: sunt autem nulla priuata natura, sed aut ueteri occupatione, ut ij qui quondam in uacua uenerunt. Certè primi illi qui uenerunt in uacua, non potuerunt in aliena ire, ut isti aiunt, qui uolunt occupare, utiq; in aliena re se possessorem facere. Propriè est enim occupare, quod in medio, siue in medium atq; in commune positum est, ante cæteros capere. Quod testatur Quintilianus inquiens: Multa nihilominus, quæ libera fuerunt, transeunt in ius occupantium, sicut uenatio & aucupatio. Inde occupatus dicitur qui antè negocio aliquo detentus, non potest negocio alterius operam dare. Cicero: Nemo adhuc me conuenire ualuit quin fuerim occupatus, hoc est, cui caussarer me quibusdam alijs negocijs antè præuentum. Atque hinc uocatur occupatio, cùm alicui necessariæ rei, & cui ante omnia operam dare debemus, cum diligentia uacamus.

Occupatus.

Et (ut aliqui loquuntur) præoccupare.) Præoccupare apud scriptores Latinos in usu frequenti est: ne quis existimet dictionẽ parum latinam esse. Liuius secundi bell. Puni. libro secundo: Prima leuis armatura Romanorum præoccupatum inferiore loco succedens tumulum. Libro quarto: Pars Syracusas perguut ad præoccupanda Andronori regiorumq; aliorum consilia. Cicero Philippic. decim. Quas enim partes ipse mihi sumpseram, eas præoccupauit oratio tua.

Peto, Posco, Postulo, Flagito. Cap. LVIII.

PEtere est in bonum & in malum: quod declaratur per ipsam rem, aut bonum aut malum significantem: ut, Medicus sanitatem ægri petit, pater lau-

dem filij, tu diuitias, ego uoluptatem peto. Item, Multi filij petunt mortem patris: Serui mortem dominorum: Medici longitudinem morbi. Petere autem uitam alterius, itemq; petere caput alterius, petere famam, petere pudorem, accipitur in malum, quòd illa in hominis perniciem petas, siue quòd ea oppugnes. At cùm non in rem, sed in personam refertur Peto, utique cum ablatiuo in malam partem accipitur. ut, Peto te gladio, peto te ueneno, peto te insidijs. Nam illud apud Vergilium:

Mâlo me Galathea petit lasciua puella.

Idem est quod Mâlo me incessit, & pomorum iactu percutere me solet. & ideò quasi audaciæ culpæq; sibi conscia dicitur:

Et fugit ad salices. -

Posco. Ab hac significatione absunt alia uerba, Posco, quod est propriè rem debitam & honestam peto. Indè Reposco, quod est rem meã et quod mihi reddi debet peto.

Postulo. Postulo est quodãmodò requiro, ut res, tẽpus, locus, persona, caussa postulat, & tãquam rem iustam peto. Curtius: Postulabat autem magis quàm petebat: nisi accipiamus, ut Varro apud Seruium uult, humiliter petebat. Sic enim ait: Poscere est, cũ aliquid pro merito nostro deposcimus: Petere uerò est, cùm aliquid humiliter & precibus postulamus.

Expostulo. Expostulo, quod est cũ querela apud amicos requiro, & quasi officium amicitiæ in alio desidero. ut Terentius in Adelphis: Quam ipsi fecerũt, ultrò iniuriam expostulant. Sed frequẽtissimè post se habet ablatiuum, seruiente præpositione Cum. ut, Quid habes quod mecum expostules?

Flagito. Flagito, uehementer & plus quàm postulo, ut Cicero pro Quintio: Quanquàm hæc caussa postulat, non tamen flagitat. Quintilianus ad Tryphonem: Efflagitasti quotidiano conuicio, ut libros, quos ad Marcellum meum de institutione oratoria scripsêram, iam emittere inciperem. Quæ uerba etiam Ciceronis sunt in epistola ad Quintum fratrem.

Expostulo, quod est cum:) Riccius Vallam perstrin- THEOD.
gît, quòd proprietatem uerbi Expostulo non animadueterit: quum non expostulemus, nisi cùm apud eum, qui nos iniuria adfecerit, cõquerimur. Sed contra Ricium facere uidetur illud Ciceronis ad Q. Fratrem lib. 2. Fuerunt nonnulli aculei in C. Cæsarem, contumeliæ in Gellium, expostulationes cum absente Pompeio.

Labo & Labor. Cap. LIX.

Labo & lâbor ita differũt, quod labare est ruere, & repentè cadere, ut apud Vergilium:

- Labat ariete crebro
Ianua. -

Labi uerò leniter, sensimq; deorsum ire, ut labuntur flumina, labitur cœlum, labitur anguis, labuntur ab æthere pennæ, labuntur dij à cœlo, non labant. Quintil. Vt numen & deus delabi syderibus, & uenire de liquido puroq; aëre uidebatur. Cice. Non quasi unum ex hac urbe missum, sed quasi de cœlo diuinum hominem in hanc urbem delapsum intuentur. Ideoq; dæmones magis è cœlo labarunt, quàm lapsi sunt. Angeli uerò assiduè ad nos labuntur. Labi quoq; dicũtur qui in lubrico imprimentes uestigia, ad terram feruntur, non cum ruina, sed lentiùs & cum aliqua mora: tametsi nonnunq; lapsus pro ruina accipiatur, & per translationem de corporeis ad incorporea, de eo, qui aut per infirmitatem animi, aut per imprudentiam deliquit, dicimus Lapsus est, quasi pes animi unus, ambo ue, qui sunt fortitudo & prudentia, in lubrico lapsi sint. Et

Elabi quoq; periculũ fugere dicitur eo modo, quo anguis lubricus, murena' ue, aut anguilla manu prehensa lapsu fugit: quod est, è manu elabitur. Ita qui è medio periculo euasit, elapsus dicitur. Vergil.

Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites.

Sed hîc nõ est translatio, utpote in re corporea, erat translatio in incorporea. Quintilia. Seruium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modò liberos paruulos in concionem deduxerat, sed Galli etiã Sulpitij filium suis ipse manibus circumtulerat, elapsum esse, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione testatum est. Cice. Hic Tito fratre suo censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est, id est, accusatorum quasi præhensantium manus effugit. Translatum quoq; illud Terentianum est à Labo, non à Labor: Labascit, uictus uno uerbo quàm cito. Labor primam breuem habet, Lâbor primã longam, Hinc Labor laboris, & Laboro laboras primã breuem: quod an ab altero illorum deriuetur, an ab utroq; potius, liberum opinaturis relinquo: hoc tamen non omittens, inelaboratum dici, quod non artificio satis excultum est. Illaboratum uerò quod sine labore uidetur factũ. Illud uicio dari solet, hoc laudi. Quintilianus de Cicerone ita ait: Cùm interim hæc omnia, quæ uix singula quisquàm intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata: & illa, qua nihil pulchrius auditu est, oratio, præ se fert tamen felicissimam facilitatem.

In Eunu.

Illaboratũ lib. 10.

Deligo & Eligo. Cap. LX.

DEligere & Eligere sic differunt: Deligere est, quod magis idoneum ad rem agendam est cernere: Eligere uerò uel ad nostrum emolumentum, uel ad illius qui eligitur dignitatem. Delegit sibi populus Romanus imperatorẽ ad bella, ut Pompeium ad bellum Mithridaticum. Imperator quoque deligit milites, nõ eligit, ad rem uidelicet bellicam idoneos, & inter eos agit delectum, qui cui rei sit magis commodus. Et agricola delectum agit inter tauros, quos scindendo solo, quosq; procreandæ soboli destinet. At si ex multis daretur optio, quem sibi uellet, eligeret, non deligeret. Ideoq; semper ferè dicitur in eodem sensu, Datur tibi siue offertur optio, & Datur tibi siue offertur electio. At Cice. Deligere, inquit, oportet quam uelis diligere: de uxore loquens, Deligere dixit, quasi ad res domesticas administrandas. Nec inficias eo, posse fieri ut in aliquem cadat delectionis & electionis nomen, ut in ipsum principem, quem ad honorẽ pariter & ad rempub. benè gerendã adsumimus. Cæterùm Deligo sine præpositione accusatiuum habere solet, ut, Populus Romanus delegit Cn. Pompeium imperatorem. Eligo alterum accusatiuum sine præpositione, alterum cum præpositione: ut idem, Populus elegit in principem sibi Octauium. Cice. inquit: Quos Cæsar in senatum elegerat. Porrò utrunque horum uerborum tam in superiores, quàm in inferiores cadit: ut illud quod modò dicebam, Quos Cæsar in senatum elegerat. Et sacerdotes eligunt sibi pontificem, & clerus episcopum. Rursus, consul milites deligit, & milites imperatorem, nautæ gubernatorem, discipuli præceptorem sibi deligunt. Nam inter collegas paresq; aut ferè pares dicitur Cooptare. Liuius. Dictatorem dici placet. Dicitur M. Furius Camillus, qui magistrum equitũ L. Aemylium cooptat. Vt Cic. in Bruto A quo in collegium augurum fueram cooptatus. Illud non est silentio transeundum

dum, duobus tantùm dici modis deligere, præterquàm per hoc ipsum uerbum. Vno, Agere delectũ: altero, Habere delectum: nũquàm Facio delectum. Qui duo modi differunt ab ipsa significatione delegendi, quòd deligimus aliquãdo unum tãtùm. Agere uerò, uel habere delectum, ad multa semper refertur. Apud Quintil. legi Facere pro agere: quod haud scio an uicio librariorum factũ sit, an etiã sic dicere liceat. Ita enim legitur: Proprietates ingeniorum dispicere prorsus necessarium est. In his quoq; certum studiorum facere delectum, nemo dissuaserit. Nanq; erit alius historiæ magis idoneus, alius compositus ad carnem, alius utilis studio iuris, & nonnulli rus fortasse mittendi.

Agere & habere de lectum.

Percontor, Interrogo, & Scisciter. Cap. LXI.

PErcontari significat interrogare, quamuis sua pte natura spectet ad finem coarguendi, ut Quintil. testatur, dicens: Quid enim tam commune, quam interrogare uel percontari? Quorum utroq; indifferenter utimur, quum alterum noscẽdi, alterum arguendi gratia uideatur adhiberi. Interrogo igitur (ut ego interpretor) noscendi gratia adhibetur: Percontor uerò arguendi: Scisciter (ut ipsa uox indicat) sciendi caussa interrogare est.

Laurentius hîc sola Quintiliani authoritate fretus, discrimen inter Percontari ac Interrogare edocet. Sed si Ciceronis authoritati standum est, planè inuertenda erit hæc præceptio: & interrogare erit interdũ arguendi refellendi ue: Percontari uerò noscendi tantùm gratia quærere. Cicero lib. tertio de natura deorũ: Sin me interrogare non tam intelligendi caussa, quàm refellendi, utrum uoles, faciam. De Percõtari: Idem in somnio Scipionis: Deinde ego illũ de suo reguo, ille me de nostra Repub. percontatus est, multisq; uerbis ultrò citroq; habitis, ille nobis consumptus est dies. Quin & idem

Cicero nomine Percontatio non aliter est usus. ut de Vniuersitate: At primum quidem tẽpus salutationibus, reliquum percontatione consumpsimus.

Debello & Expugno. Cap LXII.

DEbellare, est bello uincere, aut bello capere. Expugnare, pugnando capere, uel potiùs pugnãdo & oppugnãdo uincere, quod significauit Liuius lib. 45. Haud paulò facilius, quàm antè, duæ unam, tunc una duas naues expugnauit cepitq;. Sed debellamus potiùs homines. Vndè debellatũ esse dicimus, pro eo quod est bello certatum, belloq; res parta est aut perdita. Expugnamus autẽ, opera molesq;, ut castra, ut urbes, ut castella, ut naues. Quocirca miror illud in Psalmo: Sæpè expugnauerunt me à iuuẽtute mea, etenim non potuerunt mihi: pro eo quod est, oppugnauerunt me. Si enim non potuerunt mihi, profectò non expugnauerunt, sed oppugnauerunt tantùm. Græcè αὖτ ἐπολέμησαν magis est oppugnauerũt siue impugnauerunt quàm expugnauerũt. Pro eodem tamen significato interpres accepit, nisi librariorum uicium est.

De compositis à Re. Cap. LXIII.

FIgo, indè Refigo, quod fixum erat, educo. Tego, indè Retego, quod tectũ erat denudo. Texo, indè Retexo, quod erat textum reddo non textum, & quasi infectum quod erat factum. Claudo siue cludo, Recludo, quod clausum erat aperio. Velo, Reuelo, uelamentũ tollo. Signo, Resigno, quod erat signatum obsignatum ue relaxo uel patefacio. Et multa huiusmodi alia sunt, multa non sunt. ut Repeto, Reposco, Renouo, Repræsento, Reuello, Remoueo, Remaneo.

Præparo & Apparo. Cap. LXIIII.

Præparare

PRæparare & Apparare ita differunt, quòd præparare est autè parare sibi quæ utilia sunt, aut fore credit: Apparare est ad dignitatem quandam, ac ueriùs pompam. Ideoq; oratores præparant quibus obtinere caussam poßint. At procœmium apparatum repræhenditur, quod plus pompæ atq; ostentationis, quàm utilitatis habere uideatur. Cicero offic. primo: Facilè totius cursum uitæ uidet, ad eamq; degendam præparat res necessarias, ut pastum, ut latebula, ut alia generis eiusdem. Idem de oratore 3. Illa quæ in apparatu fori adpellãtur insignia. Quanquàm apparatus uidetur interdum significare utrunq;, ut apparatus belli, quasi præparatio. Sed ut dicimus naues non modò instructas, sed etiam ornatas, quod quò res instructiores ad bellum, eò pulchriores sunt: ita apparatũ belli uocamus, ubi instrumenta bellica adornata sunt.

Præsum & Præsideo. Cap. LXV.

PRæsum & Præsideo differunt. Ab hoc fit Præses, sicut à Desideo deses, à Resideo reses: ab illo uerò Præsens, quod à suo uerbo in significato secedit, de quo anté diximus. Præesse est præpositum esse rei cuipiam gerendæ atque administrandæ: Præsidere est ad opem præstandã præesse, quã priè præstant homines iniuriam quidem patientibus, aut in discrimen adductis: Dij uerò beneficentiã suam remq; inuocantibus. Aliquando tamen indifferenter. Suetonius de Tiberio: Præsedit & Actiacis ludis, quasi dixisset præfuit. Cic. pro Sylla: Noli animos eorũ ordinũ, qui præsunt iudicijs, offendere. Idem pro eodem: Quamobrem uos dij & patrij pœnates, qui huic urbi atq; imperio præsidetis. Idem pro Milone: Vos

Vos inuicti, & in ciuis inuicti periculo, centuriones atq; milites, uobis non modò inspectantibus, sed etiam armatis, & huic iudicio præsidentibus, hæc tanta uirtus ex urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur? Quintil. in 10. Nam beneuolum auditorem inuocatione dearum, quas præsidere uatibus creditũ est, & intentum propositã rerum magnitudine, & docilẽ summarum celeritate comprehensa facit. Et nõ longè pòst: Quem præsidẽtes studijs deæ propiùs audirent. Vndè tam dij q̃ homines præsides dicti sunt: illi quidẽ in suo quisq; numine, suaq; ui: hi uerò in sua quisq; prouincia, aut ab rẽge, aut à populo sibi commissa. Idem Quintilianus: Quòd omnia sic egerit, ut genitum præsidẽ bellorum deo, incredibile non esset: quasi cuius in manu esset imperium bellorum, aut auxilium. ut apud Liuium libro sexto: Dij deæq; qui Capitolium incolitis, siccine uestrum militem ac præsidem sinitis uexari ab inimicis? Præsidem dixit pro Auxiliatorem ac defensorem. ut alibi: Etiam præses (ut definit Vlpianus) is est, qui maius imperium in ea prouincia habet omnibus, post principem. Hinc præsidium dictum est auxilium principale. Nam subsidium id quod in auxilium succedit, dicitur. Et milites, qui ad tutelam oppidi, castelli, similiumq; collocati sunt, præsidium uocantur: ut, Impositum est præsidium Caietæ. Nam præsul antiquitùs is dicebatur, qui primus erat inter Salios, id est, Martis sacerdotes, Romæ dũtaxat, a saliendo dicti in portandis ancilibus. Præses. Lib. 1. tit. 18.

Assentor, Adulor, Blandior. Cap. LXVI.

ASsentari, Adulari, Blandiri, ita differunt, q̃ assentari est insidiosè & conciliandæ alicuius

ius utilitatis gratia effusiùs, & plerunq; falsò quempiam laudare: Adulari uerò inseruire, & captare, ut fauorem emereamur quoquo modo, uel uoce, uel gestu: estq; tractum ἀπὸ τοῦ λούλου, quod est seruus. Et sanè adulari seruile est, non liberale & ingenuũ. Blandiri proprie ad tactum pertinet, & per abusionẽ ad alios sensus transfertur, & nonnunquàm etiam ad animum. Quintil. Tu non cogitas quemadmodùm suspensa manu sonãtem blandè cardinem flectas. Idem: Blandiar paulisper, Iudices, calamitatibus meis, & sic agã, tamquàm inuenerim utrunq; sanum. Ideoq; idem quodam loco penè pro eodem posuit hæc duo posteriora uerba, Transeo oblatam nolenti munerum uacationem, & blandiùs, quàm militiæ disciplina postulet, adulatum militi tribunũ. Adulatum blandiùs dixit, ne aut blandiùs blanditum, aut adulantius adulatum dicere, sit tamen adulantiùs reperitur: Et alibi: Et animalium quoq; sermone carentium ira, lætitia, adulatio, & oculis, & alijs signis corporis deprehenditur. Sunt enim muta animalia hominum serua, quæ signa maximè apparent in canibus, de quibus inquit Vergil.

Hinc canibus blandis rabies uenit. –

Nam assentari non cadit in muta animalia: nisi credimus hoc modo coruum à uulpe fuisse deceptum, cùm optimum cibum ore gestaret.

Excuso & Causor. Cap. LXVII.

EXcusare apertam significationẽ habet: itemq; Caussari. Excusamus crimen obiectum: quòd cum uidetur satis purgatum recentes dicunt Habeo te excusatũ: ueteres dicebant, Accipio excusationem, sicut in illo, Dum quis mihi tulit conditionem (uerbi gratia) an uelim negociari in sua pecunia in commune lucrum

lucrum, dicam, Accipio conditionẽ. Est & altera huius uerbi significatio, quæ à priore defluxit, quoties id, quod in caussa fuit ut peccaremus, adferimus in excusationem. Nec dicemus (ut aliqui loquuntur) Accuso, sed Excuso: quamuis potiùs uideatur ratio exigere ut per Accuso, quàm per Excuso loquamur: uelut si latrones aut flumina impedimento fuerint, ne ad diem adesse possem, dicam eo modo, quo Quintilianus: Tu tamen si interpellatus tempestatibus seriùs uenisses, excusares mare, & ambiguos flatus: & tibi bonam caussam habere uideris, cùm diceres, antè non potui. Excusares dixit, non Accusares. Liuius lib. 6. Exactæ iam ætatis Camillus erat, comitijs iurare iam parato, in uerba excusandæ ualetudinis solitæ, cõsensus populi restiterat. Et lib. quadragesimo septimo. Vbi dies uenit, citariq; absens est cœptus, L. Scipio morbũ caussæ esse cur abesset excusabat. Lucanus in octauo: Littusq; malignũ Excusat. Caussari, est caussam rei gestæ adferre. Sueton. Syllanum item socerum ad necẽ, secandasq; nouacula fauces compulit, caussatus in utroq;, quòd hîc se ingressum turbæ eius mare non esset secutus. Aliquando penè, quod illæ significatio superioris uerbi (de Excuso dico) in secundo significato. Quintili. Nec caussanti pupillo sic tutor irascatur unquam, ut non remaneant amoris uestigia, & sacra quæ dã patris eius memoria: Caussanti pupillo, quasi excusanti acerbitatẽ tutoris. Cui simile est illud Papiniani: Iussus rationem reddere, & liber esse, si hæres caussabitur accipere rationes, nihilominus liberum fore, id est, si impedimenta prætendet. Vergil.

Caussando nostros in longum ducis amores.

ff. lib. 14. Tit. 3.

id est, impedimenti caussas afferẽdo. Vlpianus: Proscribere palàm sic accipimus, claris literis, ut de plano rectè legi possint, ante tabernam scilicet, uel ante eum locum, in quo negociatio exercetur: nec in loco remoto, sed in euidenti. Literis, utrùm Græcis, an Latinis? puto secundùm loci conditionem, ne quis caussari possit ignorantiam literarum. Et alibi: Caussari tempestatem, ac uim fluminũ. Vbi liceat dicere, excusare ignorantiam literarum, & excusare tempestatem, ac uim fluminum.

Mando, Præcipio, Iubeo, Impero, Edico & Indico. Cap. LXVIII.

MAndare, est cuiuis personæ gerendũ aliquid, exequendumq; committere. ut Quintilianus: Mandata tamen tua fili perago, id est (ut nũc loquimur) commissiones, nõ autẽ iussa. Nam deforme aliquid esset, si filius iuberet imperaretq; patri. Præcipere, est tum magistrorum, quod est præcepta tradere, tum magistratuum, & superiorũ personarũ. Sallust. in Catilinario: Iudices rerum capitalium, quibus præceptum erat. Idem in Iugurthino: Micipsa pater meus moriens mihi præcepit. Iubere frequẽter idem est, quod imperare, ut Quintil. Pater me iussit. Et alibi: Nam quamuis infestum latronibus mare iussus intrarui. Neq; dissimulauerim, magnas fuisse caussas patri, cur hoc mihi imperaret, quod ipse facere nõ potuerat. Pro eodem accepit Iubere, & Imperare. Hìc tamen annotandum est, quòd sicut eleganter dicimus Imperaro mihi: ut apud eundẽ, Imperauit sibi, ne quas admiteret amplius preces, ut etiam permisi mihi, permisisti tibi, permisit sibi: ita non eleganter dicas, Iussi mihi. Præterea quum ita dicamus imperata, ut iussa, huic

huic apponimus uerbum Exequor, perago, & si quid est simile: illi autem ferè unum uerbum, quod est Facio. ut apud eundem: Neque ipse hoc periculum ignoro, expertus non leui documento, quanti steterit mihi quòd semel imperata non feci. In hoc etiam hæc uerba differunt, quòd Impero tibi hanc rem dicimus: Iubeo uerò, præter hanc cõstructionem, potest habere & illam, cuius exemplum modò protuli. Pater me iussit. Est etiam iubere non planè imperare, sed quasi hortari, ut idem: Spera tu, iube sperare matrẽ. Cicero etiam frequenter hoc modo loquitur, ut pro Deiotaro: Literis quas ad me Tarracone misisti, benè sperare iussisti. Cui simile est Terentij: Iubeo te saluere. Vergilius in quinto:

Reddiq; uiro promissa iubebant.

Quàm quæso decorum fuisset, ut rẽgi milites ac comites sui imperarẽt? Edicere est magistratuũ, regũ ue. Vnde edictum consulum, sunt literæ consulum, quibus aliquid iubent atq; imperant. Nam indicere propriè denunciare est, ut, Indictum est bellum, indixi bellum fortunæ, indixi bellum uoluptatibus, indixit Romulus spectaculum. Liuius: Indici deinde finitimis spectaculũ iubet. Iterum: Indixit, in posterũ diẽ ut adesset. Idem: Indicto iusticio: Iterum: Delectusq; & iusticium indictum est.

Introcludo & Intercludo. Ca. LXIX.

INtrocludo te, id est, in interioribus cludo: Intercludo te, iter tuũ impedio, et quasi iter cludo. Verg. Intercluſit hyems, & terruit Auſter eunes.

Cicero: Qui iter Pœnorum cadaueribus corporum suorum intercludendum putauerunt. Qua ratione etiam dicimus Interſepio. Quintilianus: His textis, ne

uniuersi mellis pondus effluat, intercepta onera claudantur. quasi circunsepta, uel quà effluere mella poterant septa.

Ex sententia, & Ad uotum habere. Cap. LXX.

EX sententia aliquid habere, & ad uotum, licèt illud uideatur rationis esse, hoc affectus, eodèm tamen ferè significationis ueniunt. ut Quintilianus: Habes'ne uxorem ex animi sentẽtia? Et alibi: Et ad omne uotum fluente fortuna, lasciuit ocium.

Facere iter uel uiam, & Iter habere. Cap. LXXI.

ITer facere, uiam facere, uiam munire. Item, Iter facere, & Iter habere, differunt. Iter facere est (ut imperiti loquuntur) itinerare, & (ut periti) ingredi iter, aut uiam: ut Cice. de Senect. Masinissam, cùm pedibus iter ingressus est, in equum non ascendere: cùm in equo, ex equo non descendere. Idem libro primo Officiorum: Tempus à natura ad eligendum, quam quisq; uiam uiuendi sit ingressurus, datum est. Viam facere propriè est, ubi nõ erat uia, uiam & transitum aperire. Quintil. Seratur igitur non semitis, sed campis, non uti fontes angustis fistulis colligantur, sed ut latissimi amnes totis uallibus fluãt, ac sibi uiã (si quando non acceperit) faciat. Quod nõ probè dixeris Munianat. Est enim munire uiam, repurgare, reficere, ac substruere, interdum lapidibus: quales sunt uiæ Romanæ à plerisq; portis in multorum dierum iter silicibus stratæ. Cicero pro Milone: Ideo'ne Appius ille cæcus uiam muniuit, non qua populus uteretur, sed qua sui posteri latrocinarentur? Et per translationẽ de corporalibus ad incorporalia. Quintili. lib. tertio Propterea quòd plurimi authores, quamuis eodèm tenderent, uias tamen diuersas munierunt, & in suam quisq; induxit sequentes. Dicimus etiam ut uiam, ita ripam munire, alueum munire, aditum munire, cùm illa reficimus uel reparamus. Cicero etiam Aditum munire, pro Viam munire, dixit pro Cluentio: Aditum sibi alijs sceleribus antè muniuit. Iter habere, est iter aliquem esse facturum. Cicero: Habebat iter ad Hiatrum rẽgem: pro Flacco. & ad fratrẽ. Et quod ille in Sardiniam iter habebat.

Propono & Ostendo, cum alijs uerbis. Cap. LXXII.

PRopono præmium, propono metũ, ostẽdo spem, ostendo metum, ferè in eadem significatione, hoc est, hinc hortor, illinc deterreo: nisi quòd Proponere est potiùs potestatem imperiumq; habentis: Ostendere uerò consilium dantis. Cicero: Quis est qui proposito tanto præmio non excitetur? Idem: Propositis mortis & exilij minis. Item: Spem metumq; ostendere. Atque iterum: Magnum huic urbi periculum ostenditur.

Pacificatus sum, Pacatus sum, & Placatus sum. Cap. LXXIII.

PAcificatus sum, pacem feci: pacatus sum, in pace sum, uel ab armis recessi: Placatus sum: ab indignatione animi ad lenitatem redij, uel animo leni sum.

Parem esse, & Paria facere. Cap, LXXIIII.

PArem esse, idem est quod sufficere alicui operi, siue resistendo illi, siue exequendo. Cic. ad Atticum libro undecimo: Tum interpellas fletus, repugno

quoad possum. Sed adhuc pares non sumus. Quintilianus in geminis languentibus: Nunc infelix nõ par est dolori, nunc nõ inuenit ulla solatia, ex quo uidetur sibi filiũ perdidisse uicturũ. Idem: Non fallit nos nescio de quid captes, hoc quòd supra silentium trahis alta suspiria, quòd in prorumpenti uideris exclamatione deficere: mendacio paratur authoritas, & in fidẽ eruptura uocis affertur, ut fateri uidearis inuitus: dicta men, par est huic rei matris integritas, ut mentiaris? Lucanus:

Hunc habuisse pares Phœbeis ignibus undas.

& hoc in resistendo. In exequendo autem idem Quintilianus: Aspicio par laboribus corpus. Nonnũquàm Par idem est, quod decens. ut idem: Si propter matrimonia uiolata, urbes euersæ sunt, quid fieri adultero par est? Paria facere, est quod alibi amissum est, uel quod aliunde acceptum, alibi, uel aliunde compensare. Idem Quintil. Paria tecũ facio respublica, quæ propter me unum ciuẽ perdideras. Et alibi: Sic paria faciemus. Tu illic eris uicarius meus. Plinius auunculus. Nascuntur & alio modo terræ, ac repẽtè aliquo mari emergunt, uelut paria secũ faciẽte natura, quæ hauserit hiatus aliquo loco reddente. Plinius Iunior ad Priscum lib. 7. Habuerunt officia mea in secũdis, habuerũt in aduersis, ego solatium relegatarum, ego ultor reuersarum, non feci tamen paria: atq; eô magis hanc cupio seruari, ut mihi seruandi tempora supersint. Seneca: Vt statim tibi soluã quod debeo, & quantum ad hanc epistolam paria faciamus.

Alij lib. 13

Solicito. Cap. LXXV.

SOlicito te, uel q. spem metum'ue tibi ostendo, ut, solicitare plebẽ: uel inquieto, & tibi curã injicio.

Gratum facio. & Gratificor. Cap. LXXVI.

GRatum facio & Gratificor, si quid differunt, ita differunt, quanquam utrũq; est ex Gratum & Facio, non tamen utrunq; compositum. Differunt autem ita, quòd gratum facere est quiddam minus, & propè idem quod obsequi, & inseruire, ut Cicero: Si hũc iuueris, gratissimũ mihi feceris. Gratificari quiddam maius. Vnde deũ gratificari hominibus dicimus, non autem gratum facere, quasi idem sit, quod beneficia conferre

Deduco, Reduco, Comitari, & Assectari. Cap. LXXVII.

DEduco & Reduco generalem habent significationem, sed in hoc specialem, quoties alicui officij gratia præstamus comitatum, ut, Deduxi Catonem in senatum, eumq; ut domum reducam hîc expecto: sed propriè hoc est inter homines non multùm dignitate & authoritate distantes. Comitari uerò minorũ potiùs erga maiores. Cæterùm deducere & reducere est quasi ad certũ locũ: Assectari uerò, quasi comitatum præstare, nõ tantùm in itinere aut nauigatione, aut militia, sed ferè per urbem. ut Cic. de Oratore lib. 2. Cùm ædilitatem Crassus peteret, eumq; maior natu & consularis Sergius Galba adsectaretur, quòd Crassi filiam Cn. filio suo desponsisset.

Satio & Saturo. Cap. LXXVIII.

SAtiare ad omnes sensus attinet: Saturare ad unũ gustum. Nam figuratè locutus est Cicero: Iracundiam meam satura tuo sanguine: quasi sitim meam satura. Satiare frequenter ad animum transfertur.

Incedo & Ambulo. Cap. LXXIX.

INcedere est ambulare. inde Incessus, siue tardus, siue festinus, siue commotus & incompositus, immoderatusq; : propriè tamen sublimior quidam & fastum præ se ferens. Vergilius:

Regina ad templum magna stipante caterua
Incessit. - Et iterum:
Et uera incessu patuit dea. -

Quod Seneca quodam loco declarat: Tenero ac molli passu suspendimus gradum, nec ambulamus, sed incedimus.

Aduersor & Auersor. Cap. LXXX.

ADuersor tibi, & Aduersor te. De primo nihil dubij est: secundum sumit significationem à gestu, quoties ab aliqua re, quã detestamur, uultum auertimus. Quintilianus in undecimo: Aspectus enim eodèm semper uertitur, quò gestus, exceptis quæ aut damnare, aut concedere, aut à nobis remouere oportebit, ut idem illud uideamur uultu auersari, manu repellere. Maro:

- Dij talem terris auertite pestem.

In Deuteronomio, & alijs pluribus locis est: Gentes quas dominus auersatur, id est, detestatur atq; abominatur, & à quibus præ odio uultum auertit. Multi tamen indocti scribũt leguntq; Aduersatur dominus.

De Leuo, & cõpositis suis. Cap. LXXXI.

LEuo est adleuo, & molestiam laboremq; extenuo. Nam pro illo significato, quod est sustollo, notum est: ut Liuius lib. 21. Mox aqua leuatur uento, cùm super gelida montium cacumina concreta esset. Subleuo, auxilium defensionemq; præsto. Cicero profitebatur, derisus à cæteris est, qui illa in Socrate uicia nõ agnoscerent, ab ipso autẽ Socrate subleuatus, cùm illa sibi signa ratione à se deuicta diceret. Adleuo, in altum tollo, uel de imo, & ubi quid iacet atq; proiectum est, sursum tollo. Quintil. Vidi multos, quorum supercilia ad singulos uocis conatus adleuaretur. Idem: Homini in aquam lapso, atq; ut adleuaretur oranti. Indè per translationem ad qualitatem fortunæ. ut idem: Quarè nõ petit ut miserum putetis, nisi & innocens fuerit. Non petit ut adflictum adleuetis, nisi & probauerit sese infeliciorem, quòd patrem amisit, quàm quòd oculos. Etiam nonnunquàm Subleuo pro adleuo, ut apud Suetonium de Vespasiani uita: Dumq; surgit ac nititur, inter manus subleuantium extinctus est. Eleuo, Imminuo, & Extenuo, ut idem Quintil. Nam quis ignorat, quin id lõgè sit honestissimum, ac liberalibus disciplinis, & illo, quẽ exigimus, animo dignissimũ, nõ uendere operã, nec eleuare tanti beneficij authoritatem, quum pleraq; hoc ipso possint uideri uilia, quòd precium habent? Nusquam memini in alium sensum reperisse me. Nam hieronymus testatur quodam loco Esaiæ: Eleuatum est super limina templi: debuisse trãsferre, Sublatum est: sed ad tollendam ambiguitatem (ne quis putaret sensum esse talem, qualis est, Sublatum est mihi pallium) ad aliud uerbum recursum fuisse. Proprium tamẽ erat Sublatum, ut idem Quintil. Tunc te fas est sublatis ad cœlũ manibus proclamare, manifestè mentitus est.

Perpendo, Expendo, Appendo, Impendo, & Impendeo. Cap. LXXXII.

PErpendere, est exactè ponderare atq; examinare: non autem (ut aliqui uolunt) intelligere atq;

animaduertere. Cice. Quid in amicitia fieri oportet, quæ tota uirtute perpenditur? Expendere eiusdem ferè significationis est. Idem in Verre 5. Deinde hæc expendite atq; æstimate. Idem Offic. 1. Quæ contemplantes expẽdere oportebit, quid quisq; habeat sui, eademq; moderari, nec uelle experiri, quàm se aliena deceant. Appendere est tum sustẽdere, ut notum est, ut, Appendi uuas: tum ad lancem stateram ue põderare. Idem in Antonium: Vt iam appendatur pecunia, non numeretur. Et in proœmio orationum Aeschynis ac Demosthenis à se translatarum, figuratè ad incorporea transtulit: Ea putaui non annumerari lectori debere, sed tanquàm appendere. Impendo habet participium præsentis tale, quale est ab Impendeo, ut admoniti simus, cauẽdum esse ne ista nos fallat ambiguitas: quale est apud eundem de senectute: Mortem igitur impendentem omnibus horis timens, quis possit animo consistere? Hoc participium est ab Impendeo, non ab Impendo. Est autem Impendêre, supra caput iamiam casurum pendêre, ut, Nubes impendent. Et gladius ille equina seta appensus supra Dionysij conuiuæ caput imminens, impendebat. Impendere ab Impendêre apice distinguendum est.

Rapio, Eripio, & Præripio. Ca. LXXXIII.

RApere manifestam significationem habet, cùm de alijs rebus loquimur: cùm uerò de personis, duobus modis accipitur: Vno, qui ad res quoq; pertinet, ut apud Vergilium:

Quid faceret? quò se rapta bis coniuge ferret?
Rapta dixit, pro Ablata. Et alibi:
-Raptas sine more Sabinas.

Altero pro eo, quod est uim afferre, siue uiciare, uel si

si non asportet, nec fœminam loco deducat, quod propriè de uirginibus, quæ uiciatæ sunt, dicitur: ut apud Senecam, qui eandem legem non eisdem uerbis repetit, quodã loco sic retulit: Rapta raptoris aut mortem, aut indotatas nuptias optet. Alio loco sic: Viciata uiciatoris, aut mortem, aut indotatas nuptias optet. Ab hoc uerbo duo composita sunt, Eripio & Præripio: quorum primũ quoties habet cũ accusatiuo datiuum, ferè in malam partẽ accipitur: ut, Eripuisti mihi omnes benè uiuendi facultates. Quoties uerò ablatiuum cum præpositione A uel Ab siue Abs, plerunq; in bonam: ut, Eripuisti me à periculo. interdum in malam, ut, Eripuisti à me filiam. Quod uerbum ita differt à Præripio (præterquàm quòd nunquam hoc postulat talem ablatiuum) quòd qui alteri aliquid eripit, potest id non in suos usus eripere. ut, Eripuit illi uitam: qui uerò præripit, in suos proprios usus capit, neq; propositio illa antecessionem temporis declarat. Cicero pro Gallo: Demosthenes tibi præripuit ne esses primus orator, tu illi, ne solus. Non hoc intelligit Cicero, quòd Demosthenes huic aut aliquid eripuerit (ut qui auferre nihil posset nondum nato) aut priorem se fecerit. Non enim Demosthenes primus oratorum antiquitate temporis dicitur, sed facultate: neque hunc solus Demosthenes ætate anteceßit, eô quidem magis, quòd hic ipse æqualis Ciceroni non potuisset inuicèm antiquissimo illi aliquid antè auferre. Ergo ille præripuit tibi, id est, rapuit sibi istam dignitatem, ut summus orator ille uideatur, futurus etiam solus, nisi tu partem in te illius laudis transtulisses, esses que tu dignus nomine oratoris, quamuis non æquandus Demostheni, quo nomine adhuc post illum præter te

Eripio.

Præripio.

te dignum uidimus neminem. Nonnunquàm hoc uerbum significat antè capere, sed magis in passiuo, ut, Immatura morte præreptus, non poterat præstare qualem promiserat regem. Sunt enim hæc uerba Plinij iunioris de uiris illustribus, quasi dixisset Immatura morte præuentus.

Titubo, Nuto, ac Vacillo. Ca. LXXXIIII.

Titubare est pedibus nõ ualẽtis insistere, quales sunt ebrij, aut infirmi, aut uulnerati, aut decrepiti senes. ut apud Quintil. At non tua culpa fames cœpit, sed uulneratum iugulasti, titubantem strauisti, fumantem incendisti. Transfertur etiam ad animum. ut apud eundem: Neq; ulla unquam tanta fuerit dicendi facultas, quæ nõ titubet, aut hæreat, quoties ab animo uerba dissentiunt. Titubare quoq; lingua & dentes dicuntur: hinc linguæ & oris titubantia. Nutare est propriè alicuius malè solidatæ molis ruinam minantis. De animo quoq; dubitante & nesciente quô se potissimùm cõferat, nutare dicitur. Vacillare est alterno motu inconstantem esse. ut idem: Est & illa indecora in dextrum & sinistrum latus uacillatio alternis pedibus insistentium. Cice. Cùm ex eo in utranq; partem toto corpore uacillante quæsiuit. Vndè & nautæ utique uacuæ uacillant, & idem Cicero de quodã præinfirma ualetudine non rectè scribente, inquit, Vacillantibus literulis. Ad animum quoq; transferimus, ut apud Iurisconsultos, de fide testis uacillãte, qui inconstantia & diuersa testimonia dixerit.

Nutare

Vacillare

Vaco, & Vacat, & Careo. Cap. LXXXV.

Vacas sapientiæ, das operam sapientiæ: Vacas sapientia, cares sapientia. Quanq; carere priè

priè est uacare quibus indiges: quod significauit Cicero, cùm inquit: Satiatis uerò & expletis iucundius est carere, quàm frui: quanquàm non caret is, qui non desiderat. Impropriè tamen dicimus, Cares culpa, cares periculo, cares damno. Cum nomine tamen significante actionẽ quandam siue qualitatẽ adiungimus A præpositionẽ, ut, Vacas à labore, uacas à cõponendo, uacas ab agricultura, uacas ab omni molestia. Similiter per nomẽ, Vacuus sum ab omni occupatiõe atq; omni solicitudine. Hoc aũt uerbũ quum sit impersonale, quæri potest quid significet. Quintil. inqt: Non, imò oderit reum uerba occupãtem, & anxium de fama ingenij, & cui diserto esse uacet. hîc uidetur Vacet accipi pro eo quod est Curæ sit. Idem alibi: Tunc inchoare hæc debet studia, uel non uacabit, uel non libebit. hîc uidetur esse pro eo quod est Tempus uacuũ erit. Nam libebit idẽ est quod Curæ erit. Et ne quis auderet immutare Licebit pro Libebit: Plinius iunior (quanquàm infinita sunt huiusmodi exempla) querens quòd non posset operam dare admirando cuidam philosopho, ita ad amicũ scribit: Quô magis te uacat, hortor, cùm in urbem proximè uenies (uenies autẽ ob hoc maturiùs) illi te expoliendum limandumq; permittas. Quid igitur duas has significationes huic tribuimus uerbo, quum præter id, quod ambiguum erit, utrum potiùs significetur, superuacuum uideatur dicere, uel non uacabit, uel nõ licebit, quo uidebuntur illa duo significari? Quarè exponamus, ut cæteros locos, ita & illũ, Cui esse diserto uacet: uacet uacuũ est, hoc est uacuum tẽpus est, uel si uis, cui est uacuus animus, quod significauit Vergilius, cùm inquit:

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros.

hoc

hoc quantum ad uoluntatem, quod est Si libet. Deinde quantũ ad facultatẽ tẽporis, uel uacuitatẽ animi:

Et uacet annales nostrorum audire laborum.

Dixerat enim: Et iam nox humida cœlo,

Præcipitat, suadentq; cadentia sydera somnos.

Quasi non uideretur tempus illud tantam narrationem pati, aut ipsa Dido eo tempore æquo animo posse audire quod audire cupiebat.

De Conscisco, Asciſco, & Desciſco. Cap. LXXXVI.

Conſciſcere ferè ad mortem pertinet. Plerunq; enim sic legimus, Mortem sibijpse consciuit, mortem tibijpse cõſciſcis, mortem mihijpse conſciſcam cogam te ad mortem tibi per teipsum conſciſcendam. Aſciſcere est remotum aliquid, quasi ſcitè uocatum capere. Cice. de Oratore: Expertes esse prudentiæ, quam sibi aſciuerunt. Idem in oratore: Quòd minimè polita, minimeq; elegantes sunt, aſciuerunt aptum suis auribus opimum quoddam, & quaſi adipale dictionis genus. Deſciſcere, est ab imperio se ductuq; alterius ſubtrahere, ut milites à duce, populi à domino, diſcipuli ab opinione magiſtri, quã priùs sequebãtur, præſertim ad alterius uel imperiũ, uel sententiã se conferẽtes.

Conſciſcere ferè ad mortem.) Conſciſco non semper ad mortem pertinet. Liuius ab Vrb. cond. libro primo: Senatus'ue populi Romani Quiritium cenſuit, conſenſit, conſciuit ut bellum cum priſcis Latinis fieret. Libro decimo: Nullus iam exercitus Samnio præſidet. ceſſere finibus, ac sibimet ipſi exilium cõſciuêre. Alibi: Et cognitum ex captiuis est, communi conſilio aliquot ciuitates conſciſſe fugam.

Asſeuero. Cap. LXXXVII.

Asſeuerare, est inter ipsa argumẽta probationesq;

omnes q; admiſcere uim animi, motumq; : quod declarat Quintilianus, cũ inquit: Altera ex asſeuerationepro batio est. Ego hoc feci, tu hoc mihi dixiſti, &, ô facinus indignum. & alibi: Quum præsertim quorundam probatio sola sit in asſeuerationeperſeuerantia.

Exhibeo, Facio uel Faceſſo negocium. Cap. LXXXVIII.

Exhibere illi negocium, facere, uel faceſſere negocium, est alterum moleſtia ac labore afficere frequenter quidem per accuſationem, ut Cic. Offic. 3. Criminabatur etiam quòd Titum filium, qui posteà Torquatus est appellatus, ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare iuſsiſſet. Quod cùm audiſſet adoleſcens, negocium uidelicet exhiberi patri, hoc est, patrem accuſari, uel moleſtia laboreq; affici. Nam negociũ ſæpè pro labore apud hũc præsertim legimus: ut, Quid negocij est iſta poëtarum portenta conuincere? Idem de natura deorum: Dij nec habẽt negocium ipſi, nec alteri exhibent. Quintil. lib. 5. Vt uulneratus, aut filio orbatus, non fuerit alium accuſaturus, quando ſi negocium innocẽti facit, liberet eum noxa, qui admiſerit, id est, ſi innocẽtem reum facit. Cicero ad Appium: Cùm est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negocium faceſſerent, id est, accuſarẽt, inſectarentur, ad pœnam uocarent. Negociũ.

Deturbo, Exturbo, & Diſturbo. Cap. LXXXIX.

Deturbare, est deorſum cum uiolentia deijcere. Vergilus:

Puppi deturbat ab alta

Exturbare, è loco eundẽ in modum deijcere. Diſturbare, diſsipando diruendoq; diſijcere. Quintilia. Non enim

enim discussos alicuius operis angulos, aut disturbatos parietes obijcimus. Cice. Vt dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publicè ex senatus sententia ædificatam domum.

De Admoueo & Amoueo, Aduerto & Auerto, Aduersus & Auersus Cap. XC.

ADmoueo manum, adpono manum, Amoueo manum, remoueo manum: Aduerto oculos, mentem ue aliquò oculos mentem ue conuerto. Auerto oculos, aut mentem, alicundè cõuerto oculos, aut mentem. Aduersus, oppositus, opposito pectore atq; obiecto: Auersus, terga ostẽdens. unde illud Tullianum aliquantò obscœnius, sed ad rem declarandam pertinens: Et aduersus & auersus impudicus es.

Consternere, & Consternari. Cap. XCI.

CONsternere est corporis: Consternari autem animi, cùm mens turbata est, & de statu mota, & quasi humi strata. Ideoq; sæpè coniungi animum uidemus, ut, Consternatus animo. Sallustius tamen primo Historiarum inquit: Equi sine rectoribus exterriti, aut saucij consternantur: quum sit usitatius Consternuntur.

Non placeo, Displiceo, & Placeo mihi. Cap. XCII.

NOn placeo mihi, & Displiceo mihi, ab illo Placeo diuersæ significationis sunt, præter negationem. Nam ea prima aperti intellectus sunt, ut de oratore Cicero: Nunquam mihi minùs quàm hesterno die placui. & in Philippicis: Cumq; de uita languerem, & mihimet displicerem. Tertium est idem quod Superbio dote aliqua, bono ue, quod mihi adsit, &

& glorior, & mihi eo nomine cõfido, plerunq; cum inferiorum contemptu. Quintil. Placeas licèt tibi opum tuarum fiducia diues, si mihi idem inuidere non expedit, pares sumus. Penè in hunc sensum accipitur Mirari se. nam id efficere in alterũ laudabile. unde apud eundẽ de Socrate dicitur: Nam ideo dictus est εἴρων id est, agens imperitum, & admirator aliorum tanquam sapientum. De seipso crebriùs in uicium est. Idem: Quod se silentio paricida miraretur. De apib. pauper. Mirari se.

Valerius Martialis:

Ipse ego, quem dixi, quid dentem dente iuuabit
Rodere? carne opus est, si satur esse uelis.
Ne perdas operam, qui se mirantur, in illos
Virus habe: nos hæc nouimus esse nihil.

Se mirantur dixit, quasi sibi placẽt, uel de se magnificè sentiunt.

Moror te, & Maneo te. Cap. XCIII.

MOror te, & Maneo te, à quibusdã exponuntur pro expecto. Sed mea tamẽ sententia magis poëticè, quàm oratoriè. Vergilius:

Et tua progenies mortalia demoror arma.

Terent. Quem hîc manes? Oratores potiùs accipiũt Moror te, pretineo te, & in mora teneo. Ideoq; hæc duo uerba sæpè iungũtur, ut apud Quintil. Quid me adhuc pater detines, quid moraris abeuntẽ? Maneo pro eo quod est Futurum est, ut ipse accipio, apud ipsos interdum etiam poëtas. Vergil.

Te quoq; magna manẽt regnis penetralia nostris,

id est, tibi futura sunt. Cic. Cuius te fatum, sicut Curionem manet, hoc est, cuius fatum tibi futurum est, sicut fuit Curioni.

Conflaui, Contraxi, & Dissolui æs alienum.

Cap. XCIIII.

CONflaui æs alienum, & Contraxi æs alienum, idem est quod Factus sum debitor alienæ pecuniæ. Dissoluo æs alienum, idem est, Quod contraxeram æris alieni, restituo, ac pluribus soluo, uel quasi catena, qua ligabar, me, soluenda pecunia, dissoluo. Quintil. Non ego æs alienum luxuria contraxi. Cicero: Patri persuasi ut æs alienum filij dissolueret. Quibus exemplis plena sunt omnia.

Migro & Decedo, Discedo & Recedo.

Cap. XCV.

MIgro Decedoq̃, sic à Discedo Recedo que differũt, quòd Migrare est domicilium mutare, & aliò se ad habitandum conferre, relicta priore habitatione. Et est apud Iurisconsultos titulus de migrãdo. Similia huic sunt Emigrare, Demigrare, Commigrare. Remigrare autem, reuerti in pristinum domicilium. Transmigrare est in longinquatoris loci domicilium habitationem ue migrare. Immigrare, in domum aliquam habitandi gratia ire. Ea propter homines, qui moriuntur, migrare dicuntur. Sed rectiùs cum apposito, quàm sine apposito, ut multi faciunt, nesciẽtes Ciceronem cum apposito solere loqui: ut de repub. lib. 6. Antequam ex hac uita migro, conspicio in meo regno & his tectis P. Cornelium Scipionem. Et Quintilia. in corpore proiecto: Seu cùm ad infernas sedes anima migrauit. Etenim qui moriuntur tanquam domicilium corporis relinquẽtes, aliò ad habitandum, duntaxat anima, se transferunt. Contrèq; nequaquàm milites, cùm castra mouent, aut de stationne munitionibus ue decedunt, migrare dicuntur, utpote ubi domicilium non habuerunt, nec in domicilium se conferunt. Decedere quanquàm accipiatur nonnunq̃ pro eo quod est Discedere, aut recedere: tamẽ ꝓpriè est à mandato custodiæ suæ loco recedere. Vnde Consules, Proconsules, Præsides, Prætores dicuntur ex prouincia decedere: item præsidia de urbibus atq; castellis. Sine appositione intelligitur pro mori, quasi à custodia & gubernatione corporis proficisci. Cicer. de Senect. Vetatq; Pythagoras sine iussu imperatoris, id est, dei, de præsidio & statione uitæ decedere. Idem de republica. Ideo & tibi Publi, & cæteris omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec in iussu eius à quo ille est nobis datus, ex hominum uita migrandum est, ne munus humanum assignatum uobis à deo, defugisse uideamini. Eo igitur modo dicitur Decessit, quo dicitur Defunctus, ut subintelligatur Vita. At in Excedo additur Vita, non subintelligitur. Idem in Antonium: In ipsa cura & meditatione obeundi sui muneris excessit è uita.

At in Excedo additur Vita.) Excedo pro morior sine ablatiuo Vita inuenitur. Suetonius in Nerone: Nero natus est ante nouem menses q̃ Tiberius excessit. In Vespasiano: Quinquennio anteq̃ Augustus excederet, educatus sub paterna auia Tertulla.

Precor & Imprecor. Cap. XCVI.

PRecari quid significet, certum est, cùm merum accusatiuum habet: adiuncto autem datiuo, idem est quod Imprecari, hoc est optare alicui, deos precando bonam fortunam aut malam. Qui datiuus sæpè subintelligitur, ut apud M. Tullium in Pisonem: Vt omnes sui ciues salutem, incolumitatem, reditum precarentur, quod mihi accidit; an quod tibi proficiscenti euenit, ut omnes execrarentur, malè precarentur. & Quintil. Indè fugiẽtia uela lõgo iussu prosecuti, facilè emptio-

In decla. ciunt. contra legat.

emptionem, secundos uentos, placidum mare: non sic, si ipsi nauigaremus, precati sumus. Cum datiuo. Idē: Sed si tantoperè efflagitantur, quàm tu affirmas, permittamus uela uentis, & ora soluentibus benè precemur. De Imprecamur uerò hoc eiusdem sit exemplum: Non imprecamur debilitates, naufragia, morbos, pauper sit, & amet quamcũq; meretricem, & amare non desinat. Quod crebriùs accipitur in malum. In præfa. lib. 1.

Habeo orationem, Facio sermonem.

Cap. XCVII.

HAbui orationem, non feci orationem: Feci sermonem potiùs, quàm habui: nonnunquàm etiam habui. Cicero de Senectute: Cyrus quidem in eo sermone, quem moriēs habuit, cùm admodum senex esset, negat se unquam sensisse senectutem suam imbecilliorem factam, quàm in adolescentia fuisset.

Polliceri, Conuenire, & Audire habeo.

Cap. XCVIII.

TAntum habeo polliceri, inquit Cicero ad Lentulum. Idem in Catone Maiore: Neq; eos solùm conuenire habeo quos uidi, sed etiam quos audiui & legi. Idem de Oratore: Audire habeo quid hic sentiat. Quod (ut ipse interpretor) idem est quod polliceudum, conueniēdum, audiendum est mihi. Quod probatur ex illo, licèt diuerso loquēdi modo, qualis apud Quintilianum: Adeò ludibriis miseræ sum diuersitatis implicitus, ut impetrādum à uobis habeam odij mei fauorem, id est, ut impetrandus mihi sit à uobis odij mei fauor. Quod licet commutari in superiorē modum sic, Vt impetrare habeam odij mei fauorem: sicut cōtrà illum in hunc, sic, Tantum habeo pollicendum, neq; eos solùm conuenīendos habeo. Audiendam habeo huius sententiam, uel Habeo pro Volo, ut non mirum sit quarè aliqui legant Aueo. Sed non rectè legere eos, ex illis Cæsaris Augusti uerbis ostenditur, cùm dixit, Quid aliud habeo quàm deos immortales precari.

Mereor benè uel malè de te, Demereor, & Emereor. Cap. XCIX.

MEreor de te, est aliquid in te confero. si beneficij quidem, benè mereri de te dicor: Sin autem offensionis, malè de te mereri. Nonnunquā utrunque reticemus, sed in ambiguum sensum: ut, Quid de te sum meritus? Nonnunquam per negationem, sic, Homines nihil de me meriti, id est, qui nihil in me beneficij aut officij contulerūt. Quibus exemplis omnes Marci Tullij libri scatent. Demereor quoq; pro benè de aliquo mereor, accipitur sed cum accusatiuo, ut Ouidius in Heroidibus: Demereor

Dic mihi quid feci, nisi non sapienter amaui?
Crimine te potui demeruisse meo.

Et Quintilia. Simul ut pleniore obsequio demererer amantissimos mei. Emereor idem penè est quod Mereor, præteritum eius Emeritus. Vnde Emeriti stipendia, qui militia perfuncti sunt, nominantur. Et in significatione passiua Stipendia emerita. ut idē: Emeritis huic bello stipendijs. & per translationē à Vergilio Emeriti boues dicuntur, & quædam alia. Emeriti autem senes solēt habere eos, qui pro se laborent, qui dicuntur pro alio opus agere. Quintilianus de apibus inquit: Habebam quæ pro me opus agerent. In præfa. lib. 1. Emereor. Emeriti boues. Pro aliis opus agere.

Refero & fero. Cap. C.

REtulit Pompeius ad senatum, id est, consuluit. In eadem tamen sententia Pompeius ad populum

lum tulit. Ex illo fit senatusconsultum, ex hoc rogatio, quæ instar est lẽgis. Dicimus præterea, Refero tibi acceptum, pro eo quod est, Fateor me hoc abs te accepisse: neque id modò in bonam partem, uerumetiam in malam. ut pro Deiotaro Cicero: Vitam acceptam refert clementiæ tuæ. Idem in Antonium: Omnia denique quæ posteà uidimus (quid autem mali non uidimus?) si rectè rationabimur, uni accepta referemus Antonio. Idem est, Fero tibi acceptum, siue pro eo quod est, Habeo pro recepto abs te, quod mihi debebas, etiam si solutio nulla interceſſerit. Vnde fit acceptilatio, quam Iustinianus per interrogationem & responsionem fieri uult. Retuli expensum, id est, rationem de impensis confeci, uel exhibui.

Acceptilatio.

Exhorreo & Abhorreo. Cap. CI.

EXhorreo hanc rem, idem est quod Expauesco. Abhorreo ab hac re, idem est quod Perquam alienus sum ab hac re. Hoc semper postulat huiusmodi ablatiuum, illud uerò nunquam, sed accusatiuum.

Benè agi cum aliquo quid sit, & quid Actum esse. Cap. CII.

BEnè mecum agitur, idem est quod In bona conditione sum, Item Præclarè tecum agitur, optimè cum illis agitur, meliùs cum hominibus ageretur, si paruo contenti essent. Ita malè mecum agitur, & peiùs, incommodiùs ue, & pessimè. Cicero: Cum illo uerò quis neget actum esse præclarè, mecum incommodiùs? Nonnunquam actiuè. Valerius Maximus libro

bro quinto: Benè egissent Athenienses cum Miltiade, si eum post trecenta millia Persarum in Marathone deuicta, in exilium protinus misissent, ac non in carcere & uinculis mori coëgissent. Actum est, semper in malam partem accipitur: ut, Actum est de republica, id est, respublica extincta, desperata, & perdita est.

Salio & Salto. Cap. CIII.

SAlio, unde saltus, pro eo quod est saltum facio. Salto, tripudio: undè saltatio. Interdum Salio pro salto. Vergil. 2 Georgic.

Mollibus in pratis unctos saliêre per utres.

Quid autem distent saltus, & saltatio, notum est. Saltus enim est, qualis ceruorum leporumque. Saltatio uerò illa hominum iactatio, quam uulgò tripudium uocant. Et licèt Salio pro Salto accipiatur: non tamen Saltus pro Saltatio, Saltatusue, quæ eiusdem significationis sunt. Liuius: Ferre ac per urbem ire cum tripudijs solenniq; saltatu iussit.

Saltus.

Saltatio.

Abdico & Exhæredo. Cap. CIIII.

ABdicare, est expellere à bonis filium, dum uiuit pater: Exhæredare uerò, post mortem. Sed Abdicare est grauius, quod etiam in se exhæredationem continet.

QVINTI LIBRI FINIS.

LAVRENTII VALLAE IN ELEGANTIARUM LINGUAE LATINAE LIBRUM SEXTUM, QUI DE NOTIS AUTHORUM INSCRIBITUR, PROOEMIUM.

SVlpitius ille Seruius, cuius quanta in iure ciuili fuerit authoritas, plurimorum monumenta testantur, siue aliorum exempla, siue priuato consilio fretus, non existimauit turpe sibi ad famam fore, ut librum de Notis Scaeuolae conscriberet, non modò Antistitis in ea facultate, atq; omnium principis, uerùetiam praeceptoris sui. Cogitabat enim, neq; id posse sibi uicio dari, quòd publicae utilitatis caussa susciperet, neq; iniuriam illi fieri, qui reprehenderetur, si modò ritè reprehenderetur, quod in se fuisset ipse facturus, si errata sua animaduertisset. Probè itaque Sulpitius, & ingenuè, ac uerè Romanè. Quin ipse quoq; populus prudenter & grato inuicem animo, qui factum huius nõ reprehensione, sed laude dignum & gloria putauit: nec minore uoluimen hoc, quàm cetera, honore prosecutus est. Nam praecepta aliqua doctrinae tradere, cuilibet mediocribus saltèm literis imbuto, promptum est: errores maximorum uirorum deprehẽdere, id uerò cùm doctissimi hominis est, tum opus utilissimum, & quo nullum dici

dici possit utilius. Quis enim dubitet, nõ minùs agere, qui aurũ, argentũ, caeteraq; metalla expurgat, quàm qui illa effodit? qui triticum mundat, quàm qui metit? qui pinus, amygdala, caeterasq; nuces seligit, quàm qui easdem legit? Ita eum qui emẽdat (nisi pauciss ima sunt quae emendat) nõ inferiorẽ existimare debemus, quàm ipsum illum inuentorem, nec minorem ab illo, quàm ab hoc percipi fructum. Insuperq; nõ modò huic ex illius castigatione nullũ damnũ adferri atq; iacturã, uerũetiã preciũ ac dignitatẽ, perinde atq; auro ac caeteris, quae modò commemoraui, quantum corpori purgatio ipsa detrahit, tantum residuo precij (ut dixi) & dignitatis accrescit. Adeò plus utilitatis in parte est, quae superat, quàm quae fuerat in solido. Quarè si quis apud inferos Scaeuolae de Sulpitij facto sensus fuit (quae erat illi aequitas, & iustitiae amor) ausim affirmare fuisse gauisum, secumq; praeclarè actum esse dixisse, quòd suorum librorum aurum ab omni scoria esset accurate compurgatum: nihilq; foret, per quod cõciues sui per eius scripta falli possent. Neq; immeritò Plinius Iunior ad amicum ita scribit: Ita enim magis credam caetera tibi placere, si quaedam displicuisse cognouero. Quomodò igitur nõ sit beneficiũ id offerre, quod solet beneficij loco postulari? Quòd si hoc non praestatur, aut iam defunctis, aut tale beneficium respuentibus: profectò his praestatur, ad quos ex ipsa magnorum authorum emendatione multa in primis utilitas pervenit. Ideoq; ab optimis quibusq; cuiuslibet artis professoribus praeceptum est, ut eorum ipsorum, quos discentibus ad imitationem proponunt, etiam uicia (si qua fuerint) ostendant. Huiusmodi igitur ego & exemplis & rationibus adductus, faciendũ mihi pataui, ut unum

librum hunc de Notis scriptorum componerem, non quô illos carperem (nam, præterquàm quòd hæc inhumana uoluptas foret, certè & alibi maior mihi hæc facultas daretur, & de hac ipsa re penè infiniti libri conscriberẽtur:) sed quô prodessem aliquid linguam Latinam discere uolentibus, non modò ex nostris præceptis, sed ex aliorũ quoq; erratis, ubi & de nostro nõnihil ad rei testificationẽ admiscebimus. Dedimus autem nostrorum librorũ suam cuiq; materiam, ut si per se opus non multùm sibi fauoris pararet, ipsa certè uarietas commendatione blandiretur: ex hoc præsertim uolumine, in quo & uniuersa, quæ in superioribus singula continentur, & de pluribus præstantißimisq; authoribus pronunciatur, iudicumq; contra eos fit. Sumus autem ijdem simul & accusatores, & iudices: sed qui aliorum pariter accusationẽ iudiciumq; subeamus, nisi legitimè & authoris & iudicis fuerimus officio functi. Sed iam in forum descendamus.

In Nonium Marcellum de Alumnus. Cap. I.

ALumnus eum significat (Nonius Marcellus inquit) & qui ab aliquo alitus est, & qui aliquem aluit. Cui in prima significatione suffragor, in secunda refragor: nec illius exempla secum facere ostendam, sed mecum: quæ sunt tum Ciceronis in Verrem: Italia autem alumnum suum seruitutis extremo summoq; supplicio fixum uideret: tum Varronis: Et ecce de improuiso ad nos accedit cana uarietas Atticæ philosophiæ alumna. Quorum exemplorum (salua Nonij pace) utrunq; significat educatum, non educatorem. Nam Cicero quidem Italiam quasi altricem, & illum ab ea alitum dixit. Varro uerò nõ alio modo locutus est, quàm Quintilianus, ubi ait: Verba omnia

& uox eius alumna urbis esse solet, ut oratio Romana planè uideatur, non ciuitate donata. Vult enim uerba nostra & uocem uideri debere natam & alitam intrà Romam: Varro ueritatem inter Athenas atq; in sinu altricis philosophiæ. Adijcit etiã Nonius, alumnum significare dominum, ut apud Vergilium:

Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes
Seruabat senior, qui Parrasio Euandro
Armiger ante fuit, sed non felicibus æquè
Tum comes auspicijs, charo datus ibat alumno.

Durè nimis (ne dicam ineruditè) uir sanè eruditus exposuit, quasi nesciamus, nõ domini mortem à seruo, uel comite, Vergilium fecisse deplorari, sed quod esset plus, quàm si uel Euander ipse fuisset occisus, ac multò tristiùs ab altore siue nutricio mortem eius, quem aluerat, & quem loco filij habebat: qualis Phœnix ille Homericus in Achillẽ fuit, quẽ quoniã educasset, filium semper appellat pro alumno. Et certè armigeri magnorum principum semper & ipsi magni uiri fuerunt. Siquidem (ut taceam de Phœnice, qui bonæ partis Myrmidonum imperabat) Patroclus auriga Achillis princeps erat: & Sthelenus Capanei rẽgis filius auriga Diomedis: & Meriones inter primos duces Cretensiũ auriga Ilionei: & Hectori aliquis fratrũ ferè aurigabatur currum. Talis fuerat Acetes Euãdro. Ergo nõ erat seruus, aut seruo similis apud Euandrũ, multò minùs apud filiũ, sed patri similis, et propatre, præsertim illo absente. Duo aũt hæc noũa, quæ ab eadem litera incipiunt, Armiger, & Auspicium, quæ apud Vergilium modò legimus, non nota omnibus etiã explicemus. Armiger est, qui in prælio gerit tela domini sui, ut scutũ, ut arcũ, lanceã, & cætera

Armiger.

buiusmodi

Aſpicium

buiuſmodi. Imperiti armigerum uocãt armatum equitem. Auſpicium eſt, uel à paſtu auium, uel ab inſpectione auium. Sed quia conſul antequam iret in expeditionem, capiebat auſpicium, hinc factum eſt ut dicamus auſpicia ducum atq; principum, quæ à ſolo duce accipiuntur. Et hinc auſpicari non modò auſpicium capere, ſed etiam incipere, nec in bonam tãtùm partẽ (quod

Auſpicari

frequentiſſimum eſt) uerùm in malam quoq;, ut apud Plinũ: At homo infeliciter natus, manibus pedibusq; deuinctis, animal cæteris imperaturum à ſupplicijs uitam auſpicatur. Nam quando nõ eſt uerbum, ferè in

In And.

bonum accipitur, ut apud Terentium: Haud auſpicatò me huc adpuli, id eſt, non feliciter, quaſi auſpicijs repugnantibus. Quod declarat Quintilianus de Achille (ut opinor) loquens, qui ad mortem, quam dij futuram denunciauerant, cupiditate ulciſcendi Patrocli ruebat. Sic nanq; ait: Eant nunc poëtæ antiquarum fabularum conditores, & ſe ad exhortandam amicitiæ fidem magna quædam compoſuiſſe carminibus putẽt, ſi dixerint aliquos per maria terrasq; aſperiorem fortunam amicorum tantùm ſecutos, aut principem Græciæ uirum in ultionem interfecti amici inauſpicata bella geſsiſſe. Et alibi: Itaq; ut apud illos Homerus, ſic

Lib. 10.

apud nos Vergilius auſpicatiſſimum dederit exordium. Auſpex, qui præerat nuptijs celebrandis: quia

Auſpex

auſpicium pro nuptijs capere ſolebat: adhibebaturq; hic pro parte mariti, ut pronuba, quæ præeſt & ipſa

Pronuba

nuptijs celebrandis pro uxore. Aliquando etiam magis propriè pro eo, qui dux militiæ eſt, ut primo carminum apud Horatium:

Nil deſperandũ Teucro duce, & auſpice Teucro.

In eundem de Citare. Cap. II.

Citare

Citare, idem inquit, pro laudare accipitur. ut Cicero: Citeturq; Salamis, clariſſimæ teſtis uictoriæ. Neſcio cur id dixerit. nõ enim tãtus uir, tam parua neſciuit, niſi putet ſe acutiorem uiſum iri, ſi clara faciat obſcura: Citantur teſtes, non laudantur. Nam Salamis (qui fuit locus uictoriæ Themiſtoclis) nihil laudis meretur, quippe qui nihil egit, ſed teſtis fuit, quia interfuit, uel quia in eo poſita ſunt tropbæa uictoriæ, quæ rem geſtam teſtificantur tranſeuntibus. Ergo ſi teſtificari locus poteſt, poteſt meritò ut teſtis citari, non tamen tanquã uenturus, ſed ad quem eant qui teſtimoniũ deſiderant: uel Citentur Salaminij, continens pro contento: uel Citentur authores, et libri qui de hac Salaminæ uictoria meminerũt, teſtimoniumq; dicunt.

Citantur teſtes, non laudãtur.) Laudare, quod uerbum eſt ipſum iuris, ſi quis diligenter aduertat, etiam nominatim citare ſignificat, & appellare, hoc eſt, iudicio dictato interpellare. Cic. 3. de Orat. de Carneade loquens: Huius ego etſi multos auditores cognoui Athenis, tamen authores certiſſimos laudare poſſum, & ſocerum meum Scæuolam, qui eum Romæ adoleſcens, & Q. Metellum familiarem meum, qui illũ à ſe adoleſcẽte Athenis iam adfectum ſenectute multos dies auditum eſſe dicebat. Idem in eodem: Quod eô ſæpius teſtificor, quòd authoribus laudãdis ineptiarum crimẽ effugiam. Gell. lib. 3. Varro 11. menſe naſci hominem poſſe dicit eiuſq; ſententiæ Ariſtotelẽ laudat authorem. Pomponius in, l. Tenetur. ff. De act. empt. Si tibi iter uendidero, ità demum authorem me laudare poteris, ſi tuus fuerit fundus, cui adquirere ſeruitutem uolueris. BVDAE.

In eundem de Capio. Cap. III.

Capio ſecundùm eundem in paſſiuo ſignificat propiciationem, ut apud Lucretium:

Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Capere

Capere, facere. Terent. in And. Non si capiundos mihi inimicos sciam esse omnes homines. Capere, perpeti. Terent. in Heautontim. Dum abs te absum, omnes mihi labores fuêre, quos cepi, leues. Capere, tollere, tenere. Vergil. Georgic. 4.

Hic tibi nate priùs uinclis capiundus.

Varro in Meleagris: Quem idcirco terra nõ cepit, & cœlũ nõ recepit. Idem in Eumenidibus: Stolam calceosq; muliebres propter positos capio. Capere, eligere. Terent. in Hecyra: Cùm illum in generum cepimus. Vergilius in Georg. Antè locum capies oculis. M. Tullius de Offi. Quòd insit aliquid probi, quod capiat ignaros. Capere, delectare, sustinere, habere, decipere, circumuenire, occupare, detinere, satiare, accipere, complecti, inuenire: singulorumq; exẽpla subijcit, quæ ipse (ne longior essem) prætermisi: In quibus non est illius probabilis expositio. Nam quis credat authores uni dictioni tot significata, & quidem pro se quenq; noua dare uoluisse, tãquàm linguam ipsam confundere cuperent? Cur igitur ita locuti sunt? Nempe quòd nihil interest inter has significationes: Capio hostem, capio generum, capio saxum. Præterea duæ proprietates in hoc uno uerbo notãdæ sunt: una, quòd habet reciprocum quendam usum, ut idem sit Cepi uoluptatem, & Cepit me uoluptas. Cice. Magnam cepi ex literis tuis uoluptatem. Quintil. Nec me tanta capiebat uoluptas, quòd fluentia cæris mella conderem. Plinius ad Caluisium lib. 8. Capio aliquam uoluptatem, quòd ulla uoluptate non capiar. Cepi somnum, captus sum somno, uix dicitur, sed dici posset, ut oppressus uidelicet qui opprimitur somno, capitur somno. Cepi delectationem, uix unquam, Delectatio cepit me

De apib. pau.

me, sed in passiuo potiùs, Captus sum delectatione. Et item in cæteris, quæ ad delectationem pertinent: Captus sum amœnitate loci, dulcedine uocis, specie mulieris, amore pecuniarum, spe honorum, magnitudine sublimitateq; materiæ. Ista enim oĩa delectant, ideoq; subintelligi solet delectatio, quale ipsum illud M. Tullij: Quòd insit aliquid probi, quod capiat ignaros, id est, delectat. Ergo probitati inest delectatio, ut sit ita exponendum, Cuius probi delectatio capiat ignaros, siue ignari capiantur delectatione. Habet, inquit, Terentius, Captus est, subintellige amore, siue pulchritudine fœminæ, id est, delectatione: non autem (ut testatus sum) actiuè, Cepi amorẽ. Nec longè ab hac ratione abest illud, Captus sum oculis, pro orbatus sum oculis. Nec hoc unquã reperies, nisi in passiuo. & nunquã ferè nisi de oculis dici. misericordia cepit deos, non dij misericordiam dicimus, id est, non delectatio, sed dolor ille ex alieno malo. Et, Merita mea ceperunt deos, ut ait Lucretius, qui sermo rarus est: id est, admiratio, uel delectatio, uel affectus eos cepit. Capio dolorem tamen potiùs, quàm Cepit me dolor dicimus: non quia nõ possumus etiam sic dicere, sed quia habemus alium in usu magis modum proprium. Tenet me dolor, sicut Tenet me desiderium. Delectatio enim uidetur tantùm capere, nec diu permanere: dolor autem & desiderium tenêre quasi permanendo. Item Cepi indignationem, cepi siue contraxi molestiam potiùs, quàm Cepit me indignatio, cepit me molestia. Contrà. Cepit me tædium, cepit me obliuio, cepit me odium, potiùs quàm retrorsum. Vergil.

Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.

Terent. Neq; agri, neq; urbis odium me unq; * cepit.

* Emendati codices Cice.

Terẽtiani habẽt Percipit. Locus est in Eunuch. Act. 5. Sc. 6.

Cicẽ. Propter quod tantum odij cepit eloquentia, ut homines studiosissimi quasi ex turbulentissima tempestate se in studium traderẽt quietum. Idem: Vt eos iucunditatis capiat obliuio. Plinius tamẽ lib. 7 naturalis historiæ ait: E prælto tecto lapsus, matris & affinium propinquorumq; cepit obliuionem. Altera proprietas, q. Capere significat uel spontè, uel non sponte accipere: Sumere tamẽ spontè. atq; hinc est illud, Cepi laborres, cepi molestiã, cepi dolorẽ, cepi uel suscepi inimiciti as, suscepi curas, suscepi sumptus, accepi calamitatem, accepi cladem, accepi damnum, accepi iniuriam, accepi cõtumeliam, accepi repulsam, accepi uulnus, quod nunquàm ferè aliter dicimus: non Sustinui, non perpessus sum uulnus, sed ferè semper Accepi: nisi more poëtico, ut apud Ouidium lib. 2 Metamorph.

Sumere.

– Nullam patiere repulsam.

Cicero: In domum multiplicatam honoribus non solùm repulsam retulit, sed etiam ignominiam & calamitatem, cùm dixit: nequaq; cõtra hoc, quod præcipio, facit. Nam Sumo supplicium, sumo pœnam, nõ in me, sed à me in aliũ infligi intelligitur. ideoq; adiũgitur ablatiuus cũ præpositione De. Cic. De illo paulò pòst supplicium sumitur. Quintil. Vt nisi occurrisset ad diem, de eo qui restiterat, pœna sumeretur. Potest tamen quis de se etiam sumere supplicium, eruntq; tamquam duæ personæ, quæ agit, & quæ patitur. Porrò quia sumere est ultrò, quasi non permissu aliorum capere: eò fit ut intelligatur pro nimium, & interdum pro arroganter sibi tribuere. ut Cic. de Offic. Orationem autem Latinam efficies profectò legendis nostris pleniorem. Nec uerò hoc arroganter dictũ existimari uelim. Nam philosophandi scientiam concedens multis: quod est oratoris proprium, aptè, distinctè, ornateq; dicere (quoniam in eo studio ætatem consumpsimus) si id mihi assumo, uideor id mihi meo iure quodam modo uendicare. Assumpsisse sibi ait eam laudem, quæ nisi uera esset, ac palàm uera, propter rei magnitudinem arrogans uideretur. Ergo Assumere est multum & penè nimium sibi tribuere. Idem pro Plancio: Quanquàm non mihi tantum sumo iudices, neq; arrogo. Inde ineruditorum uocabulũ Præsumptuosus. Deniq; quodam loco Valerius Maximus ita planè horum uerborum proprietatem distinxit, ut hanc differentiam penè præcipere uideatur, cùm de Catone censorio loquitur: Qui ensem de medijs hostibus recepit quanquàm hoc aliqui filio Catonis tribuunt, inquientes, ut non coactus acciperet, sed sua sponte sumere uideretur. Quarè, si Latinè & nos loqui uolumus, dicamus dominum IESVM carnem quidem humanam sumpsisse, mortẽ uerò accepisse. Meo iure, quod modò apud Ciceronem legimus, si quis fortè desiderat, exponamus. Significat autem idem quodammodo, quod Mea authoritate, meaq; licentia, & concessa mihi ab hominibus libertate. ut idẽ pro Archia: Quarè suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas: Suo iure inquit, quòd poëta erat, et probatissimus poëta. Idem est Pro meo iure. ut idem alibi: Pro meo iure hoc dico, uos eo me priuastis: quasi confidenter dico. Est enim efficiens caussa, non finalis: qualia cætera sunt hoc modo dicta, Pro mea in uos beneuolentia, pro uestra in me humanitate, pro tua mansuetudine, pro sua pietate, ubi efficiens (ut dixi) caussa intelligitur, non finalis.

Assumere

Præsumptuosus.

Meo iure

Ad Herennium.

1. ca. lib. 1

Accepi repulsam.) Dicimus quoq; Repulsam ferre.

Cice. Philp. 8. Est enim annus ut repulsam tulit. Philip. 11. Aut præstantissimus uir, si tibi sit assensum, repulsam tulisse uideatur. Idem de Orato. lib. 2. Quum ipse consul factus, ille repulsam tulisset. Et, Repulsam patitur Liuius: Lucius Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus.

In eundem de Contendere. Cap. IIII.

COntendere, idem ait, est festinare, ut Vergil.

- Quæ proxima littora cursu
Contendunt petere. -

Contentio est perseuerantia, uel elatio. M. Tul. de Offic. lib. 1. Ex contentione uocis, & submissione, & cæteris similibus, facilè iudicabimus. Sallust. histor. 4. Rursus iumenta nacti, ad oppidum ire contendunt. Contendere, continuare, Cic. de Orat. 2. Id quod eius scripta declarant, & contentiones uocis, & remissiones continuarentur. Et in 3. Nihil perniciosius est, quàm sine intermissione contentio. Præterea ait, Contendere esse astringere, intorquere, cõparare, certare, extorquere, proripere uel dirigere signum. Iterum pro festinare, intendere. Sed neq; præcepta, neq; exempla satis distincta sunt. Quid enim differt? Contentio est perseuerantia, & Contendere est cõtinuare: quum præsertim eadem exempla utroq; subijcias. Quid iterum Vergilianum illud, Contendunt petere. Et illud Sallustianum, Ire contendunt. quæ duo idẽ declarant, quod Tendunt, uel pergunt ire, siue petere. Iam uerò apud Ciceronem contentio non est perseuerantia, neq; contendere continuare, sed intentio atq; intendere. In-

Intentio. differenter enim dicimus hoc loco contentio & intentio, contendere & intendere. Nam plurimi fallūtur, accipientes intentionem pro uoluntate atque proposito. Afferam ad hoc probandum ex M. Fabio exemplum

plum, per quod et ipsa res, de qua agimus, probabitur, Neq; grauissimus aut in musica sonus, nec acutissimus orationibus conuenit. Nam & hic parùm clarus nimiumq; plenus, nullum afferre animis motum potest: & ille prætenuis & immodicæ claritatis, cùm est ultra neruum, tum neq; pronunciatione flecti, neq; diutius ferre intentionem potest. Nam uox, ut nerui, quô remissior, hòc grauior & plenior quô intentior, hòc tenuis et acuta magis est. Sic imaginum hõ habet, summa rumpi periclitatur. Medijs ergo utendũ sonis. Hi quoq; cùm augenda intentio est, excitandi: cùm summittenda, sunt tẽperandi. Manifestum ergo est quid sit intentio, cuius etiã similitudo neruorum manifestiùs docet, unde similitudo sumpta est. Nam, ut neruus in cithara, aut neruus in arcu quô magis intenditur, eô uehementiorem sonũ uel ictum efficit: quô magis relaxatur, eô remissiorem: ita & uox, quæ utiq; usum neruorum corporis exigit, quos uidere licet in acutissimè exclamantibus maximè intendi, tanquã in cithara aut in arcu, siue contendi. quæ (ut dixi) idem sunt, atque idem esse, ex uerbis utriusq; authoris, quos nominauimus, liquet. Neq; uerò quisquam negauerit Continen- Continen ter. ter esse, quod Continuè siue continuatè, quod Marcellus ait, sed à Cõtineo uenit. Contentus uerò à Con- Cõtentus tendo, licèt & Contineo facit contentum.

In eundem de Cursus. Cap. V.

CVrsus, inquit, idem est quod uolatus, ut Verg.

- Cursumq; per auras
Dirigite in lucum: - 6. Aeneid.

quasi non figuratè dicamus de uolatu cursum, & de cursu uolatum: ut ille apud Terentium, festinanter seruum ire iubẽs, inquit, Vola, pro eo quod est Curre.

De nauigatione quoque festina dicimus Cursum. ut M. Tull. Quo cursu frumento onustas naues petentes Rhodum uiderit. Et Quintilianus nauigationē dixit fugam, siue naues fugientes, quæ uelocē cursum conficerent. cùm inquit: Inde fugientia uela longo usu prosecuti. Is enim qui fugit, uelocissimè currit. eoq; Aeneid.8. Vergilius inquit: Pedibus timor addidit alas. Idem quoq; Quintil. inquit: Multa sunt Græcè et Latinè non denominata. Nam & qui taculū emittit, taculari dicitur: qui pilā aut sudem, appellatione priuatim sibi assignata caret. Et ut Lapidare quid sit manifestum est: ita glebarū testarumq; iactus non habet nomen. Vnde abusio, quæ καταχρησις dicitur, necessaria est. Quarè ad hanc Quintiliani formulam non aliter nauem uelociter euntem, & auem uelociter uolātem currere dicimus, quàm iaculari sudem. Illud autem apud oratores obseruaui, Volitare potiùs quàm Volare pro discurrere dici solere. ut apud eundem: Me per omnia maria uolitātem. Et apud Ciceronem: Qui per Repere. forum uolitant quale est reptare. Nam quum repere sit animalium carentium pedibus, & uentre euntium (licèt quædam reptilia pedes habeant, ut lacertæ:) ita Reptare. men raptare hominem dicimus, qui segniter, lentè, & quasi testudineo passu incedit, quales sunt qui in hortis, aut uinetis, similibusq; locis spatiantur. Horat.

An tacitum syluas inter reptare salubres.

Plin. ad Bebium: Scholasticis porrò dominis, ut hic est, sufficit abundè tantum soli, ut releuare caput, resti cere oculos, reptare per limitem unam semitā terrā, omnesq; uiticulas suas nosse, & numerare arbusculas possit. Idem: Frequentior currentibus, quàm reptantibus, lapsus est. Terent. in Adelphis: Perreptaui usq;

usq; omne oppidum, ad portam, ad lacum, quò non?

In eundem de Carpere. Cap. VI.

Carpere, inquit, pro attenuare & aperire. Verg. Nec nocturna quidē carpētes pensa puellæ. hoc ne puellæ quidē ipsæ dicerent. Nam ut carpimus linum uirēs ex humo, cùm uellimus: ita puellæ sinistra manu de collo pensum trahētes, sensimq; uellentes, carpunt. Et, ut decerpimus rosam primis digitis: sic puellæ primis & ipsæ digitis decerpunt particulatim linum, lanam ue. Iterum carpere celeriter præterire. ut Vergilius:

- Et acri carpere prata
Fuga. -

Et in eodem:

- Carpere mox gyrum incipiat.

quasi in primo non celeritas illa magis intelligatur per hoc, quod dixit Fuga, qui est celer cursus, quàm per illud Carpere: & in secūdo significetur uelociter præterire. Aliud nanq; est ire in gyrum, aliud præterire: quòd de equo & sessore utrunque poëticè dictum est.

In eundem de Accipere. Cap. VII.

Accipere, pro Pascere, idem inquit. Terent. In Eunu. Accipit hominem nemo meliùs prorsus atq; prolixiùs: & hunc imitatus Seruius in Vergilium,

Illos porticibus rex accipiebat in amplis.

Vrbaniùs profectò & lautiùs loqui poterant. Pecora gregatim altiliaq; dicuntur pasci, non homines. Nos enim quoties accipimur siue excipimur in conuiuium, non ad saginam. sed ad iucunditatem illam atq; apparatum inuitamur, ut minima pars cibis assignetur. Vndè conuiuere dicimur eo tempore, non comessari aut com

potare, aut (quod deformius est) compascere, siue compasci. Siquidem Terentius de Thrasone, nõ tanquam de saginatore locutus est, sed tanquàm de splẽdido apparatore conuiuiorũ. Et Vergilius Helenum regem uult regiam quandam magnificentiam in exhibendo conuiuio declarasse, non solùm (ut ita loquar) pastionem, & (ut dixi) saginam. Fateor tamen Accipere nonnunquam significare in domum suam honoris & amicitiæ gratia aliquem conuiuam capere: ita tamen, ut subintelligatur in conuiuium. ut, Acceptus sum à te lautè, id est, acceptus sum in conuiuium, uel tractatus. Nam frequenter in contrarium dici reperimus: Ego abs te miseris sum acceptus modis. Hoc apud
In Adel. Terentium & apud Ciceronem: Ex quo illud laudatur Archytæ, qui cũ ullico factus esset ruator, Quo te modo, inquit, accepissem, ni ruatus essem.

In eundem de Graue. Cap. VIII.

GRaue, inquit, significat grauidum: Vergil.
-Donec regina sacerdos Marte grauis.-
Circumlocutio fecit ut intelligatur Grauida. nam si dicamus Regina aut Helena est grauis, nemo prorsus intelligat: sed addam ex rẽge, aut ex marito, fortasse intelligatur esse grauida. Ita apud Vergilium: Marte grauis, pro Semine Martis impleta. Graue, plenum. Vergil.

Non insueta graueis tentabunt pabula fœtas.

Si accipit Fœtas pro grauidas, superuacaneum est exponere Graueis pro Plenas. Per illud enim quòd prægnantes sunt, plenæ esse intelliguntur: Graues uerò esse per epitheton quod appositum est, quippe grauidæ. omnes graues, ut ipsa quoq; uox indicat. nam à Grauis fit Grauidus. Sin accipit Fœtas pro his quæ

quæ pepererũt, ut puerperas mulieres, quæ proximis diebus matres sunt factæ, graues lacte dicemus, quasi onustas, non quasi plenas. Durum sit nanq; appellare oues capras ue plenas lacte, sed ubera plena lacte: ut est apud eundem per translationem grauida,

Et grauido superant ux ubere limen.

Quòd si quando reperiatur Grauis pro Plenus, hoc tamen in loco non ita accipitur. Hunc eundem quem ego protuli uersum, & ille affert, quasi de grauido, et nõ de graui sit quæstio. Nec poëtæ modò, uerũetiam oratores sic loquũtur: ut Quintil. Luctãtur intrà uiscera animæ, & uterũ funeribus grauidũ in os agunt. Sed ad graue reuertamur. Grauis, inqt, plenus. Ver.

Tum pietate grauẽ ac meritis si forte uirũ, quem Aeneid. 1.
Conspexêre, silent. -

Virum pium & benemeritum appellare plenum pietatis plenũ meritis quis audeat? Non ergo ita exponendum est, ut nec est utendũ. In quo paulò pòst meã sententiã ostendã: Graue, inquit, grandæuum. Verg.

Hic grauis Entellum dictis castigat Aceste. Aeneid. 5.

At ego potiùs accipio, grauis prudẽtia et moribus, quomodò proximè grauis pietate & meritis dicebatur. Multa præterea significata dat huic eidem nomini, quæ profectò forent infinita, si ad illum modum poëtarum omnium exponamus exempla: quod longè abest tum ab utilitate discentium, tum ab ipsa rei natura. Etenim graue suapte natura ponderosum significat, ut Graue saxum, grauis sarcina, grauia arma, graue scutum, quod scilicet grauat nos in ferendo, & quod ægrè & cum molestia fertur. Indè per abusionem transferimus ad senectutem, ad morbum, ad laborem, ad dolorem. quia hi, qui molestiam ex senectu-

te, morbo, cæterisq; sentiunt, quasi onere intolerabili premuntur, quod cupidè, uelut graue pondus, à se uellent deponere. Neq; solũ ad molestias corporis translatio hæc fit, uerumetiam ad molestias animi, ut Grauis contumelia, grauis iniuria, grauis mœror, grauis iactura, quæ animum genere quodam ponderis premunt. Itaq; unus modus est, quæ corpori aut animo molesta sunt, ea grauia appellare: eôq; molestia à mole, id est, à re magna magniq; ponderis uocitata est. Alter modus est, quòd quẽadmodùm grauia saxa, & grandes trunci non facilè loco mouẽtur, sed ad omnem temporis mutabilitatem hærent: ita homines constantes ac præditi sapientia, meritò per figuram graues nominantur, quòd nec precibus, nec minis, nec uanitate, nec promissis, ab æquo & iusto summouentur, ut hi faciunt, quos leues uocamus, qui in similitudinem pulueris & palearum ad omnem auram uentilantur. Sciamus tamen, Grauis tunc regere datiuum, cùm est in priore significato, ut, Tu es grauis mihi. Quarè non probè quidã legunt apud Ciceronem de Offic. Quod ætati tuæ esset aptissimum, & authoritati meæ grauissimum. Nam hoc Grauissimum superuacuum est. Cæterùm quid mirer, si in his, quæ sunt altioris intelligentiæ, fallitur, quum in leuioribus atq; apertis hallucinetur Marcellus?

Molestia.

Graues homines.

Leues.

In eundem de Inficiator Cap. IX.

INficiatores, inquit, sunt falsi criminis obiectores, ut Cice. de Orat. lib. 1. Vt si ille inficiator probasset iudici, antè petitã esse pecuniam, quàm esset cœpta deberi. hoc de reo dictum est à Cicerone, nec reo criminis, sed pecuniarum: ille uerò accipit nõ tantùm pro accusatore, sed pro actore etiam & accusatore falsi criminis

criminis. Vbi enim pecunia & petitor nominantur, ibi nulla est criminatio. Inficiator igitur is significatur, qui negat se uel debere quod actor petit, uel commisisse quod accusator obijcit. Vnde status cõiecturalis dicitur inficialis, in quo semper reus inficiatur, uel inficias it. Inficiari enim, & id quod dixi Inficias ire est uerbo negare. Nam negare est aliquando etiam facto, ut Vergil.

Status inficialis. Inficiari. Inficias ire. Negare.

Egregij forma, sed quis fortuna negarat
In patriam reduus. –

Veto, notum est aliud esse, quàm Nego, & (ut breuiter signem) contrarium est illis Impero & Iubeo. Non est autem huic nomini, nisi accusatiuus casus, & unum uerbum Eo, is, it. De Inficias loquor, cui simile est Suppetias, pro eo quod est auxilium: ut in duodecimo Commentariorum Cæsaris: Et nunciabãtur auxilia magna equitatus oppidanis suppetias uenire. Et in eodem: Suisq; rebus timens, elephantisq; triginta relictis, suis finibus oppidisq; suppetias profectus est. Et iterum in eodem: Atq; suis fugientibus, suppetias ire cõtendit. Suetonius de Vespasiano: Legatum insuper Syriæ consularem suppetias ferentem, rapta aquila fugauerunt. Suppetias pro auxilium. Plaut. in Epidico: Sed memento, si quid sæuiunt senes, suppetias mihi cum sorore ferre. Idem in eodem nominatiuo est usus: Auxilia mihi & suppetiæ sunt domi.

Vetare.

Suppetiæ

In eundem de Incisim. Cap. X.

INcisim, inquit, quasi simul. Cic. in Oratore: Hæc quidẽ duo binis pedibus incisim, deinde membratim dicere solebas. Quid magis contrarium, quàm incisim, id est, minutatim, & simul quod est coniunctim? quasi nesciamus, quid sint cola, commata, & periodi, de quibus

bus Cicero pluribus in locis disputat, appellans ea incisionem, membrum, circuitum siue ambitum, siue comprehensionem, siue continuationem, siue circumscriptionem. Cuius ultimi (quod multis nominibus Cicero uocat) duo genera Quintilianus facit: priora autem sic diffinit: Incisum est sensus non expleto numero conclusus, plerisque pars membri, ut, Domus tibi deerat, at habebas: pecunia superabat, at egebas. Fiunt autem ex singulis uerbis incisa. Membrum est sensus numeris conclusus: sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens.

Li.9.ca.4

In eundem de Candeo. Cap. XI.

QVid ergo? nihil'ne benè dixit Marcellus? imò uerò aliquid, atq; adeò multa, sed nunc benè dictis non est locus: tametsi in his, quæ laudari queunt, nõnihil interdum desidero, ut Candet, ignitũ est. M. Tullius de Offic. Candente carbone adurebat capillũ. Candet, candidũ est. Verg. Aeneid. 4.

Candentis uaccæ media inter cornua fundit.

Sed hîc (ut dixi) nonnihil desidero. Nam & excandescere hominẽ dicimus, cùm uehemẽter irascitur. Præterea ostendenda est passim caussa quamobrem unum uerbum plura significet, ut in hoc: Cùm enim ignis obstantia exuperat, ac fumum uincit, candorem flammæ cõcipit, uel quòd sol quantò candidior, tãtò ardentior: ita animus dum ira concitatus est, inflammatus, incensus, & excandescens dicitur: uel quòd mare uentis confractum, & in morem aquæ ebullientis in lebete, uel ipsa aqua lebetis ebulliens, spumas albẽtes ciet, ita animus simili perturbatione percitus, excandescere dicitur, ut tanta commotio mẽtis significetur, quanta est uel maris, uel aquæ ad ignem iam albescentis.

Excandescere.

quod ex unius à Quintiliano expositi uocabuli patefiet exemplo: Vertex, inquit, est contorta in se aqua, uel quidquid aliud similiter uertitur. Indè propter flexum capillorum, pars summa capitis: ex hoc inquam in montibus eminentissimum rectè dixeris, hæc omnia uertices, propriè tamen undè initium duxit. Quarè nemini debet mirum uideri, cur interdum una uox plura significet.

Li.8.ca.2. Vertex.

In Seruium de Lætus. Cap. XII.

LAetum Seruio placet multa significare, fœcundum, pingue, grauidum, pulchrum, uiride, & multa alia. Idq; apud Vergilium modò: quòd si alios quoque poëtas exposuisset, adhuc alia multa significata adiecisset. Sed ipse rationẽ reddam, cur in uarios sensus abutamur, quum unum natura significet. Lætum id appellamus, quod aspectu gaudium promit. Nam gaudere propriè est intrinsecus: lætari extrinsecus. Rectè igitur animata dicuntur læta, quoties lætantur. Et quia natura sic comparatum est, ut quæ bona corporis habitudine sunt, alacriora: quæ uerò debili, tristiora sint: eô fit, ut pinguia uocemus læta, ut lætas oues, lætos greges, læta armenta. Transferimus hoc ad similia, ad segetes, ad uites, ad olineta, ad cæteras arbores. Vndè, sicut ex illis superioribus domini percipiunt fructus, & quẽadmodùm illa, ita hæc quoq; qualia sint, declarat aspectus, appellãturq; lætæ segetes, lætæ uites, læta olineta, læta arbusta, eô quidem magis, quòd multi uolunt hæc animata esse. Vel læta dicimus ab effectu, quòd nos lætos faciũt: ut locũ tutũ, quia nos tutos efficit. Ideoq; non appellantur homines læti ob fœcunditatẽ, pinguedinẽ, pulchritudinem, grauitatem, & similia: sed tantum ea, quæ in nostros usus cedunt

Gaudere. Lætari.

cedunt, aut (si ita cõtingat in nostram delectationem) lætitiam nobis uoluptatemq; parientia. Hanc igitur regulã tenentibus, hoc nomen & apud authores inuentum facilè intelligetur, & multifariam sine ambiguitate in utendo suppeditabit.

In eundem de Accuso & Incuso. Cap. XIII.

ACcusare (ut idem cum multis alijs uoluit) est maioris de minore: Incusare est minoris de maiore, uel paris de pari: quorũ singularis insciti a uehementer est castiganda. Apud quem enim authorum obseruatio ista reperietur? Non ne apud ueteres adolescentuli solebant probitatis simul & eloquentiæ laudem capescere ex magnorum uirorum accusatione? atq; (ut ait M. Fabius) crediti sunt etiam clari iuuenes obsidem reipublicæ dare, malorum ciuium accusationem: quod significauit Cicero, cùm dixit. Quàm est illa misera, quàm dura seruitus, adolescẽtibus palò loquacioribus seruiendũ est. Nunquid Demosthenes, cùm tutores suos adolescentulus in iudicium uocauit, aut Cicero, cùm Verrem reum fecit, prætorem uirum, ipse quæstorius nõ accusauit? maleq; locutus est, dicens, accusationem suam semper, nunquam incusationem. Et hoc quidem de accusando. Quid autem de incusando? Certè si illud nõ est de maiore in minorem, neq; hoc erit de minore in maiorẽ: & alioqui nullo unquam in iudicio auditum est nomen incusationis, quid porrò extra iudicium? Vergilius inquit:

Quem non incusaui amens hominum'ue deum'ue?

Dij quidem maiores Aeneæ sunt, homines uerò Troiani duntaxat minores. At est apud Terentium pater ad filium loquẽs: *Quid me incusas Clitipho?* Hoc enim

In Heaut. act. 5. sce. 2.

enim isti exemplum ponũt. Cæterorum exempla omittunt, quæ contra eos faciunt, quæ sunt infinita. ut Cæsar Comment. 1, *Hæc cùm animaduertisset Cæsar, conuocato consilio, omniumq; ordinum ad id consilium adhibitis cẽturionibus, uehementer eos incusauit.* Sed (ne multis morer) accusare, est uel apud iudices, uel apud alium quemuis, etiam apud illum ipsum, quem accuses, significare atq; ostendere aliquem peccasse. Incusare uerò reprehẽdere mores alterius, & plerunq; cum querela, quòd ab illo iniuria sis affectus. Et ita apud Vergilium, Terentium, Cæsarem, cæterosq; authores accipiendum est.

In eundem de Barba & Barbæ. Cap. XIIII.

BArba, idem inquit, hominis est: Barbæ uerò quadrupedum. Sed non est barba tantùm hominum, neq; barbæ tantùm quadrupedum. quin & barba quadrupedum, & barbæ hominum utiq; multorum dicuntur. Horatius:

Vtq; lupi barbam uariæ cum dente columbæ
Abdiderint furtim terræ.

Plinius libro uigesimonono: Rabiem hircorum, si mulceatur barba, mitiorem: eadem præcisa, non abire eos in alienum gregem. Nam illud Vergilianum:

Stiriaq; impexis induruit horrida barbis:

magis de hominibus dictum est, q̃ de hircis. Et illud:

Nec minùs interea barbas, incanaq; menta
Cyniphei tondent hirci:

ad multos hircos refertur, perinde ac si diceremus caudas, quum tamẽ singulæ singulis hircis sint, ita & barbæ. Sunt etiam & barbæ aliorum, quàm quadrupedũ, ut Plinius in trigesimo: Cùm Geminos transit sol

sol cristis, & auribus, & unguibus gallinaceorum, si luna rasis barbis eorum.

In eundem de Nuncius & Nuncium.

Cap. XV.

NVncius, inquit idem, est qui nũciat: quod autem nunciatur, licèt neutro dicatur, tamen inuenitur & masculino. Miror cur ita dixerit. Ego quidem nusq; Hoc nuncium legi, at ne ipse quidem, ut opinor: quum Festus Pompeius, uetustior eo author, ita scribat: Nuncius & res ipsa, & nuncius dicitur.

Apud Catullũ tamẽ legit, Geminas deorũ ad aures noua nuncia referens. Et Tibullus quoq;

In eundem de Arceo, Abigo, Abigeus, Abactor, Abigeatus. Cap. XVI.

ARcere idem ait esse prohibere. Sed mihi uidetur potiùs esse uetare, ne accedant hi qui uenient. Iuno septem tantùm annos arcuit Troianos ab Italia: quam ubi contigerunt, non arcebat ab ea amplius, sed in ea esse prohibebat. Transfertur (ut pleraq;) de corporeis ad incorporea. Cicero in Paradoxis: Quæ uis enim est, quæ magis arceat homines ab improbitate, quàm si senserint nullũ in delictis esse diuersus? Contrarium huic uerbo est Abigere, quod significat à loco fugare atq; expellere, ut, Abige meas à facie mea scribentis, abige canes à popina tua, abige sturnos sonitu à uinea. Quintil. Ibo in litus miser, planctibus aues abigam. De pecoribus uerò idem quod de cæteris animalibus accipiẽdum est: quæ sino bis odiosa sunt, abigimus, id est expellimus, ut oues, capras, asellos, ab hortis, à uinetis, à pratis. Quod si ita non sit, sed furto tollimus, utiq; gregatim abigere aliud significat, id est, furto tollere, aut etiã latrocinio. ut apud eundem: Adhuc spolia transeuntium, & abacti pecoris greges, sub hoc titulo defendebantur. Vide

Abigo.

dè abactores uocantur pecuariorũ animalium fures, latrunculi ue. hos quidam abigeos uocant. Vlpianus autem inquit: Abigei bi propriè habentur, qui pecora ex pascuis, uel ex armentis subtrahunt, & quodãmodò deprædantur, & abigẽdi studiũ quasi artem exercẽt, equos de armẽtis, uel oues de gregibus abducentes. Cæterùm si quis ouem oberrantẽ, uel equos in solitudine relictos abduxerit, nõ est abigeus, sed fur potius. Hic abigeum à non abigeo distinguit loco, nõ numero: Claudius numero, non loco, inquiens: Quantitas discernit furẽ ab abigeo. Nam qui unã suem surripuerit, ut fur cohercebitur: qui gregẽ, ut abigeus. hic furem ab abigeo separat, ut superior fecit. Macer non separat, cũ ait: Abigeatus crimen publici iudicij non est, quia furtum magis est. sed quia plerunq; abigei et ferro utuntur: si deprehendantur, ideò grauiter puniri eorũ admissum solet. Quomodò aũt bi iurisconsulti inter se conueniant, aut nõ conueniãt, nihil ad hoc tempus. Hoc tãtùm dixerim, non modò fures, siue furtim aliqui solent abigere armẽta uel greges, sed etiam latrunculi, qui facta prædonum manu in alienum agrum incursionem exercẽtes, pecora etiã interdum abigunt, & abigei nominari possunt. Præstare (quo uerbo sæpè & iurisconsulti & oratores utuntur) est prohibere ne alicui fiat aliquid incommodi, etsi non prohibuerint satisfacere, ut, Venditor debet præstare uiciũ rei quam uendit, id est, prohibere atq; efficere ne emptor damni quid faciat, alioqui satisfacere. neq; illud in alterum modò, uerumetiam in nosipsos. Cicero in Tusculanis: Cùm id, quod ab homine non potuerit præstari, euenerit, id est, caueri & prohiberi.

Abactores. Abigei. Præstare.

In eundem de Innocuus & Innoxius.

Cap.

Cap. XVII.

INnocuus, inquit Seruius, est cui non nocetur: Innoxius, qui non nouit nocere. Vellem exempla recitasset, quibus ostenderet eam expositionem Innocui uera esse. Nanq; illud Vergilianum, quod eum impulit in hanc opinionem:

Donec rostra tenent, sic consedêre carinæ
Omnes innocuæ: –

non est accipiendum quòd subsederunt tales, ut eis nihil noceretur, sed uel more poëtico, quòd nihil peccauerunt, quasi innocẽtes homines. Nocentes enim sunt, quicunq; ab honesto recedunt, etiam si nemini noceant, uel quòd non nocuerunt, neq; sibijpsis, neque uectoribus aut nautis.

In eundem de Instar. Cap. XVIII.

Aeneid. 2 INstar montis equum diuina Palladis arte. Instar, id est, ad similitudinem Seruius ait. Quid similitudinis equo ad montem? quòd si etiam similis esset, non tamen eum magnum potiùs q̃ paruum esse, quod Vergilius senserit, intelligeremus. Archimedes ille Geometricus, globum ad similitudinem cœli fabricatus est, in quo effigies cœli aderat, magnitudo nõ aderat. Idem fit de tabula illa depicta ad similitudinẽ orbis terrarum: quam non ausim dicere depictam instar orbis terrarum, neq; alia multa huiusmodi, ue, instar Antonij ambulas, instar patris scribis, instar lãgui di sedes: sed ad similitudinem, uel in similitudinem, uel in modum, uel in morem, uel tãquam, & similia. Instar potiùs significat ad æquiparationẽ, uel ad mẽsuram. ut apud Vergilium:

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar.

Cicero: Hexametrorum instar uersuum. Nam illud apud

apud eosdem: Instar mortis ducunt, & Fulminis instar, significat æquiparationem doloris in morte, & impetus ex fulmine. Quòd si quãdo reperiatur proximè accedere ad significationem similitudinis, admonitos simus ut nimiam utendi licentiam deuitemus. Nam ego sic auderẽ uix uti, ut Seruij familiarissimus Macrobius cũ sæpè aliâs, tum statim in proœmio Saturnalium, ita inquiens: Vt quæ indistinctè atq; promiscuè ad subsidium memoriæ annotaueramus, in ordinem instar membrorum cohærentia conuenirent.

Quòd si quando.) Instar nomen, pro similitudine, figura, seu effigie accipitur apud Vergilium in eo opusculo, cui titulus est Vir bonus: ubi ait,

Iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem,
Quid proceres, uaniq; leuis quid opinio uulgi
Securus, mundi instar habens, teres atq; rotundus.

Tranquillus in Cæsare dictatore: nec patientem sessoris alterius, primus ascendit. Cuius etiã instar pro æde Veneris genitricis posteà dedicauit.

In eundem de Passim, Vbiq;, Vsquam. Cap. XIX.

PAssim, inquit, significat Vbiq;. Mihi autem aliud uidetur Vbiq;, quàm Passim. Nanq; in prato ubiq; est herba, non passim: contrà, grex passim pascit potiùs, quàm ubiq;. Quippe aliquid interualli est inter pecudem: non ita inter herbam & herbam. Est autem passim, quasi passu distante, uel sparsim: quemadmodum dicimus Passis manibus, & Passis crinibus. Quod accipi solet etiam pro Crebrò, dum de rebus mentis loquimur. Lactantius tamen pro Vbiq; accipit, cùm inquit: Creditur ei passim tanquam cognitæ ueritati. Neq; solùm pro Vbiq;, sed etiam (quod usitatius est) pro undiq;: Cumq; is numerus, condendæ urbi parùm idoneus esse uideretur, cõstituit Asylum. eò

passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique sine ullo conditionis discrimine. Vsquam, duo hæc potiùs significat, in loco simul, & ad locum. ut Terentius in Eunucho: Occidi, neque uirgo est usquam. Cicero in Philippicis: Nec uerò usquam discedebam. Phil. 2.

De aduerbijs in im exeuntibus. Cap. XX.

ADdamus de quibusdam aduerbijs in im uocem exeuntibus. Priuatim nihil differt à Priuate, si Priuatè dicere liceret: nihil Separatim à Separatè, si hoc reperiatur: nihil Properatim à Properanter, nihil Dissimulatim à Dissimulanter. Vbertim idem est, quod copiosè. Affatim, quod abundè. Raptim, quod festinanter. Cursim, quod currẽdo. Tamen aliud est Generatim, quàm Generaliter. Hoc enim significat oĩa simul quæ sub genere sunt amplectẽdo: illud uerò per singula genera, seu magis p singulas species. Siquidẽ species genera uocamus. ut, Quot sunt genera uerborũ, uitiũ, potiùs q̃ Quot sunt species? Verg. Generatim. Generaliter.

- Generatim discite cultus.

Varro: Non in uolucribus generatim seruatur analogia. Non ex aquilis aquilæ, neq; ex turdis procreantur turdi: sic ex reliquis sui cuiusq; generis. An alter hoc fit, quàm in aëre, quàm in aquâ? Non hîc conchæ inter se generatim innumerabili numero similes, Eodem modo, ut Generatim per singula genera dicimus, ita Summatim per singulas summas: aliquando dicimus Summatim & Generatim, non per singulas summas, generaq;, sed per unam, unum ue, ut, Dicam de hac re summatim. Cicer. de Orat. lib. 2. Infinitum mihi uidetur id dicere, in quo aliquid generatim quæritur, hoc modo, Expetenda' ne esset eloquentia? expetendi ne

endi ne honores? Cæterùm quomodò differat ab illis, Ad summam, In summa, posteà reddam. Viritim, per singula capita uirorum, ut, Gracchus diuidebat uiritim sex modios frumenti. Tamen de uno aliquando dicimus, ut apud Curtium: Si quis uiritim dimicare uellet, prouocauit. Nominatim, per nomina singulorum, ut, Assignati sunt coniurati nominatim custodi carceris. Et de uno etiam, ut, Tenens cruentum pugionem Brutus, nominatim Ciceronem inclamauit. Membratim, per membra. Cæsim per incisiones gladij. Punctim, per pũctiones, infixiones gladij, siue incidendo & pungendo. Strictim, stringendo singula, uel certum aliquid. Carptim, hinc & hinc decerpẽdo, non ipsam seriem sequendo. Tractim, trahendo, non interrumpendo seriem. Cateruatim, gregatim, turmatim, manipulatim, per diuersas cateruas, diuersos greges, diuersas turmas, diuersos manipulos. Domestica uicatim, regionatim, oppidatim, municipatim, prouinciatim, per uarias domos, uarios uicos, uarias urbis Romæ regiones, uariaq; oppida, uaria municipia, uarias prouincias. Venio nũc ad id, quod promiseram. In summa, & ad Summam, magis modo utendi differunt à Summatim, quàm significato. Quintilia. in corpore proiecto: In summa non recedo. Fas est mihi etiam inuitis parentibus piè facere. Cicero de Offic. Ad summam (ne agam de singulis) communem totius generis humani societatem, congregationem & conciliationẽ colere, tueri, conseruare debemus. Differt autem Ad summã, & Ad summum, q. Secundum ad numerum refertur, ut idem Cicer. pro Milone: Vnus, aut ad summum duo inuenti sunt qui Milonis caussam nõ probarẽt, id est, nõ plures quàm unus, aut duo Viritim. Nominatim. Membratim.

Famil. li. 5 duo ex omnibus. Idem ad L. Meßinum. Nolim enim existimare te, mihi non solitudinem iucundiorem, quæ tamen ipsa uti non licet, quàm sermonis eorum, qui frequentant domum meam, excepto uno, aut ad summum altero: hoc est, excepto uno, aut (ut multum) duobus.

Semel. Quintilianus in sensu priore solet uti tali genere dicendi per aduerbium Semel: Demq; , ut semel finiam, sic ferè componendum, quomodò pronunciandum erit. Et alibi: Et ut semel omnia complectar. Et iterum: Et ut semel quod est potißimum dicam, secretũ in dictãdo perit: id est, ut in summa dicam. Cuius rei causa ipsum illud Semel, quod significat una uice pro omnibus, ita ut Posteà non oporteat quid addi. Ideoq; solet accipi pro Immutabiliter et irreuocabiliter. Quod enim semel tantùm fit, id non habet regressum, ut iterum fiat. Idem in Mathematico: Quid hæc fulgentium syderum ueneranda facies, quòd quædã uelut infixa ac cohærentia, perpetua semelq; capta sede collucent, alia toto sparsa cœlo uagos cursus certis emetiuntur erroribus? Vergil.

- Qui ne quid tale uideret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit. Ouidius:
- Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel. Lucan.
- Dixitq; semel nascentibus author,
Quidquid scire licet.

Semel, inquit, ut nullum posteà uerbum addat. In eundem sensum idem Quintili. accepit Breuiter: ut in geminis

Breuiter. languentibus, Breuiter tamen longè crudelitatis explicanda sæuitia est, ex omnibus quæ pertulit leuißimum fuit quòd occisus est. Plinius maior: Areliqua uerò

uerò Gallia latére septentrionali montibus Gebena & iugeribus agrorum, cultu uirorum, morum dignatione, amplitudine opum, nulla ei prouinciarum præferendâ, breuiterq; Italia ueriùs, quàm prouincia. Et iterum de Luscinia, quæ uulgò dicitur philomela: Plin. li. 10 cap. 19. Nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc uarie atur inflexo, nunc distinguitur concisо, copulatur intorto, premitur, reuocatur, infuscatur ex inopinato, interdum & secum ipsa murmurat: plenus, grauis, acutus, creber, extentus (ubi uisum est) uibrans, summus, medius, imus, breuiterq; omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit.

In eundem de Tandem, Demum, & Demq;.

Cap. XXI.

TAndem idem ait poni non necessitatis, sed ornatus caussa, ut in illo Vergil.

Sed uos qui tandem, quibus aut ueniστis ab oris? Aeneid. 1
Nec cuius ornatus, aut quarè sit ornatus, explicat. Idem sentit Priscianus, dicens: Tandem non solũ pro aduerbio temporali, sed etiam pro coniunctione expletiua inuenitur, ut Cicero inuectiuarum lib. 1, Quousq; tandem abutêre Catilina patiẽtia nostra? Mihi quidem nullum ornamentum uidetur esse in superuacuis & nihil agentibus uerbis. Quanquàm apud Græcos dictiones nonnullæ sunt, quæ aut numerum, aut sonum implent: quod in hac dictione nõ est, quæ habet potiùs urgens quiddam & accelerans, eoq; ferè per interrogationem: quæ exempla uulgò sunt plurima, ut Cicero in Catilinam, cuius oratio sic incipit: Quousq; tandem abutêre Catilina patiẽtia nostra? Quo exemplo usus est Priscianus. Quidam tamen inter primos bu-

ius ætatis docti, solẽt citra interrogationem hoc aduerbio uti non tam authoritatem sequentes eiusdem

Aeneid. 1. Vergilij, & in eodem loco:

Et quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris,
Iactemur, doceas: -

Lib. 1. Epist. 18. & Horatij, qui ait:

Quamuis sæua satis per te tibi consulis, & scis
Quo tandem pacto deceat maioribus uti:
Disce docendus adhuc: -

quàm Ciceronis in Catone maiore dicentis: Qua tandem sfe sibi tam audacter obsisteret, respondit, Senectute. Et pro Roscio: Cùm ab eo quæreretur, quid tandem accusaturus esset in eo. nonnullisq; alijs in locis. Sed tamẽ utrunq; interrogationem habet, & eam directam latenter ad secundam personam. Nam hic qui loquitur, uerba alterius refert. Siquidẽ Pisistratus à Solone sic quæsiuit: Qua tandem sfe mihi tam audacter obsistis? Et Fimbria ab illo (quisquis fuit) sic petiuit: Quid tãdem in eo accusaturus es? Nec uerò legem istius dictionis scribo, sed usum frequentissimum trado. Sine interrogatione autẽ quid significet, nemo ignorat, ut Vergil.

Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.

Eiusdem significationis sunt Demum, & Denique, ut notum est: ut idem Verg.

Aeneid. 6. Tunc demũ optata gemina super arbore sidunt.

Denique Cic. Cùm excessisset è uita, tum denique uiueret. Sed plerunq; cùm sint multa enumerata, tum subiungimus Denique, significantes hoc ultimum esse omnium, ut idem Vergil.

O crudelis Alexi nihil mea carmina curas,
Nil nostri miserere, mori me denique cogis. Et

Et Cice. Cùm sibi non multitudinem militum, non ideoneos imperatores, non pecuniam sibi præstò esse uiderent, non denique ullã rem, quæ pertineat ad bellũ ad ministrandum. Demum solet accipi pro Solùm, siue pro omnino, præcipueq; iunctũ cum Is, & cum Ita. Cic. in Sallust. Ea demum magna uoluptas est Crispe Salusti, æqualẽ ac parem uerbis uitã agere. M. Fabius: Illud ingeniorum uelut præcox genus, non temerè unquam peruenit ad frugem. Hi sunt qui parua facilè faciunt, & audacia prouecti: quidquid illi possint, statim ostẽdunt. Possunt autem id demum, quod in proximo est uerba continuãt, hæc uultu interrito nulla tardati uerecundia proferunt. Et iterum: Tum illa quoque ex caussa, quòd mentem tantæ rei intentam uacare omnibus alijs, etiam culpa carentibus, curis oportet. Ita enim demum libera, ac tota nulla distringẽte, atq; aliò ducẽte caussa, spectabit id solum ad quod accingitur. Et alibi: Iacebat hæc insomnis, inquieta, cùm diceret, iam statim apparebit, iam statim uenier, nunquã tamen tardiùs uenit. Miseram me, fili proxima nocte iam ueneras. Ecce iã medios sydera tenent cursus, indignor, irascor. Ita mihi demũ satisfacies, si apud patrẽ fuisti. Ideo autẽ dixit Solùm, siue Omnino, quod Plinius uidetur accipere pro Omnino, de hirundine dicens: Ea demũ sola auiũ non nisi uolatu depascitur. Quidam uolunt ab Is & Demum componi Idem. Ouidius pro Demum posuit Denique lib. 3 sine titulo:

Demum. Li. 1. ca. 4

Decla. 10.

Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est.

In Macrobium de Stella & Sydus.

Cap. XXII.

Stella et Sydus differũt, si Macrobio credimus

ita scribenti: Nunc uideamus quæ sint duo hæc nomina, quorũ pariter meminit, cùm dicit: Quæ sydera & stellas uocatis. Neq; enim hîc res una gemina appellatione monstratur, ut ensis, gladius: sed sunt stellæ quidem singulares & erraticæ quinq;, & cæteræ quæ non admixtæ alijs, solæ feruntur: Sydera uerò, quæ in aliquod signum stellarum plurium compositæ feruntur, ut aries, taurus, Andromeda, Perseus uel corona, & quæcũq; uariarum genera formarum in cœlum recepta creduntur. Sic & apud Græcos aster & astron diuersa significãt. Et aster stella una, astron signum stellis coactum, nos sydus uocamus. Hæc differentia (Macrobij pace) nusq; reperitur, ut apud eum dẽ Ciceronem de uniuersitate. Itaq; nesciũt hos sydera rum errores. Et iterum: Toto igitur orbe constituto syderibus, parem numerum distribuit animorum, & singulos adiunxit ad singula. Et lib. 2 de natura deorum: Nam quum duo sint genera syderum, quorum alterum spacijs immutabilibus ab ortu ad occasum commeans, nullum unquàm cursus sui uestigium inflectit. Alterum autẽ continuans conuersiones duas eisdem spatijs cursibusq; conficiat. Quintil. in Mathematico: Quid hæc fulgentium syderum uenerãda facies, quòd quædam uelut infixa ac cohærentia, perpetua semelq; capta sede collucent, alia toto sparsa cœlo uagos cursus certis emetiũtur erroribus. Quod non sensisse Ciceronem (ut Macrobius uult) documento est, quòd non præposuit stellas. Debet enim species generi, pars toti præponi: ut, Dicam de prudentia, & de uirtute huius: dicam de facie Helenæ, & eiusdem pulchritudine, nõ autẽ eduersò. Fateor tamen, nunquam stellam arietem dici, taurũ, Andromedam, Perseum, sed

sed sydus. Et hinc est quod dicimus Hybernum sydus: & illud Quintiliani, Nos graue huius anni sydus afflauit.

In Aulum Gellium de Rescisco. Cap. XXIII.

Rescire Aulus Gellius uult esse rem occultã, inopinatã, insperatamq; cognoscere. Miror de hoc solertissimo uerborum inuestigatore atq; cẽsore, qui uocabulum hoc de facili difficile, de claro obscurum, de trito nouum, de exposito abstrusum fecerit, ne dicam falsò exposuerit. Nunquid si uideam hominem cœlo uolantẽ, ut fecisse Dædalus, Perseusq; fertur: aut aliquem è terra prodire, qualis Theages fuisse, ab Hetruscis creditum est: aut Satyrum aliquem semiuirum, semicaprumq;, quẽ se uidisse nonnulli scripsẽre, aut arcana quædã naturæ peruestigauero, dicam rescisse? non opinor. Est igitur propriè Rescire rescisci, rem, postquàm gesta est, scire, quam nesciebas cùm gereretur, præsertim ad te tuos ue pertinentem, ut Terent. in Adelph. Hem tibi, rescisti omnem rem, id nunc clamat scilicet. Li. 2. ca. 19

In eundem de Deprecor. Cap. XXIIII.

Deprecor supplicium, idem Aulus Gell. ait dictum esse, quasi Detestor, uel execror, uel depello, uel abominor. Ego autem ita dici puto Deprecor, ut & Imprecor. Precor tibi bonum, precor tibi malum: sic Deprecor liberationem, & deprecor pœnam: illã ut patiar, hãc ut uitem. Ouid lib. 1 de Pont.

Sæpè precor mortẽ, mortẽ quoq; deprecor idem,
Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.

Deprecor dixit, quasi precor mortem non dari mihi Li. 6. ca. 16

in hac terra. Nec mirum id fieri in Deprecor, quum
Defendo. *fiat in magis usitatis, ut in Defendo. Siquidem dici-*
mus Defende me, quod ferè dicitur, & nonnunquam
Defendo ictus, ut Cic. de Senect. Vestitaq; pampinis,
nec modico tempore caret, & nimios solis defendit ar-
dores: quum præsertim mos Romanis sit etiam mala
precandi, ne ueniant. Vndè templa timori, pallori, fe-
bri, alijsq; similibus fuêre dedicata, & ijs (ut ita dicã)
numinibus fiebãt sacra, quod etiã Vergilius probat:

Nigram hyemi pecudẽ, Zephyris felicibus albã.
Neq; solùm deprecari est uoce, sed etiam per ea, quæ
instar uocis obtinere solent uultum gestumq;. Etenim
Bucephalum, qui præter unum Alexandrum omnem
alium recusabat sessorem, non ineptè dixeris deprecari alios sessores præter regem. Deniq; Deprecor magis significat uel dicto, uel facto recuso, quàm illa quæ Aul. Gellius attigit.

ALEX. AB ALEXAND. Vel dicto uel facto recuso.) In alio sensu uerbum Deprecor accipi ab authoribus uidemus. Liuius libro sexto ab urbe cond Non præripiam gratiam publici officij deprecandi. Cicero in Ver. act prima: Si liberè quæ sentio de republica, dixero, primùm deprecor ne irascatur. Sueton. in Cæs. Senatum literis deprecatus est. Ibidem:

FRANCFOR. Siue cum Gellio, siue cum Valla sentiamus, deprecari duo significat: unum, quod est ualdè precor, quale est illud M. Tullij in 2. de Finib. Primùm inquam deprecor ne me tanquàm philosophum putetis scholam uobis aliquam explicaturum. Alterum uerò, quod est detestari, uel recusare, quale est hoc eiusdem M. Tullij pro C. Rabirio. Non supplicium deprecarer, sed præmium postularem.

In Priscianum de Situs. Cap. XXV.

Situs

SItus (Priscianus inquit) dicitur pro negligentia, ut Vergil. Aeneid. 7.

Sed te uicta situ, uerique effœta senectus.

Sed non ita est, potiusq; sordes illa, & illuuies, quæ lis nascitur inter opaca domus, quæ diu non repurgatur: undè inquit M. Fabius, Excitanda mens & attollenda semper est, quæ in huiusce modi secretis aut languescit, & quendam uelut in opaco situm ducit, aut contra tumescit inani persuasione. Huiusmodi igitur quidam situs sedet in uultu, capite, totoq; & corpore uetularum, & habitu, præsertim inopum, qualẽ illam Vergilius intelligit, et Lucanus de malefica anu ait: Lib. 10

Fœda situ macies. Quod etiam pædorem possumus appellare, ut idem Lucanus: Longusq; in carcere pædor. Et Cicero in Tuscul. Pædores muliebres. Et iterum: Barba pædore horrida. Miror Priscianum hoc in loco à diffinitione Seruij desciuisse, qui hoc uocabulum propriè diffinit, inquiens: Situs propriè est lanugo quædam ex humore procreata. Fit autem in locis carẽtibus sole. Situs uerò pro loci qualitate manifestum est, ut, De situ Massanæ, & de situ Syracusarum, & similium. Pædor.

In eundem de Docilis, & Docibilis. Cap. XXVI.

DOcilis, idem inquit, est qui facilè docetur: Docibilis est, qui facilè discitur: quomodò Penetralis, qui in intimis est partibus: Penetrabilis, qui facilè penetratur. Non occurrit ubi'nam legerim Docibilis. Est enim consuetum magis Perceptibilis, nisi magis apud Ecclesiasticos, atque in alium sensum: Et erũt docibiles Dei, dictũ est quasi dociles. Nam Cypria. super illud Pau. Episcopũ non litigiosum, non contẽ- Penetralis. Penetrabilis. Sanè Græcè διδακτὸν legitur quo uocabuo is magis significatur, qui

aptus appositusq; sit ad docendũ, q̃ q ad discẽdi patientiã lenis sit & mitis. Cuius rei meminit & Hieronymus in cõment. in epist. ad Timot.

contentiosum, sed mitem & docibilem esse debere, ait, Docibilis autem ille est, qui est ad discendam patientiam lenis & mitis. Hoc (ut ego sentio) idem est quod docilis. Ratio tamẽ postulat, ut id significet quod ait Priscianus, eô quidem magis, quòd habemus in eodem sensu Docilis, ut superuacaneum fuerit duas uoces adeò confines uni significationi dare: nisi dicimus simile hoc esse illis Aequale, & Aequabile, de quibus dixi alio uolumine. Insuper Sensibile, & Sensile. Lucretius:

Ex insensibili ne credas sensile nasci.

Hæc duo pro eodem accepit. Exitiale, & exitiabile. Vergilius in sexto:

Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ,
His mersere malis.

Ouidius sexto Metamorph.

Dumq; manu tentat trahere exitiabile ferrum.

Rationale, & Rationabile. Quintil. in 2, Sed quia carent sermone quæ id faciunt, muta atq; irrationabilia uocantur. Porrò Penetralis (quantum mea fert opinio) non reperitur, sed Penetrale, substantiuumq; est, non adiectiuum. Penetrabilis adiectiuum, qui facilè penetrat, ut apud Vergiliũ, penetrabile telum, & penetrabile frigus: tum qui facilè penetratur, ut apud Liuium lib. 46. Et in asperis locis silex sæpè impenetrabilis ferro occurrebat. Seruius, Quod penetrat, inquit, penetrale dicitur: quod autẽ penetratur, penetrabile. In quorum priore dissentio, quum non sit neq; adiectiuum (ut ipse uult, exponens Penetrabile frigus, pro penetrale frigus) neq; significationis actiuæ. Denicq; (ut ad Docilis reuertar) Docillimus mea sententia faciet potiùs, quàm Docilissimus, qualia sunt Facilis,

cilis, Gracilis, Agilis, Similis, Humilis.

In eundem de Numen & Nutus. Cap. XXVII.

NVmen (idem inquit) est Dei nutus. Ante hunc Varro dixerat: Numen dictũ esse imperium, dictum à nutu. Vter horum commodiùs diffiniuit? Certè numen est imperium potestasq; Dei: non autem nutus neq; imperium cuiuslibet. Sed Varronem de imperio Dei suspicor intellexisse.

In eundem de Necatus & Nectus. Cap. XXVIII.

NEcatus, idem inquit, propriè ferro: Nectus uerò alia ui perẽptus dicitur. Sed ego sentio, generalem significationem Necatus, specialem uerò Nectus esse. Cicero in Rhetoricis & libris ad Herennium, & alibi sæpè ait: Veneno necatus. Quintilia. in 4, Hinc adulter loris cæsus est, fame necatus. Nec unquàm Nectus dicitur sine certo genere mortis, ut, Enectus siti Tantalus: nec tam mortuus, quàm propemodùm mortuus: sicut exanimatus pro eo, qui similis est mortuo, ut, Fame, siti enecti: quæ plurima sunt exempla.

De Næ & Ne. Cap. XXIX.

NAe pro Valdè idem dixit, nec tamẽ solus. Terent. in And. Næ illa illũ haud nouit. Mihi uidetur idẽ apud nos significare, quod apud Græcos, scribiq; cum diphthongo debere ναὶ, quod est certè, ut apud eundẽ: Faciũt næ intelligẽdo, ut nihil intelligãt. Quasi dicat, Faciunt profectò. Hæc apud Ciceronem dictio frequens est, ut de oratore lib. 3, Næ ille aut sanè quemadmodùm uerba struat & illuminet, à magistris

magistris istis requiret. Apud Quintilianum, cæteros q illius æui rarissima. Ne componitur cum Queo, cum Scio, cum Volo. Frequentiùs tamen sine compositione, apposita negatione, reperimus illud primũ, quàm duo sententia: adeò ut barbarum putet Cicero dicere, Non scio, & Non uolo, licèt nonnunquã apud ipsum quoq; reperiatur. Ideo frequentissimè legimus Haud scio, Haud uelim. Idem Priscianus ait, à Potiùs fieri Potissimè, quod ego nunquã legi, sed Potissimùm.

Potissimè

In Donatum de Valeo. Cap. XXX.

Terent. in And.

VAleant, qui inter nos dissidium uolunt. Donatus, Seruius, & quidam alij sic exponunt: Pereant qui hoc nobis uolunt. Quæ uox & oratio aliena fuerit ab ingenio Pamphili pij & probi. Cicero: Si Deus talis est, ut nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, ualeat. Quid enim propitius est numine? Nunquid eò irreligionis, atq; eò impudentiæ Cicero uenerat, ut Deo exitium precaretur? Absit. Lactantij quoq; testimonio, qui de his ipsis Ciceronis uerbis ait: Quid enim contemptius potuit dici in Deum? Valeat, inquit, id est abeat & recedat, quando prodesse nulli potest. Vides ut Lactantius cum uult Ciceronem contumeliosum fuisse in Deum, non tamen exposuerit Valeat pro Pereat, sed abeat & recedat. Quanquam (ut mihi uidetur) non significatur per Valeat, q abeat ille à nobis, sed quòd nos ab illo uale dicentes. Enimuerò Vale salutatio est recedentis, ut Salue & Aue uenientis. Cùm ergo est uerbum salutantis, potest accipi pro mala precatione atq; salutatione. Est autem Salutare & aduenientis & abeuntis. Verg. 9,

Hanc ego nũc ignarã huius, quodcũq; pericli est,
Inq; salutatam linquo. -

Ideoq; nonnunquàm reperimus Salue etiã in discessu, ut in calce epistolarum Ciceronis ad Tyronem: Vale mi Tyro uale, uale & Salue, Et iterum. Etiam atque etiam noster Tyro uale. Medico Curio Lisoni descripsi diligentissimè, Salue, uale. Vergil. in 11,

Salue æternum mihi maxime Palla,
- Æternumq; uale.

Nec mirùm si in fine loquendi reperiamus Salue, quum etiam ille, qui aditur & salutatur, dicat Salue, quẽadmodùm qui abit, & qui alterũ à se dimittit, dicit Vale. Quod etiã Græci faciunt, ut Homer. in 1 Iliad.

χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν

Id est, saluete præcones Iouis nuncij atq; hominum.

Neq; est apud Latinos aliud uerbum, quo adeũti nos respondeamus, quàm Salue: nisi more tam uulgari magis, q̃ probato, dicamus Beneueneritis. Idem uerbum apud eundem, pro Vale, 23 Iliad.

χαῖρε μοι ὦ πάτροκλε καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισιν.

Vale mihi ô Patrocle & in Plutonis domibus.

Cicero ad Atticum indicatiuo huius uerbi usus est, dicẽs: Et saluebis à meo Cicerone. Plaut. in Trucu lẽto in prima positiõe utitur: Salue. Satis est mihi tuæ salutis, nihil moror, nõ salueo. Marti. etiã dixit uale:

Cùm pinguis mihi turtur erit, lactuca, ualebis. (bis:
Et Cocleas tibi habe, perdere nolo famem.

Notat Laurentius in hoc Ciceronis exemplo author Cornuco.

Cæterùm (ut ad institutum redeam) qui Valeant pro execratione acceperunt, forsitan hoc argumento inducti sunt, quòd nonnunq̃ hoc uerbum languorem significat, ut idem de Oratore: Sicut medico diligenti, priusquàm conetur ægro adhibere medicinam, non solùm morbi eius, cui mederi uolet, sed etiam consuetudo ualentis, & natura corporis cognoscenda est. Vnde ualetudo pro languore frequẽtissimè accipitur, & testes ualetudinarij nominantur. Idem ad Terentiã & ad Tyro

Valetudo.

Tyronem: Valetudinem tuã cura diligenter, hoc est, languorem & infirmitatem. Alibi pro sanitate: Sed nũc ualetudini tribuamus aliquid. Frequenter tamen apponimus adiectiuum uel faustum, uel infaustum, ad distinguendum statum corporis. Siquidem indifferenter significat more sui primitiui. Dicimus enim, ut Vales? Quomodò ualuisti? Qualiter ualet filius? Sic: Qua ualetudine es? qua ualetudine est filius? Respondebis, Infirma, aduersa, mala ualetudine: uel contrà, Bona, incolumi, optima.

In eundem de Syncerum. Cap. XXXI.

SYncerum (Donatus inquit) quasi sine cæra, mel simplex & purum, & sine succo: imò cum cæra potius. Syncerum à σὺν componitur, non à Sine, quæ nunquàm compositionem admittit, quod ipsa etiã scriptio declarat, quæ y habet, nõ i. Est enim ex duobus Græcis compositũ, ex σὺν & cæra, quæ ab illis dicitur κήρ & uel à σύγκηρος conuertimus. quô magis uenusta atque apta huius authoris etymologia est, indicatur etymologiam plerunq; fallacem, quia significatio hæc nõ ita absoluta & uera est. Quid uenustius atq; aptius dici potest, quàm fidem ideo uocatam, quia fiat quod dicitur? Quam etymologiam fallacem esse declarat, quòd hoc nomen chordam instrumenti musici significat, & tamen licet dicere syncerum, quasi cum cæra mel, quod integrum est & solidũ, & nulla sui parte fraudatum: ut si diuidere fructum communium alueorum cũ socio uelim, partemq; mellis assignem, nimirùm non ago sincerè, quòd sine cæra mel dedi.

In Varronem de Vas & Obses.
Cap. XXXII.

VAS (inquit Varro) appellatus est, qui pro altero uadimoniũ promittebat: Consuetudo erat, cùm reus parùm esset idoneus inceptis rebus, ut pro se alterũ daret. Videtur Varro significare, uadem eum esse, quem fideiussorem uocamus, & uadimonium fideiussorem. Nos hoc negare ita esse quî possumus? quum Varro omnium consensu sit Romanorum eruditissimus, & linguæ Latinæ peritissimus, qui Latinas literas fecit & Latinatores & literatiores. quãquàm multi sunt, qui eum quibusdam in locis reprehendant, quæ facultas præcipuè discipulis Quintiliani adesset, longè Varrone doctioris atq; eloquentioris. Verùm ego non ausim reprehẽdere. sed tantũ affirmare, me non legisse (duntaxat quantum aut recordor aut intelligo) uadem eum esse, qui uadimonium pro altero dat (si uadimonium significat fideiussionem) sed eum, qui spondet sor est alterius in capitis periculo, siue idem supplicium subiturus, siue pecuniam soluturus: ut apud Quintilianum in declamatione, quæ inscribitur Amici uades. Et apud Ciceronem lib. 5 Tusculanarum quæstionum de Pythagoreis amicis, quorum alteri cùm tyrannus diem mortis dixisset, alter pro amico ad uisendum matrẽ ituro uas factus est. Et apud Titum Livium de Cæsone capitis reo, ita dicentem: In uincula conijci uetat. Sisti reum, pecuniamq; (nisi sistatur) populo promitti placere pronunciant, summam pecuniæ quantum æquum esset promitti, ueniebat in dubium. ad senatum reijcitur. Reus (dum consulerentur patres) retentus in publico, uades dare placuit, qui unum uadem trium millium æris obligarunt: quot darẽtur, permissum est tribunis: decem finierunt. Tot uadibus accusator uadatus est reum. Hic primus uades publicos Lib. 3 ab urb. cõd.

licos dedit. Quod Festus quoq; sentit, dicẽs: Vas sponsorem significat in re capitali. Vadimonium (quantum ego sentio) est sponsio ad certum diem sistendi se in iudicio, id est, comparendi per se, uel per aduocatos: ut in oratione Ciceronis pro Quintio datur intelligi, ubi longa est altercatio de uadimonijs, altera parte dicente fuisse sibi uadimonia deserta, altera uerò nequaquam à se illa fuisse facta. Et Quintilianus de legato frumentario, qui ad præstitutum diem uenerat, inquit: Nisi tamen ad uadimonium legate uenisses, non multorum dierum commeatum habebamus. Et hoc ipsum fortasse Varro sensit. Obses autem est, qui traditur imperio alterius, ea conditione, ut si dator obsidis à fide recedat, recipienti sit ius in corpus & uitam obsidis, Quod præcipuè inter potentes commercium est, qui non habent superiores, ad quos pro iustitia prouocent.

Vadimonium

Obses

In eundem de Decurio. Cap. XXXIII.

DEcuriones (inquit idem) primi singularum decuriarum dicti: quod probat Tempanius ille apud Titum Liuium, quod & ipse approbat Festus. Idemq; ait: Decuriones appellãtur qui denis equitibus præsunt, Est ergo dictus decurio à decẽ, & centurio à centũ. Nã (ut ait Pedianus) decuriæ sunt nobiliorũ, cẽturiæ inferiorũ. Quidã uolũt (quorũ est Fronto) decurionem præesse turmæ, quæ constat ex duobus & triginta equitibus, neque belli solùm, sed domi quoq; decurio dicitur, nomen quoddam præposituræ significãs. ut Suetonius in Domitiani uita: Saturius decurio cubiculariorum: & hoc quidem apud Romanos. In municipijs autem (ut mihi quidem uidetur) idem est decurio, qui Romæ senator. Nam qui in senatu

Centurio

senatu & consilijs reipublicæ municipalis interesse poterant, decuriones erant. Cicer. Pro Sextio: Qua de caussa & tum conuentus ille Capuæ, huic P. Sextio apud me maximas gratias egit, & hoc tempore beneficium fidemq; hominis testimonio declarant, periculum deprecãtur suo decreto. Recita quæso P. Sexti quid decreuerunt Capuæ decuriones? Quòd autem differãt decurio Romanus, & decurio municipalis, ex epistola quadam Plinij Iunioris è primo libro declaratur, dicentis: Esse autem tibi cẽtum millia numûm censum satis indicat, quòd apud nos decurio es. Igitur, ut te non decurione solùm uerumetiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equitis Romani facultates trecẽta millia numûm. Non dicitur itaq; decurio, aut quòd decẽ præsit militibus (ut quidam uolunt) quem Græci λοχαγὸν uocãt, quum decurio sit maior equite, eques centurione, centurio decarcho, ut ex stipendiorum magnitudine datur in multis libris intelligi, aut in municipijs, qui decẽ equitibus præest, quum sit equite duntaxat Romano minor. An quia decem præsit equitibus municipalibus, aut hoc erit dicendum, aut Pomponij iurisconsulti opinio sequenda, dicentis: Decuriones quidam dictos aiunt eô, quòd in initio cùm coloniæ deducerentur, decima pars eorum qui deducerentur consilij publici gratia conscribi solita sit. Quarè eum, quem nunc militem appellamus, aut falsa dignatione afficimus (nam & si omnes qui militant, milites sunt: miles tamen propriè qui pedibus militat, dicitur, eques qui equo) aut si uerè, decurionem potiùs appellamus. Quidam horum temporum doctí equitem uocant, sed rectiùs decurionem uocarent. Nam eques est aut qui Romæ ex ordine equestri

Miles. Eques.

est (quod non facit ad gloriam militarem) aut qui equo militat: cuius nulla dignatio est, quanquam Iurisperiti multa ineptissimè fabulãtur de dignatione militum, quæ quidem uel nulla, uel communis est omnium siue pedestrium, siue equestriũ, qui militiã exercent. Nam de auro gestãdo, uel huiusmodi nugis, nullum uerbum est in iure ciuili. Sed hæc omittamus, quæ non sunt huiusmodi scriptionis, dum illud admonuerimus, Romanum decurionem, qui præest decem Romanis equitibus, longè præstare cæteris decurionibus, quibus etiam ipse eques Romanus præstat.

In Festum Pompeium, de Exemplum & Exemplar. Cap. XXXIIII.

EXemplum (inquit Festus) est quod sequamur aut uitemus: Exemplar, ex quo simile faciamus. Illud animo æstimatur, istud oculis conspicitur. Mihi autem (licèt Festus scientissimè de exponendis uocabulis loquatur) aperienda tamen est magis horum nominum differentia. Nam ut exemplum est, ex quo simile facimus, ut, Opera Homeri exemplum sunt, poëmata scribere uolentibus. Quintilia. lib. 10. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur, sic musici uocem docẽtium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam, in exemplum intuentur. & exẽplar animo quoq; æstimatur. Cicero lib. quinto de Oratore: Illa oratio fuit mihi exemplar bene dicendi. Quintilianus in decimo: Cornelius autem Seuerus etiamsi uersificator quàm poëta melior, si tamen (ut est dictum) ad exemplar primi libri belli Siculum perscripsisset, uendicaret sibi secundum locum. Horatius in satyra inquit:

Cap. de imitatiõe

Plautus ad exẽplar Siculi properare Epicharmi.

Idem

Idem Cice. pro Murena: Domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum. Est illud quidem exemplum tibi propositum domi, sed tamen naturæ similitudine illud ad te magis, qui ab illo ortus es, quàm ad unumquenq; nostrum pertinere potuit. Ad imitandum uerò tam mihi propositum exemplar illud est, quàm tibi. Itaq; unum pro eodem penè Exemplum & Exemplar posuit, & quidem eodem in loco. Cæterùm exemplum est ipsa res, quam imitamur, aut (si ita fors tulerit) deuitamus in aliquo, ut in Catone: Cato autem ipse exemplar. Illud contentum, hoc continens. Quòd si dicamus, ad exemplar Catonis, aut ad exemplar Epicharmi, sic intelligimus, ad exemplar Catonis, quod est Cato, ad exemplar Epicharmi, quod est Epicharmus siue opus Epicharmi, ut opus hominis pro ipso homine. Animã corpusq; filij destruis, quasi aliud illa sint à filio. Exemplum pro exemplari. Est enim contentum pro continente, ut apud eundem: Fuit ille uir exemplum continentiæ: quomodò dicimus, Ille uir fuit norma uiuendi, quum tamen non sit norma uiuendi uir, sed in uiro: ita nec ille exemplum continentiæ, sed in illo. Ideoq; exemplaria multa sunt, unius tamen exempli, ut, Redditæ sunt mihi binæ literæ tuæ eodem exemplo, id est, eiusdem formæ. & duo uel tria exemplaria Aeneidos, hoc est multi codices eodẽ exemplo. & exemplar ab exemplari sumitur, non ab exemplo. Nam exemplum incorporale est, exẽplar plerunq; corporale. Hinc Sallust. Literas quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat, earum exẽplum infrà scriptum est, hoc est, earum forma infrà scripta est, meliùs quàm earum exemplar. Quòd forma sit exemplum, Paulus Iurisc̃onsultus testatur: Si legatum certum

tum petatur, non iubet Prætor uerba testamenti ẽde re, ideo fortasse, quia hæredes solent habere exẽplum testamenti, id est, formam. Cice. ad Appium: Ex his literis, quarum ad me exemplum misisti. Et ad Ciceronem tum Plancus: Exemplar eius chirographi Titio misi. Tum Asinius Pollio: Ex literis cognosces, nam earum tibi exẽplar misi. Hi de pagina scripta, quod corporale est, intelligunt, ille de sententia, quæ in pagina continetur, uel potius ex pagina percipitur. Quòd si indistinctè his duobus libet uti, non sanè repugnabo: quum præsertim Ouidius dicat exempla plura unius rei, id est, exempla pro exemplaribus. Nam unius rei, unum atq; idem exemplum est propriè, ut dixi, in diuersis licèt exemplaribus. Loquens enim de opere suo Metamorphoseos, lib. primo de Tristibus ait:

Pluribus exemplis scripta fuisse reor.

Exemplarium. Reperitur etiã Exẽplarium pro Exemplari. Plin. lib. 6, Iuba hæc omisit in hoc tractatu, nisi exemplarium uiciosum est. Non de eo autem exemplo dixi, quod adhibetur rei aut probandæ, aut ornandæ caussa, quæ significatio nota est omnibus. Vnde pars probationis uocatur ab exemplis, & in elocutione exemplum inter ornamenta numeratur.

In Boëthium de Persona. Cap. XXXIII.

PErsona est (inquit Boëthius) incommutabilis naturæ, individua substantia, existimans se argumentatione collegisse, quarè non sit qualitas, nec aliud prædicamentum ullum, sed substantia. Sed huic homini Romano ostendam Romanè loqui nescire. Persona nanque non est in Deo magis, quàm in Bruto, sicut humanitas, sicut alia plura. Sed demus ut in Deo

Deo etiam sit persona: quæro, quamobrem ea non sit qualitas, siue de homine loquimur, siue de Deo? Nam in homine quidem persona significat qualitatem, qua alius ab alio differimus, tum in animo, tum in corpore, tum in extrè positis, quæ à rhetoricis enumerãtur in attributis personæ. Animi, ut quo studio se exerceat. Præstare. medicinæ, an iuris ciuilis, an militiæ. Et qua mẽte, ira cũdus, an moderatus: auarus, an liberalis. Corporis, iuuenis, an senex: pulcher, an deformis: fortis, an imbecillis: mas, an fœmina. Extra positorũ, diues, an pauper: clarus an obscurus: maritus, an cælebs: parens liberorum, an orbus, & his similia. Ideoq; figuræ & sigilla quædam, quæ rostris, aut alia corporis parte aquam fontanam emittunt, quia repræsentant uarios hominum uultus & gestus, personæ dicuntur. Et histriones in scena personas accipiunt, aut cùm seruum agunt, aut ancillam, aut matronam, aut meretricem, aut senem, aut adolescentem, aut patrem, aut matrem, aut filium, aut regem, aut militem, aut lenonẽ, aut parasitum, & mille huiusmodi, quæ non sunt singula in singulis, sed plurima: ueluti in me est persona humani, liberalis, timidi, tracundi, hebetis, somniculosi, literati, senilis, mariti, soceri, generi, patris, filij, fratris, pulchri, fortis, diuitis, nobilis, & interdum contraria. Nam ad ditissimum, fortissimum, pulcherrimum non sum fortis, nec pulcher, nec diues: sed imbecillis, deformis, pauper. Alia itaque ad hunc persona sum, quàm ad eum cui in his omnibus antecello. Et ad Priamum sum persona filij, ad Astyanacta persona patris, ad Andromachã persona uiri, ad Paridem persona fratris, ad Sarpedonẽ persona amici, ad Achillẽ persona inimici. Quo fit, ut adsit mihi multiplex persona, ac di-

uersa, sed una tantùm substantia. In Deo autẽ perso-
nam ponimus, uel q̃ nullum aliud uocabulum quadrat,
Persona in Deo. non natura, qúo ueteres utebantur, nõ substantia, quo
Græci utũtur, uel quòd uerè in Deo triplex est qua-
litas. Atqui hîc mihi os comprimet Boëthius, neq; uo-
cem prodire permittet, dicẽs, qualitatem eam esse, quæ
posit etiã abesse præter subiecti corruptionẽ. Hanc
ego diffinitionem (ut Græculam & ineptam) derideo.
Dico lucem, ubrationem, calorem in sole, esse qualita-
tes, & hoc dico Latinè, omnibus qui unquam Latinè
locuti sunt consentientibus: quanquam de hac re suo lo-
co in nostro opere de dialectice disseruimus. Tales
qualitates statuo in Deo, & has dico esse personas,
quæ ab eo abesse non possunt, & qualitatem significa-
re, non substãtiam, ut Boëthius uoluit, qui nos barba-
rè loqui docuit. Hinc enim forsitan adductũ uulgus,
ut sic loquatur, tres personæ me expectãt, uideo duas
personas, hic est bona persona, qui sermo anteà fuit
inauditus, & hodiè nemo nisi imperitus omnino sic lo-
quitur. Quanquàm Boëthius ipse uiderit, quomodò
persona est substantia. Sunt autem in Deo tres per-
sonæ, non tres substãtias illi adesse intelligamus: præ
sertim quòd neq; ulla uox meram substantiam signifi
cat, neq; ulla res est mera substantia, ut eodem nostro
opere ostendimus.

In Iustinianum de Noxæ dẽdere.

Cap. XXXVI.

Noxæ dẽdere, Iustiniani pace, siue Tribonia-
ni & sociorum (nam Iustinianus nec iura, nec
Instit. de noxalib⁹ actionib⁹ forsitan Latinas literas nouit) est pœnæ dare, siue
tradere ob noxam, qua significatur culpa. Ille autem
ait, Noxa est ipsum corpus, quod punitur. Et in eo-
dem

dem loco: Corpus deditur noxæ. Si noxa corpus est,
quomodò corpus deditur noxæ? Nunquid corpus de-
ditur corpori, aut corpus sibi? Quanquàm quid hæc
oratio ad significandum pœnam faceret? Est autem
hæc pœna seruorum, quos domini malunt ad pœnam
tradere, quàm præstare maleficium, quod illi admise-
runt. Paulus * ita diffinit: Noxales actiones appel- * Caius ff. li. 9. ti. 4. cap. 1.
lantur, quæ non ex contractu, sed ex noxa atq; malefi
cio seruorum aduersus nos instituuntur: quarum acti
onum uis & potestas hæc est, ut si damnati fuerimus,
liceat nobis deditione ipsius corporis, quod deliqué-
rit, euitare litis æstimationem. Vlpianus quoq; addit:
Vt corpus tradatur uiuum igni. Quintil. in Gladia.
Alebat deuotum corpus grauior omni fame sagina,
& inter dedita noxæ mancipia contẽptissimus Tyro
gladiator, ut nouissimè proderem calamitatis meæ in
nocẽtiam, discebam quotidie scelus. Nam noxa etiam
damnum significat, ut apud Ouid. lib. 15. Metamor.

Nocte nocent potæ, sine noxa luce bibuntur.

Et Sueton. de Cæsa. uita: Spurinamq; irridens, &
ut falsum arguẽs, quòd sine ulla sua noxa Idus Mar
tiæ adessent. De brutis autem impropriè dicitur, ea
dedi noxæ: ut de capro apud eundẽ Ouid. lib. 1 Fast.

Verba fides sequitur, noxæ tibi deditus hostis
Spargitur effuso cornua Bacche mero.

Ser. super illud Vergil. Vnius ob noxam, & furias
Aiacis Oilei, ait Noxam pro Noxia, id est cul-
pa: quasi per se noxa non significet culpam, quam fami
liaris eius (ut opinor) Macrob. leuem culpam accipi
uult. Atq; ut sibi crederemus, noxam non culpam esse,
sed pœnam: ait, culpam Noxiam dici, quasi Noxiam
sæpiùs quàm Noxam in hac significatione reperia-

mus: quam dictionem, nusquàm reperimus. Quòd dixi Iustinianũ forsitan nec iura, nec literas Latinas scisse, nemo miretur, tum quia semper in Græcia uixit, tum quia se dominũ Iustinianum (ut ex numismate eius apparet) dici uoluit, ut quidam alij Cæsares fecerunt: quod à utro Romano est alieniſsimum: & character ipse literarum figurarumq; illorũ temporum numiſmatis, Gothicum magis, quàm Latinum redolet.

ALCIA. Ego apud ueteres Noxam à nocendo dictã inuenio: undè, præter pœnam, etiam nocumentum ſignificare. Ouid. Sine noxa luce bibũtur. Meritò ergo ſeruus, qui nocuit, Noxa dici poteſt: ſicut & ἄτην illa Homerica, Noxa appellatur. Noxia uerò ipſa eſt culpa, ſeu maleficium. Plautus in Bacch. Sat ſic ſuſpectus ſum, cùm careo noxia. M. Manilius:

Quin etiam infelix uirtus & noxia felix.

Vnde meritò Seruius Vergilium Noxam pro Noxia dixiſſe ſcripſit: Vnius ob noxam: quo exemplo & alij ueteres ſæpius utuntur, quod & alibi attingam.

FRAN. FLOR. Noxam corpus, quod nocuit, ſignificare, nuſquàm nisi apud Iuſtinianum legimus. Quamobrem & ſummoperè demiror, cur idem abſq; alio authore adſerat Alciatus: præſertim quòd cùm de uerborũ ſignificatione uel proprietate loquimur, minimè abſq; ueterum authoritate loqui æquum eſt. Noxa item quum inter alia pro culpa accipiatur: ut Terent. Noxam hanc unam mitte: Et Liui. decad. 1, lib. 3, Alia oĩs penes milites noxa erat: meritò Laurentius Seruium repræhẽdit. Si enim noxa, ut uidimus, culpam ſignificat: cur noxa pro noxia poni debuerit, nihil cauſæ uideo.

STEPH. DOLET. Quam dictionem.) Noxiam pro noxa, quando culpã ſignificat, reperiri negat Valla: ſed falsò. Nam utrumque pro culpa ponitur: &, quod ad hãc ſignificationem attinet, nihil differunt. Cic. Quòd ſi quis earum rerum migraſſit, noxiæ pœna par eſto. Terent. Hic in noxia eſt: Ille ad defendendam cauſam adeſt.

In eundem de Teſtamentum.

Cap. XXXVII.

Teſta

TEſtamentum, ide inquit, ex eo appellatur, quòd teſtatio mentis eſt. Quæ diffinitio quorundam Iuriſconſultorum fuit: quos ſi iuſtè A. Gellius coarguit, quantò ego iuſtiùs hunc arguere poſſum, qui explosam atq; deriſam etymologiam inculcat? Nam cur à Mente potiùs dicatur, quàm à Mento, uel Menta? quia nihil ad hanc ſignificationem mentum, menta'ue facit, inquies. Quid ergo mens ad ſalſamentum, ad ornamentum, ad condimentũm, ad armamentum, ad pauimentum, ad cæmentum, ad calciamentum, ad ueſtimentum, & huiuſmodi infinita? Nec minùs inepta uidetur mihi hæc etymologia, quàm illa apud Donatum, apud Seruium, apud Iſidorum: Oratio dicta eſt, quaſi oris ratio. Quid Aratio eſt? quid Deuoratio? quid Trituratio? quid Operatio? quid mille huiuſmodi: nũquid in his ratio eſt? an talia ſunt, qualia cætera à ſupinis proiecta, Satio, Potatio, Meßio, Lectio? Quid, non etiam à ſupino Ratio uenit, Reor ratum ratio, ſicut ab Oratum Oratio? Eô magis, quòd ſecunda ſyllabã bis accipi uult, quaſi dicatur Oriratio, & non Oratio. Non eſt ergo uera etymologia hæc. Neq; à Meute, neq; à Mento: neq; à Menta, ſed potiùs hæc nomina aſſumunt tum ſyllabam, cùm exirent antea in Men, ut Veſtimen, Calciamen, Munimen, Lenimen, Nutrimẽ, Spiramẽ, Medicamẽ, Velamen, quibus adiecta tum, fit Munimentum, Lenimentum, Nutrimentum, Spiramentum, Medicamentum, Veſtimentum, Velamentum, Calciamentum: ita Teſtamen, addita ſyllaba tum, fit teſtamentum. Quòd ſi à mente deſcenderet Teſtamentum, Teſtamentia diceremus: quẽadmodùm Demẽtia, & Amẽtia. Nihil habet magis ridiculum hæc, de qua loquimur, ſcientia, q̃ etymologiæ

Inſtinianus

Inſtit. de teſtamentis ordinãdis. Lib. 6. ca. 12.

Vide Gel. lib. ca. 18. logia, in qua ipse quoq; Varro & lusit, & lusus est.

ALCIA. Qui explosam atq; derisam etymologiam.) Non etymologiam Iustinianus adducit, sed allusionē, qualem Grāmatici Paranomasiam, Rhetores Parison habēt, solumq; in ea nominis cōformitas spectatur: quod & Fab. Quintil. non latuit, quum non ad originem uocis, sed ad soni similitudinem referatur, ut hoc casu eō melior fuit allusio, quod ueritatem etiā respicit. in Testamentum enim mens potissimùm dominatur.

In Iurisc̄ōsultos de Mulier. Ca. XXXVIII.

ff. lib. 50. tit. 16. ca. 13. MVlieris appellatione (Caius inquit) etiā uirgo uiripotens continetur. Vlpianus autem quodam loco ita ait: Quòd si ego me uirginem emere putarem, cùm esset mulier, emptio nō ualebit. Hic mulierem appellat, quæ uirgo non est: ille etiam quæ uirgo est. Et Vlpiani quidem locutio recta est, Ciceronis testimonio: qui obiurgantibus, quòd sexagenarius Pompiliam uirginem duxisset: Cras mulier erit, inquit. Sed Caij quoq; diffinitio locum habet aliquādo: ut si quis uidēs decē fœminas, quarū aliqua uirgo sit, ætate tamen, qua mulier esse posit, dicat, Vidi decem mulieres: Quum etiam in Euang. dicitur: Quid mihi & tibi est mulier? Sed ex Græco sumptum est γυνὴ, quod significatur uel fœmina, uel mulier. Idē quoque Vlpianus inquit: Mulierem ita arctā, ut mulier fieri non posit, sanam non uideri constat. Eandem dixit & mulierem, & nō mulierem: primum pro ea, quæ est fœmina, secundum pro corrupta.

ff. lib. 21. ti. 1. ca. 14

ALCIA. Negare uidetur, mulieris appellatione uirginē contineri, quod Caius affirmauerat: at ego idem aio, cū ad sexum hæc uxor refertur: quandoquidem nec etymologia repugnat: quum, Lactantio authore, à mollicie mulier dicatur.

In eosdem de Munus & Donum.

Cap. XXXIX.

Munus

MVnus (Paulus inquit) tribus modis dicitur: Vno, donum: et indè munera dici dari, mitti ue. Altero, onus: quod cùm remittitur, uacationem militiæ munerisq; præstat. Inde imminutatem appellari. Tertiò, officium: undè munera militaria, & quosdam milites munifices uocari. Igitur municipes dici, q; munera ciuilia capiant. Idem alibi: Municipes intelligendi sunt & ij, qui in eodem municipio nati sunt. Vlpianus: Municipes quidem propriè appellantur muneris participes, recepti in ciuitatē, ut munera nobiscum facerent. Sed nunc abusiuè municipes dicimus suæ cuiusq; ciuitatis ciues, utputa Campanos, Puteolanos. Pomponius ita ait: Munus publicū, est officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos uniuersosq; ciues, remq; eorum, imperio magistratus extra ordinem peruenit. Martianus autē sic: Munus propriè est, quod necessariò subimus, lēge, more, imperiō ue eius, qui iubendi habet potestatem. Dona autem propriè sunt, quæ nulla necessitate, iure, officio, sed sponte præstātur: quæ si non præstētur nulla reprehensio est: & si præstentur, plerūq; laus inest. Sed in summa in hoc uentum est, ut non quodcunque munus, idem donū accipiatur: at quod donum fuerit, id rectè munus dicatur. Quomodò hi Iurisc̄ōsulti inter se conueniant, & an aliquid desit alicui horum, Accursius cum Bartolo Baldoq; consultet, dumq; mihi (ut more ipsorum loquamur) ambo, tres'ue respondeant, affirmentq;, quod Marcus ait, donum esse speciem, munus uerò genus: idemq; contrarium esse uerbis Vlpiani, dicentis: Inter donum & munus hoc interest, quod inter genus et speciem. Namq; genus esse donū, Labeo ait uel à dando, uel à donando dictum: munus esse speciem.

ff. lib. 50. tit. 16. ca. 18.

Immunitas.

Municeps Eod. tit.

ff. li. 50. ti. 1. cap. 1.

Munus publicū.

Dona.

Li. 50. tit. 16. ca. 164

Nam

Nam munus esse donum cum caussa: utputa, natalitium, nuptiarium. Hîc meam nõ interpono sententiam, ne illos triumuiros doceã contra me respõdere. Quod si me utiq; sequi uoluerint, respõdeant neutrum uerum dicere. Nam neq; genus, neq; species in hæc duo nomina cadit. Et nullũ mihi uidetur donũ sine caussa esse.

ALCIA. Inter donum & munus.) Munus generaliter accẽptum, etiam officia & onera comprahendit, tum etiam quãcunque largitionem significat, siue cum caussa, siue absq; caussa: at, si specialiter pro largitione tantùm ponatur, tunc largitionem cum caussa. Nec mirum est, eandem uocem & specialiter & generaliter accipi, ut in iurisdictione adoptioneq; dicimus.

In eosdem de Peculium. Cap. XL.

ff. lib. 15. tit. 1. PEculium est (*Pomponius inquit*) non id, cuius seruus seorsum à domino rationem habuit, sed quod dominus ipse separauit in substantiã seruo, suum à serui ratione discernens. Peculium, Celso referẽte, Labeo sic diffinit: *Est, quod seruus domini permissu separatũ à rationibus dominicis habet, deducto indè, si quid domino debetur. Idem alio loco: Paterfamiliâs peculium habere nõ potest, quemadmodùm nec seruus bona. Ex his uerbis apparet, nec dominum habere peculium posse, & solum seruum habere. Idem Pomponius, & Celsus alibi aiunt: Vnde colligi possit, etiam non seruum ac dominum posse habere peculium. Pomponius enim ita scribit: Castrense peculium est, quod à parentibus, uel cognatis, in militia degenti donatum est: uel quod ipse filiusfamiliâs in militia acquisiuit, quod, nisi militaret, acquisiturus non fuisset. Nam quod erat sine militia acquisiturus, id peculium eius castrense non est. Celsus autem sic: Et audisse seruficos*

ff. lib. 49. ti. 17. ca. 11 Castrense peculium

senes ita dicentes, Pecuniam sine peculio fragilem esse: peculium appellantes, quod præsidij caussa reponeretur. A quo non dissentit Vlpianus, dicens: Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, siue patrimonium pusillũ. Quid ergo inter has diffinitiones sequemur multiplices, & inter se propemodùm contrarias? quum præsertim Festus ita scribat: Peculium seruorum est à pecore dictũ, sicut pecunia nobilium. & Seruius grãmaticus: Peculium patrimoniũ (ita enim maiores dicebãt) à pecoribus, in quibus constabat uniuersa eorum substantia. Vnde etiam Pecunia dicta est à Peculio, quod propriè tantùm est seruorum: & Peculium dicimus (licèt abusiuè) pro patrimonio. Ipse uerò tanq; arbiter honorarius hanc rem dijudicabo, & quidè breuiter. Peculium est quidqd labore nostro partum est, in quacunq; persona: licèt in seruis, iura uetent dominorum accedere cõsensum: & ita sensisse Vergilium sentio in ea parte, quã exponit Seruius: Nec spes libertatis erat, nec cura peculi. & Horatium:

ff. li. 15. ti. 1. cap. 5. Pecunia. Peculiaris

Rem poteris seruare tuam, redit uncia, quid fiet?
Semis, ad hæc animos ærugo, & cura peculi. Sermo. 1. Saty. 1.

Et Ciceronem in paradoxis: An eorum seruitus dubia est, qui cupiditate peculij nullam conditionem recusant durissimæ seruitutis? et illos quoq; rusticos senes, de quibus Celsus meminit, Pecuniã sine peculio fragilẽ esse, id est, sine lucro industria parto. Nam cur habẽti pecuniã, maior spes præsidij collocetur in pusillo, quod reposuit, q̃ in ipsa pecunia? quũ præsertim peculium pars sit pecuniæ: aut quomodò præstare possit reposita illa pecunia, ne cætera dilabantur? Vel Peculium est, quidquid propriè alicuius est. A Peculio fit adiectiuum Peculiaris, pro re ad peculium pertinẽte,

sive peculij propria. Sed in usu iam receptum est, pro

Cap. 2. proprio, sive speciali. Quintil. lib. 8, Quod commune est, & alijs nomẽ, intellectu alicui rei peculiariter tri buitur: ut urbem, Romam accipimus: & uenales, nouitios: & Corinthia, æra: quum sint urbes aliæ quoq; & uenalia multa, & tam aurum & argentum, quam

Cap. 3. æs Corinthium. Idem in 11. Ambulãtem loqui ita decet mum oportet, si in causis publicis, in quibus multi sunt iudices (quod dicimus) quasi singulis inculcare peculi

Cap. 5. ariter uelimus. Et in lib. 6, Paulũ impendamus huic

Peculatus quoq; peculiaris operæ. Peculatus, furtum rerum ad ipsam rempub. pertinentium, uel ad prouentus principis spectantium, sicut Sacrilegium rerum sacrarum. Indè Depeculor, quod quidam ad sacrilegium etiam transferunt.

ALCIA. pro Vlpiano. Peculium est quidquid labore nostro.) Cõfingit Laurẽtius absq; aliquo authore, peculium id esse, quod quis industria suo lucratur. At aliter ex authoribus dicendum est, qui Peculium patrimonium testatoris appellant: quia olim census Romanorum in pecore erat, unde & pecunia dicta. Cæterum, quoniam diminutiua forma peculiũ profertur, pro parte census accipi cœptum est, qualem seruis domini concedunt, qualemq; filijsfamilijs à patre separatim habent.

In eosdem, de Fundus, Ager, Villa, Prædium.

Cap. XLI.

ff. lib. 50. tit. 16. ca. 60. FVndus Vlpianus ita finit: Locus est non fundus, sed portio fundi aliqua. Fundus autem aliquid integrum est: plerunq; fundum sine uilla accipimus. Idem alibi: Ager est locus, qui sine uilla est.

Eod. tit. cap. 27. Modestinus uerò sic: Quæstio est, fundus à possessione, uel agro, uel prædio quid distet? Fundus est omne

Eod. tit. cap. 115. quidquid solo continetur. Ager est species fundi, qui ad usum hominis comparatur. Possessio ab agro inuis

propri

proprietate distat. Quidquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos uon pertinet, aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus. Possessio ergo usus est: ager proprietas loci est: prædium utriusque rei suprascriptæ generale nomen est. Nam & ager, & possessio, huius appellationis species sunt. Florentinus: Fundi appellatione omne ædificium, & omnis ager cõtinetur. Sed in usu urbana ædificia, ædes: rustica, uillæ dicũtur. Locus uerò sine ædificio in urbe, area: in rure autem, ager appellatur: idemq; ager cum ædificio, fundus dicitur. Ecce diuersæ Iurisconsultorum sententiæ, cùm in alijs, tum in hoc, quod Vlpianus ait, plerũq; fundum esse sine uilla id est, sine ædificio: Florẽtinus autem, agrum cum ædificio esse fundum. Modestinus obscurè exponit, agrumq; diffiniens, cum neutro aliorum concordat: sed ridiculè à possessione distinguit, ne dicã imperitè loquens de possessione, quando significat qualitatem, non quando significat substãtiam: périnde ac si quis dicat (de uirtutibus ac uicijs loquens) Prauum & malũ sic differũt: Prauum id est, quod non recta ratione & uia fit. Praua enim appellantur quæ non sunt rectà, ut lignum prauum. Malum uero genus pomi est. Quid hoc foret dicto ineptius, ubi de qualitatibus, & actionibus agitur, digredi ad substantiam, quæ ad rem non pertinet? ita hîc, cùm de fundo, de agro, de prædio, de possessione disputat, non de ea significatione possessionis loquitur, qua proprietas intelligitur, sed qua actio possidendi, siue qualitas. Quod si ita est, quid affinius habeat possessio ad fundum, agrum, prædium, quàm ad nauem, equum, uestem? Harum nanq; rerum ita possessio est, ut illarum: sed non de huiusmodi possessione lo-

Possessio.

Eod. tit. cap. 211.

Prauum.

Malum.

quendum erat, quæ præsertim (ut ipse ait) non est spe-
cies prædij, uel fundi. Prædium enim, fundus ue, pro-
prietas est: quorum utrumlibet si generale nomen est
ad possessionem, profectò nõ usus, sed proprietas dicen
da Modestino possessio fuit. Sed quid facias? ipse alia
ter possessionem diffinit. Quòd si quis dubitet, an pos-
Possessio. sessio proprietas sit, accipiat, præter ipsorum Iuris-
consultorum, etiam Ciceronis & Quintiliani testimo
nia: quorum alter in Paradoxis ita scribit: Etenim si
isti callidi æstimatores, prata & areas magni æsti-
mant: quòd ei generi possessionum minimè noceri po-
test. Non de usu uidelicet locutus est Cicero, cui cer-
tè noceri potest, sed de proprietate. Alter in sexto de
oratoria institutione: Patris eius dialogos dedit le-
gendos: quorum cùm in Priuernati unus, alter in Al
bano, tertius in Tyburti sermonem habitum comple-
cteretur: requirebant, ubi essent hæ possessiones. Om-
nes autem illas Brutus uendiderat. Nemo interro-
gat, ubi est usus prædiorum: sed, ubi est proprietas.
Nemoq; usum uẽdit, sed proprietatẽ aut usumfructũ.
ff. lib. 50. tit. 16. ca. 198. De prædio autem Vlpianus ita scribit: Prædia ur-
bana, omnia ædificia accipimus, nõ solùm ea quæ sunt
in oppidis, sed & si fortè stabula sunt, uel alia merito
ria in uillis, & in uicis, uel prætoria uoluptati tantùm
deseruientia: quia urbanũ prædiũ non locus facit, sed
materia. Próinde hortos quoque (si qui sunt in ædifi-
cijs constituti) dicendum est in urbanorũ appellatione
contineri. Planè si plurimi horti in reditu sunt (uine-
arij fortè, uel etiam olitorij) magis hæc non sunt ur-
bana. Etiam de prædio, sicut de fundo, Iurisconsulto-
rum controuersia est. Nec mirum, quum nemo non ha
beat suam de rebus quibusq;, uerbisq;, sententiam. Sed de

de posterioribus, qui ex operibus illorum excerpse-
runt, miror, quòd hæc indiscussa reliquerunt. Id ut
ego, quod ad meattinet, faciam: ita sentio. Agrum con
tinere fundum, non contineri à fundo: nihilq; probibet
eum cum uilla esse. Erant in agris senatores, & ui-
xerunt multi nobilissimi philosophi in agris, nimirùm
non sine ulla & habitatione. Differt que ager ab ar Aruum.
uo, quòd aruum sementi datur. Sallustius: Quia Nu
midæ pabulo pecoris magis quàm aruo student.
Quintilianus: Pauper & diues in agro uicini erant
iunctis hortulis. Et mox: Sed ex omni parte diuitis Decla. 13.
circumiectus ager, uix tenuem ad gressus meos se-
mitã dabat. Quid agimus? inquam: Vndique uallo diui
tiarum clausi sumus. Hinc hortuli locupletis, binc ar
ua, indè uineta, hinc saltus. Fundus (ut dixi) minus Fundus.
quiddam est. Singula enim propriè prata, singulæ ui
neæ, singuli horti, singula oliueta, pomeria, salicta,
erbusta, pascua, nemora, loca aucupatoria, uenato-
ria, piscatoria, siue uillam atque ædificium, siue pisci-
nam atque aluearia, siue uiuaria habeant, siue non ha
beant, singuli fundi sunt, & hoc quidem in agro. In
urbe autem, siue oppido, siue uico, siue castello, tãtum-
modò prædium est, quidquid tale est, qualia hæc quæ
enumeraui. Nanq; eadem in agro etiam prædia sunt.
Fundus enim species prædij est. Itaq; fundus est pos
sessio rustica. Prædium & rustica & urbana dunta-
xat possessio, qualem descripsi. Nam uidetur possessio
etiã significare tabernas, hospitia, horrea in urbe. Ci
cero in Philippicis: Possessiones uocabat & urbanas,
& rusticas. Puto non tantùm prædia, sed & cætera,
quæ immobilia uulgò appellãtur. Addamus ad hæc Fundum.
aliqd de Hoc Fundũ, quod an à Fũdo fundas, an po

tius Fundo à Fundum, siue à Fundus ueniat, ambigi potest. Quidam Fundus à Funda dici uolũt. Cicero in quodam ioculari libello:

Fundum Varro uocat, quem posit mittere funda,
Ni lapis exciderit, qua cauа funda patet.

Ni hæc sententia sit, tam paruum illum fuisse fundum, ut funda præhẽdi, & in morẽ lapidis iaci posset. Fundum igitur est ima pars rei, propriè aliquid liquoris intrà se continens, aut ad continendum facta, ut dolium, ut nauis, ut alueus, uel fluminis, uel lacus, uel stagni, uel maris. Nam fundum turris (ut quidam scripserunt) ipse non dicerem. Fundamentum (ut omnibus liquet) aliud est quàm fundum: & tamen fundare magis ad fundamentũ, quàm ad fundum pertinet. Fundamus enim domũ, non nauem, aut dolium, ut Verg.

Fundamẽtum.
Fundare.

Ille urbem Argyripã primæ cognomine gentis,
Victor Gargani fundabat Iapygis aruis.

Nam Fundamentare non reperitur, nec Fundare quidem est sanè frequens, nisi per translationem. Quintil. in Gladiatore: Hoc fundatam paternis, auitisq; opibus, domum exhaurit. Est enim frequentius, Iacere fundamẽta, etiam per translationem, ut idem libro primo: Nam indè & contemptus operis innascitur, & fundamenta iaciuntur impudentiæ, & (quod est ubiq; perniciosissimum) præuenit uires fiducia. Et Cicero: In quo templo (quantum in me fuit) ieci fundamenta pacis. Sine translatione. Sueton. de uita Caij: In arce Capitolina nouæ domus fundamenta iecit. Cæterum hoc differunt Fundare, & Fundamenta iacere, quod fundare, est ualidis fundamentis fulcire: fundamenta iacere, quasi qualiacunq; fundamenta facere, & quodãmodò dare rei principium. Neq; uerò, sicut reperitur Fundus & Fundum, ita reperitur Punctus & Pũctum, Errantq; philosophi cùm Punctus & Linea dicunt. Nam de Punctum, quod est breuissimum tempus, nulla lis est, ut Terent. in Phorm. Tunc temporis mihi punctum ad hanc rem est. Pro eo autem sensu, in quẽ utuntur philosophi, Cicero pro Plancio: Nam quòd quæstus es, plures te testes habere de Velina, quàm quot in ea tribu puncta tuleris. Quidam Momentum pro eodem significato accipiũt, cuius est Punctum, tamẽ aliter est. Breue enim tẽpus significatur per illud, p hoc uerò breuissimũ. Hora. Quid enim? concurritur horæ momento.

Phil. 1

Iacere fundamenta.

Punctus.

Punctum.

Momẽtũ.

Modestinus obscurè exponit.) Veteres possessionẽ appellarunt fundum per usucapionem acquisitum: quo casu nõ iure dominij in eius usu defendimur, sed authoritate lẽgis: atq; ita in lẽge XII tabularũ accipi, Festus quoq; Pompeius author est. Vndè apparet, non qualitatem, sed substantiam à Modestino definiri.

Alciatus pro Modestino.

In eosdem, de Noualis. Cap. XLII.

NOualis (inquit Paulus) est terra prosciſſa, quæ anno cessat, *quæ à Græcis ὁ κ, ἡ νεὸς, καὶ τὸ νίσιμα uocatur. In quo authoritatem Varronis secutus uidetur, dicẽtis: Ager restibulus, qui restituitur, ac referitur quotannis. Contrà, qui intermittitur, à nouando, noualis ager. Et Plinij, qui ait: Nouale est, quod alternis annis seritur. Idem quoque sentire uidetur Festus Pompeius, qui dicit: Noualis ager nouæ relictus sementi. Sunt qui uolunt noualem esse aruum, tunc primùm ad sementem prosciſſum: quorum est Seruius, qui inquit: Dicimus & has nouales, & hæc noualia. Propriè nouales tunc primùm armæ prosciſſa. Quod ita sensisse Vergilium palàm est, in illo uersu: Impius hæc tam culta noualia miles habebit.

*Alia quã Græci νέα γὴν uocãt ff. lib. 50. tit. 16. ca. 30. lib. 18. ca. 19.

In Bucol.

Ineptum erat deplorare agrum à Barbaris poſſideri, quòd non eſſet reſtibulus, ſed quòd anno interquieuiſſet. Deplorabat igitur agrum, in quo inſtruendo magnoperè laboraſſet, & nouitate ipſa præter cæteros uberiorem, datum iri in manus alienas, & Barbaras, & impias. Quod etiam & ſentit, & declarat in mi-

Declam. 3 *lite Mariano Quintilianus: Mox uigentibus lacertis humũ fodere, ſegnem futuris naualibus eruere ſyluam. Hieronymus etiam diffinit in hunc ſenſum, di-*

Decretal. lib. 5. tit. 40. cap. 1. In Geor. *cens: Nouale eſt ager nunc primùm proſciſſus. Sed Vergilius in ſenſum priorem accipit, cùm inquit:*

Alternis idem tonſas ceſſare nouales,
Et ſegnem patiere ſitu durescere campum.

Ideoq; Seruius alibi ait: Noualia, id eſt, noua terra, quæ per ſingulos annos renouatur per ſemina.

ALCIA. Nouale etiam dici aruum, nuper & cum magna cura ad culturam redactum, Valla ait: ſed & id, opinor, non negaſſet Paulus.

BVDAE. Ego noualem tum dici ſentio, & nouale: cùm poſt meſſem ager tonſus quieſcit: Vernactum, cùm uere terra proſciſſa quieſcit: Græcè νίατος, & νιὸς, & νίωμα. Eſt & aliud genus noualis, terra tunc primùm ad culturam proſciſſa.

In eoſdem de Liber & Volumen. Cap. XLIII.

ff. lib. 32. ca. 50. *SI cui (Vlpianus inquit) centum libri ſunt legati: centum uolumina ei dabimus, nõ centum, quæ quis ingenio ſuo meritus ſit, quô magis ad libri ſcripturã ſufficerẽt: utputa cũ haberet Homerũ totũ in uno uolumine, non quadragintaocto libros cõputabimus, ſed uniuerſum Homeri uolumẽ, pro libro accipiendũ eſt. Vlpianus Homeri opus minus unũ librũ, nũc quadragintaocto libros nominat. Nec tamen ait librum duo ſignificare, ipſum opus, et certam operis partẽ. Præterea opus ſiue opera Homeri librũ appellat, et uolumen, quorũ utrunq; inauditũ eſt. Vergilij Aeneis non liber eſt, ſed duodecim libri. Georgica non ſunt item liber, ſed libri quatuor. Bucolica unus liber eſt, idẽq; unum uolumen. Georgica quatuor uolumina. Aeneis duodecim. Ouidius:*

Sunt mihi mutatæ ter quinq; uolumina formæ.

Sed quid exẽplis agimus, quum nuſquàm plura afferri poſſint? At Vlpianus putat, etiam ſi omnia opera Didymi, quo nemo plura ſcripſit, in unum codicẽ conglutinarentur, unum tantùm debere uolumen appellari, quod nemo nec poſſet euoluere, nec ferre uellet. Eſt enim Volumen, uel à Volo, quòd in libris uolũtas appa- Volumen
ret, uel (quod magis ſequerer) à Voluo, quod uoluitur, quales libros hodiè Hebræi quoſdã habent, qualesq; in ueteri et nouo teſtamẽto lectitamus fuiſſe. Et Romani, qui in libris arborum, id eſt, corticibus ſcribebant, quòd libellos illos, quos ferrent cõmodius, cõplicabãt, uolumina fortè appellauerũt. Itaq; uolumina libellis ſimiliora fuêre, q̃ libris. Quod ex eo quoq; loco apparet, ubi Plinius de libris auunculi loquens, ait:

**Libri tres in ſex uolumina propter amplitudinem diuiſi: quaſi dicat, in ſex minores libros, ut ſint uolumina aliquantò minora, quàm libri. Quod etymologia quoque nonnihil probat, ut oſtendi. Vndè adhuc durat uerbum Euoluere libros, pro eo quod eſt, aperire libros lectitandi gratia, quaſi rem complicatam explicare: quemadmodùm Reuelare, eſt rem uelatam detegere: niſi dicamus euolui libros propter numerum paginarum. Accipitur autem nunc Euoluere libros, ſiue authores, pro eo quod eſt, lectitare. Nec inficias eo, libros accipi pro codicibus, & in ſingulari* *Ali. Studioſi. ut intelligat libri.

Librum pro quolibet magno codice, etiamsi is contineat Iliada & Odysseam: ut, Tenet rex manu librũ: & is sit Homerus: non tamen rectè dicas, tenet librum Homeri.

Alciatus pro Vlpiano.

Vlpianus Homeri opus nunc.) Non de significatione uerbi agit Vlpianus, sed de mente defuncti: quam, nemo est tam à naturali ratione abhorrens, qui probaturus non sit talem esse, qualem Vlpianus credidit. Quòd si in modo loquẽdi eum Valla reprobat, rectè iurisconsultum locutũ assero, & quid sibi uellet, nescisse Vallam: siquidem solebãt ueteres in pugillaribus scribere, quos inuolutos, & duobus inclusos umbilicis, manu gestabant: unde & Enchiridia Græcis dicũtur, nobis, à Pugno Pugillares, & ab inuolutione, Volumina. Fiebant autem, non secũdùm librorum distinctionem, sed secundùm gestantis commoditatem: quod satis Plinius ipse ostendit. Quum igitur Vlpianus non de diuisione librorum ab authore facta, legatum illud ex mente testatoris intelligeret: sed ex diuisione, quam testator in concinnando unico & corpori conglutinando fecerat: dixit XLVIII. libros, id est, unum Homeri uolumen, pro libro accipiendos: nimirùm uoluminis uoce metaphoricõs usus: ut, sicut unum corpus in pugillaribus etiã non obseruata authoris in libros diuisione, uolumẽ dicitur: ita in codicibus, cum asserculis tabellisue concinnatis, unum corpus etiam uolumen dicitur: quum nec etymologia repugnet. unica enim inuolutione constat. Quòd si probatur Vergilij Valerij & maximi loquutio, qui uolumen in cauda serpentis dixerunt: quantò magis probandus est Iureconsulti sermo, propter maiorem rei affinitatẽ longè clarior: quum & Cicero librum pro corpore, accepisse uideatur, epistolarum ad Quintum Fratrem libro secũdo: Sed utros eius habueris libros (duo enim sunt corpora) an utros, nescio.

In eosdẽ de Probrum & Opprobriũ, Exprobrare & Improbrare. Cap. XLIIII

ff. lib. 50. tit. 16. ca. 42.

PRobrum & Opprobrium (Vlpianus inquit) idẽ est. Probra quædam natura turpia sunt: quædam ciuiliter, & quasi more ciuitatis: utputa furtum, adulterium, natura turpe est. Enimuerò tutelæ damnari, hoc non natura probrum est, sed more ciuitatis. Nec enim natura probrum est, quod potest etiam in hominem idoneum incidere. Vlpianus probrum accipit pro infamia tantùm, qualis est ex furto, uel malè gesta tutela non pro flagitio, quod principale significatum est. Nam probrum idẽ est quod dedecus: quod duo significat. Vnum, quod est crimẽ, ut Quintilianus statim in principio Declamationis in milite Mariano inquit: Satis dedecoris atq; flagitij castra ceperũt. Alterum, quod est ignominia atq; infamia, quod notum est. Similiter accipitur probrum pro crimine: ut idem libro primo: Iam si minor in eligendis custodum & præceptorũ moribus fuit cura: pudet dicere, in quæ probra nefandi homines ísto cædendi iure abutantur. Pro ignominia, Liuius lib. 5, His fieri occurrant portis, ingerunt probra: ægrè abstinent, quin castra oppugnent. Quæ duo nomina tanquàm similia eodem loco Cicero coniunxit in Catone Maiore: Mihi uerò & Flacco neutiquàm probari potuit tam flagitiosa, & tam perdita libido, quæ cum probro priuato coniungeret imperij dedecus. Præterea ne simile quidem est sanè Probrum pro Opprobrio. Non enim Latinè dixisset Cicero: Quæ cum opprobrio priuato coniungeret imperij dedecus: quemadmodùm in Sallustium dixit: Itaq; timens, ne facinora eius clàm uobis essent, cũ omnibus, matribusfamiliâs uestris opprobrio esset, confessus est uobis audientibus adulterium. Est autem opprobriũ aliquando facto, sed frequentiùs uerbo. Nam Sallustius (ut uult Cicero) uel ex eo, quòd fœminis, quibus cũ habuisse usum se erat notum, uel q. ipse illis uulgò impudicitiã obijciebat, opprobrio erat. Horat.

Cap. 4.

Sic teneros animos aliena opprobria sæpè
Absterrent uicijs.

Quintilianus: Modò maledictis, opprobrijsq; vulgi, modò crebra riualium contentione pulsatus, abigi tamen compescíq; non posse. Opprobrijs dixit, quasi exprobrationibus, atq; conuicijs: Et alibi: Solebat indignatio uestra conuicia nostra ferre non posse: & matronalis indignatio dicere uidebatur, nõ parcis ergo uerentiam, facilè prorumpis in opprobria, facilè quod libet objicis. Pro eodem ferè posuit opprobria & conuicia. Nec inficias eo, nonnunquàm hoc modo accipi Probrum, ut Liuij proximum exẽplum, & Ciceronis ad Atticum: Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. Sed de hoc significato Vlpianus non intellexit. A Probro unum uerbum componitur, quod est Exprobro, quod significat, tum quælemcunq; culpam impropero: ut apud Ouid. lib. decimotertio Metamorph.

Decla. 19.

Exprobro.

Scit benè Tytides, qui nomine sæpè uocatum
Corripuit, trepidoq; fugam exprobrauit amico.

Tum ingratitudinis: ut Terẽt. in And. Nam isthæc commemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficij. Sed pro hoc significato frequẽter nos uicij alieni nomen apponimus, frequenter etiam nomen nostri meriti. Cic. de Amicitia: Quorum plerique aut querentur semper aliquid, aut etiam exprobrant: eoq; magis, si habere se putant, quod officioſè, & amicè, & cum labore aliquo suo factum queant dicere. Odiosum sanè genus hominum officia exprobrãtium. Exprobrare ergo beneficia sua, est immemorẽ beneficij accepti inculpare. Imputare uerò frequenter ad significationẽ exprobrantis accedit, sed citra repræhẽsionem: quod an apud Ciceronem fit, nescio. In posterioribus uerò creberrimum est, ut Quintilianus: Neq; ego grauiſsimum patrem suprema sua iuueni lactasse crediderim: quòd hæredem filium scriberet, non est res quæ imputetur. Et alibi: Imputa nobis propicios uentos, & secundum mare, & ciuitatis opulentiæ liberalitatẽ, quæ tantum frumenti uendidit, quantum duobus populis satis esset. Imputare nõnunq; pro cõputare reperitur, ut Caius: Qua ratione placuit, legata, cùm legatarij nõ capiunt, cum apud hæredem subsederint, hæreditario iure apud eos remanere intelligi, et omni quadrãti imputanda. Mætianus: In quarta hæreditatis, quã per legem Falcidiam hæres habere debet, imputãtur res, quas iure hæreditario capit, non quas iure legati, aut fideicommiſsi, uel implendæ conditionis causſa accipit. Nam hæ in quarta non imputãtur: sed in fideicommiſsaria hæreditate restituenda, siue legatum datum est hæredi, siue præcipere, siue deducere, uel retinere iussus est, in quartã id ei imputatur. Reputare quoq; in idem significatũ. Vlpianus: Præterea si matrẽ aluit pupilli tutor: putat Labeo, imputare eum posse. sed est uerius, non nisi si perquàm egenti dedit, imputare eum oportere. Deinde: Sed & si seruis cibaria præstiterit, uel libertis scilicet rei pupilli necessarijs: dicendũ est, reputaturũ. Idemq; est & si liberis hominibus, si tamen ratio præstãdi iusta intercedat. Item sumptus litis tutor reputabit, & uiatica, si ex officio necesse habuit, aliquò excurrere, uel proficiſci.

Decla. 12.

ff. lib. 35. tit. 2. ca. 90.

ff. lib. 27. ti. 3. ca. 1.

Non negat Valla & apud Ciceronem ad Atticum, & apud Liuium, probrum etiam pro ipsa dedecoris exprobratione poni. Vndè satis defenditur Vlpianus, qui nõ generalem definitionem horum uerborum posuit, sed

sed in edicto prætoris declarauit idem significare.

In eosdem de Stuprum & Adulterium. Cap. XLV.

ff.li.50.ti.16.cap.101 INter stuprum, & adulterium (Modestinus ait) hoc interesse quidam putant, quòd adulterium in nuptam, stuprum in uiduam, & in uirginem committitur. Sed lex Iulia de adulterijs hoc uerbo indifferenter utitur. Et hoc quidē continetur in libro de rerum & uerborum significatione. Alibi autē idem ait: Stuprum committit, qui liberam mulierē cupidinis caussa, non matrimonij cōtinet: excepta uidelicet concubina. Adulterium in nupta admittitur, stuprum in uirgine, uel uidua, uel puero. Quid mirum, si plures Iurisconsulti in definiendo inuicèm dissentiant, quum unus atq; idem secū dissentiat? Hic non uidetur sentire cum lêge Iulia. Sed culpa illorum est, qui definitiones huiusmodi descripserunt: quæ si aptè fuissent conglutinatæ, probari possent, ut illa Papiniani, dicentis: Lex Iulia stuprū, & adulteriū ꝓmiscuè * Græcè μοιχείαν appellat. Sed propriè adulterium in nuptā committitur, propter partum ex altero conceptum composito nomine. Stuprum uerò in uirginē, uiduam ue committitur: quod * Græci διακόρευσιν appellant. Cuius definitionem approbo, illud tamen addens: Legem Iuliam rectè hæc duo promiscuè appellasse: non quòd omne stuprum sit adulterium, sed quòd omne adulterium sit stuprum. Neq; rectè Iuriscōsulti excipiunt stuprum à nupta, quum etiam in quotidiano sermone sic loquamur. Quale est apud Quintilianum: Vxor marito dixit, appellatam se de stupro à priuigno, & sibi constitutum tempus & locum. Et alibi: Furtiua stupra, raptosq; concubitus obijciat uel falsò maritus. Fas est, fieri

ff.lib.48.ti.5.ca.34

Eod.tit.cap.6.

*Aliâs, & καταχρηστικώτερον

*Aliâs, φθορὰν

Decla.18

fieri solet. Parciùs tamen, si iam sit & mater, si in fidem castitatis uxoria fœcunditate profecerit. Quare ego ita sentio: stuprum esse coitū lêge uetitum: qui duplex est. Vnus cum nupta, aut cum puero, aut cum sanguine coniunctis, aut sanctimonialibus. Quanquàm hæc duo posteriora potiùs appellamus incestum. Alter, cùm uim afferimus cuilibet personæ, etiā ancillæ. Vnde stuprare dupliciter accipitur: cuius posterioris sensus testimonio est lex, quæ stupratoribus masculorum pœnam statuit decem milium, quum pædiconibus nulla esset pœna constituta.

Stuprum

Incestus.

Stuprare.

Neque rectè Iurisconsulti.) Existimat Valla, etiam adulterium stuprum dici posse, authoritate Quintiliani. Sed ut ego non negauerim, generalius esse stupri nomen, ut quod à turpitudine dicatur, & Plaut. Amphit. Stupri dedecoris à uiro argutā meo: ita Modestini uerba non rectè intellecta affirmauerim. quum enim concubitus cū nupta speciale adulterij nomen habeat: non fuisse satis, generali stupri uoce uti. Id enim propriè dicitur, quod peculiari, & sibi tantùm conuenienti uoce appellatur. undè & Proprium pro peculiari doctiores accipiunt. Vergilius:

ALCIA.

Hunc mihi da proprium uirgo sata nocte laborem.

Quintilianus quoq; optimè id proprium interpretatur, quo nihil inueniri potest significantius.

Infrà fol. 554

In eosdem de Instratum & Stragula. Cap. XLVI.

INstrato (Vlpianus inquit) omne uestimentum contineri, quod inijciatur: Labeo ait: Neq; enim dubium, quin stragula uestis sit * omne pallium. Videtur Vlpianus intelligere, stragulam uestem esse omne uestimentū hominis quo amicitur, quale est Græcorum pallium. Vt enim Romani togati à toga, sic Græci palliati à pallio uocantur. Ego uerò non memini reperisse me stragulam uestem in hunc sensum, sed in opertorium

ff.lib.50.tit.16.ca.45.

*Aliâs, q̄d Græci περίστρωμα uocant.

Toga.

Pallium

torium lectorum potiùs, ubi & dormiebant, & discumbebant. Quod Varro testatur de culcitra loquens: Hæc quidquid insternebant, à sternẽdo stragulum appellabant. Et equorum similiumq́, quorum operimentum etiã instratum uocatur. Hîc illud admonebo: inuerti frequenter significatum uerbi, ut in hoc ipso uerbo Sterno. Sternimus quidem uestes humi, ramos arborum, flores, & multa huiusmodi: tamen frequentiùs dicimus: sterno humũ floribus, ramis, uestibus. Hinc est, quarè dicimus thoros, lectosq́; sternere, & equum sternere: nõ quia sint diuersi sensus, sed quia resoluitur, ut sit, Sternere (uerbi gratia) lectos & equos tapetis, idem quod Sternere tapeta lectis & equis. Culcitra autem est tam lanea, stupea, & si quid est huiusmodi, quàm plumea.

Instratũ.

Sterno.

Culcitra.

ALCIA. Quin stragula uestis sit omne pallium.) Incidit Valla in deprauatos codices. Vlpianus enim non omne pallium, sed omne περίστρωμα scripsit. Certissimum autem est Græcè sic dici omne quod insternitur, & circùm inicitur.

In eosdem de Pulsatio & Verberatio.

Cap. XLVII.

ff. lib. 47. tit. 10. ca. 5. INter pulsationem & uerberationem (Vlpianus ait) hoc interest, ut Offilius scribit: uerberare, est cum dolore cædere: pulsare, sine dolore. Sed cum utrique usque uenia, non est eiusmodi inter hæc uerba differentia. An cùm uerberamus frumenta, cum dolore uerberamus? aut pulsamus potiùs, quàm uerberamus? Et tormentum cùm sentit ex flagellis dolorem, uerberatur? cùm non sentit, pulsatur? An Entellus ille Vergilianus sine dolore pulsabat Dareta? Sed (ne multis) quis non uidet uerberare esse, uerbere cædere, quod est instrumentum longum & exile, qualis est uirga, baculus, fustis, lora, flagellum, ferula, harundo, & si quid est simile. Nec aliter dictũ est Verberare à Verbere, quàm Flagellare à Flagello, Fustigare à Fuste. Nam uerbera licèt pro uerberatione accipiantur, tamen rem corpoream propriè significant, ut flagella, quæ sunt propriè summitates sarmentorum. Quintil. Ignes ex proximo raptos, uerberaq́; quæ casus obtulerat. Pulsare uerò, est graui ac uehemẽti ictu cædere, nec tam instrumẽto longo & exili, quàm breui ac rotundo, ut pugnis, ut calcibus, ut malleis, ut saxis, quæ manu tenẽtur, cùm alium percutimus in similitudinem tympanorum, quæ manu pulsantur: nec semel, sed multis ictibus percutere. Nanq; nõ propriè pulsatum alium dixeris, qui semel pugno percussus est. Adeò nõ minor iniuria fit ex pulsatione quàm ex uerberatione, præter eam causam, quam modò dixi, quòd uerberatio est multa percussio, quodq́; plerunq; pulsatio fit in facie. Et ob pulsatos eorum legatos Laurentes Tatium regem occiderunt, qui non punisset propinquos suos, qui Laurentibus hanc iniuriam fecerant. Et ipsa incussio calcium contumeliosissima est, sæpè etiam mortifera, utiq; si fiat in ægrum, in senem, in puerũ, in prægnantem. Taceo si aliare quis alterum pulsauerit, quàm manu aut pede: quum uicinus meus uxorem solitus non sit modò pistillo, uerumetiam mortario æreo pulsare, ut non crebriùs pulset ipsum mortarium. Dictum est autem à Pello, quod est percutio, & ferio, ut apud M. Tullium libro primo de diuinatione. Vt pelluntur animi uehementiùs. Sæpè etiam cura & timore. Et in secũdo: Num igitur, cùm aut muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit?

Verberare.

Verbera. Flagella.

Pulsare.

Nec

ALCIA. Neq aliter dictũ est uerberare.) Iureconsultum non latuit, Verberare à Verbere, flagello seu ferula dici, ut qui alibi attestatus sit, uerberasse abusiuè dici & eum, qui pugnis cæciderit: sed in lege Cornelia, quâ tunc interpretabatur, quæ actionem iniuriarum ei dabat, qui se pulsatum uerberatum'ue diceret, non potuit alia cæpi interpretatio. si enim Vallam sequeremur, qui sine graui impetu saxo percuteret, uerbis legis non contineretur, quia saxo non diceretur uerberasse, quia sine impetu non pulsasset: quæ sententia oppidò quàm futilis est. Meritò Iurecõsultus maluit uerberare cum dolore in ea lege accipere, uerbo illo lata significatione accepto, & pulsare sine dolore, cùm frequentatiuum sit à uerbo Pello, undè fit Pulto, Pulso: impellitur autẽ quis etiam sine dolore.

ff. lib. 47. tit. 10. ca. 15.

ALEX. AB ALEX. An cùm uerberamus frumenta cum dolore.) Vlpiani mẽs aliò spectat. quippe si mentẽ ipsius pensitamus, proculdubiò intelligemus, illũ uerberare dici proprie, qui animale corpus uerbere adfligit: ipsumq; signatè & appositè loqui, qui hominem uel pecus uerberatum dixit, non pulsatum. Cùm uerò ad rem sensu carentem ictus inferuntur, tunc pulsare dicimur, non uerberare: ut, pulso ostium, lanam, aut uestem: uerbero hominem, uel pecus.

Iureconsulti mente nihil fuisse alienius, quàm quod hìc fingit Alexander, ipsius Vlpiani uerbis docemur, quæ præcedunt eodem capite. Sic enim ait: Lex Cornelia de iniurijs (id est, actio quæ est ex lege Cornelia) cõpetit ei, qui iniuriarũ agere uolet ob eam rem, quòd se pulsatũ, uerberatum'ue, domum'ue suam ui introitam esse dicat. Iam uelim scire, quomodò ostium, lana, uel uestis pulsata, pulsanti dictura sit? De hominibus itaq; pulsatis, intelligendus est Vlpianus.

In eosdem de Pellex & Pallace.
Cap. XLVIII.

ff. lib. 50. tit. 16. ca. 144. *PEllicem apud antiquos Masurius, Paulo ante, scribit libro memorialiũ, eam habitã, quæ quum uxor non esset, cum aliquo tamẽ uiuebat: eamq; nunc uero nomine amicam, paulò honestiore concubinam*

nam appellari. C. Flaccus in lib. de iure Papyriano scribit, Pellicem nunc uulgò uocari, quæ cum eo, cui uxor sit, corpus misceat. Secundùm quosdam ea, quæ uxoris loco sine nuptijs in domo sit, quam Græci παλλάκην uocant. Horum utrunq; uerè sensisse & dixisse arbitror. Sed tamen pro suscepti operis officio admonere debeo, pellicem apud oratores et poëtas eam demum haberi, quæ cũ eo, cui uxor est, corpus miscet. Ideoq; Iuno semp prosequitur pellices, quæ sibi uxori Iouem præriperent. Vndè Plinius lib. 35. uerbo Græ Cap. 10. co maluit uti, cũ de Alexandro loqueretur, quem constat eo tempore cœlibem fuisse, cùm Apellem scorto donauit, q̃ ueteri (si uerum est) Latino, pallace potiùs quàm pellice. Ita autem ait: Nanq; cùm dilectam sibi ex pallacis suis præcipuam nomine Campsacem nudam pingi ob admirationẽ formæ ab Apelle iussisset. Quo fit ut Curtium, ubi de eodẽ Alexandro, & alijs loquitur, cæterosq; scriptores opiner pallacem potiùs quàm pellicem pro concubina cœlibis hominis dixisse, culpaq; librariorum in êditionibus esse uiciatum. Suetonius de Vespasiano loquens, pallacarum dixit, non pellicum. Et alibi quoq;, & Titus Liuius, multiq; alij Græco nomine utuntur. Sin aliter inuenitur, librariorum (ut dixi) uicio dandum est. Cuius rei hoc argumentum est, quòd non rectè quis dicitur habere pellicem, sed uxorẽ. Est nomẽ relatiuum ad alterius uxorem, cuius cum uiro rem habet, non autem ad mæsculum: nec rectè dicturos fuisse reor oratores illos, qui pallacem dixerunt, si pellicem dixissent, ut patet.

Sabini sententiam ueram arbitror. Siue enim à Græ ALCIA. co παλλακεύεται ueniat, siue Latina sit uox à pelliciẽdo, quod authoritate Plauti in Pœnulo magis probo, qui Allex uiri, ab alliciendo dixit, utraq; etymologia interpreta-

tioni Sabini conuenit. cui & Q. Curtij, & Iustini auctoritas accedit: quorum uererem scripturam interpellauêre plerique Vallam secuti, quum eos ex antiquis codicibus constet Pellicum scripsisse, non Pallacarũ. quæ uox ante Plinium & Tranquillum in sermone Latino nulla erat: in Græco uerò nõ aliud significat quàm pellicem, ut appareat Vallam, quicq; ei consentanea tradiderunt, pellicis significationem non ex authoribus accepisse, sed regula planè Lesbia usos, authores ipsos inuertisse, ut id, quod ipsi sentiebant, attestarentur.

In eosdem de Caullatio. Cap. XLIX

ff.lib.50. tit.16.ca. 177. σόφισμα. In qbusdã etiã antiquis codicibus γοητεία legit. ff.li.50.ti. 16.ca. 237. *Aliâs caluitur.

NAtura caullationis, quàm Græci * σκώμμα appellauerunt, hæc est, ut ab euidenter ueris, per breuissimas mutationes, disputatio ad ea, quæ euidẽter falsa sunt, perducatur. Hæc duobus in locis Vlpianus. Caius autem inquit: Si * calumnietur, & moretur, & frustretur. Inde calumniatores appellati sunt, qui per fraudem & frustrationem alios uexarent litibus. Inde & cauillatio dicta est. Caius nullam fecit mentionem de euidenter ueris, aut euidenter falsis, nec de breuitate. Nec puto faciendam fuisse, plerunq; cauillatio sit tecta, & insidiosa, multisq; ac longis frequenter ambagibus utens, et quæ uix ab acutis deprehendatur. Quarè cauillatio est subdola ratio, quàm nos, conscij nobis mendacij, uincendi tamẽ caussa proferimus. In hunc sensum semper Iurisconsulti usi sunt, & Quintiliani ferè sæculũ. Cicero autem pro genere quodam facetiarum. & hunc imitatus A. Gellius. T. Liuius utroq; modo. Ipse quoq; Cicero diffinit lib. 2. de oratore dicens: Etenim quum duo sint genera facetiarum, alterum æqualiter in omni sermone salsum, alterum peracutum & breue: superior cauillatio, altera dicacitas nominata est. Cæterùm Caius uidetur sentire, idem esse calumniari & cauillari. Quod non sentit

sit Martianus, tantùm accusatori tribuens calumniari, cùm ait: Calumniari esse falsa crimina intendere, quod per legem illam declaratur XII tabularum: Calumniator idem patiatur, quod reus si conuictus esset. ff.li.48.tĩ. 16.cap.1.

Quum Caluiri uerbum apud ueteres sit frustrari, metaphora à caluis militibus ducta: quãuis & Cauillatio, & Calumnia indè deducantur: non tamen consequens est, alterum cum altero idem esse: sicut cùm dicimus, à Verro fit Versus, Versura. nõ sequitur, uersuram idem quod uersum esse: Rursus, quod ad Vlpianum attinet, respondeo: Vlpianum loqui quandiu cauillatio pro argumento Sophistico accipitur, quod Græcè nõ σκῶμμα, ut ipse credidit, sed σόφισμα est. ALCIA.

In eosdem de Præuaricator, Tergiuersator, & Calumniator. Cap. L.

PRæuaricatores (Vlpianus inquit) eos appellamus, qui causam aduersarijs suis donant, & ex parte actoris, in partẽ rei cedunt. A uaricando enim prævaricatores dicti sunt. Idẽ alibi: Prævaricator aũt est, quasi uaricator, qui diuersam partẽ adiuuat, prodita causa sua. Quod nomen Labeo à uaria certatione tractum ait: Nam qui prævaricatur, ex utraq; parte consistit. In prima diffinitione uidetur sentire, prævaricationem in solum actorem cadere: in secunda uerò etiam in reum. Sed forsitan & hîc de solo acto re sensit, cui assentire uidetur Martianus, qui ait: Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subijcitur. aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiuersantur. Calumniari, est falsa crimina intendere. Prævaricari, uera crimina abscondere. Tergiuersari, in uniuersum ab accusatione desistere. Et pòst iterum: Prævaricatorem esse eum ostendimus, qui colludit cum reo, & translaticiè ff.li.48.tĩ. 16.ca.212. ff.li.3. tit. 2.ca.4. & lib.47.ti. 15.cap.1. ff. lib. 48. tit. 16. ca. 1. Calumniari. Prævaricari.

munere accusandi defungitur: eô quòd proprias quidem probationes dissimularet, falsas uerò rei excusationes admitteret. Quod nos quidẽ uerũ fatemur esse, legemq; antiquitùs de prævaricatorum pœna fuisse, ut Cicero Philippica. libro 2, Vereor P.C. ne (quod turpissimum est) prævaricatorem mihi opposuisse videar. Cæterùm (ut prætereã, quod Cicero idẽ in petitionibus ait, prævaricationẽ diffiniri nũc ab accusatore, nũc à reo corruptelã esse iudicij) reperio nonnunquàm prævaricatorem ex parte rei quoq;, neq; perfidia tantùm, ac malitia, sed imprudẽtia etiam, & negligentia peccatorum. Quintilianus in 7, Vt in prævaricationum criminibus, ut absoluatur reus, aut innocentia ipsius fit, aut interueniente aliqua potestate, aut ui, aut corrupto iudicio, aut difficultate probationis, aut prævaricatione: nocentem fuisse confiteris, nulla potestas obsistit, nulla uis, corruptum iudicium non quereris, nulla probandi difficultas fuit. Quid superest, nisi ut prævaricatio fuerit. Hîc pro perfidia accusatoris accipit: alibi uerò aliter. Sed de una causa loqui superuacuum est. Ego in uniuersum neq; oratoris puto esse unquàm prævaricari: neq; litem intelligo, in qua pars utraq; idem uelit. Idecq; prævaricatorem appellamus, quicũq; à præscripto officij sui desiuerit, atq; aberrauerit. Plinius lib. 19, Arator nisi incuruus prævaricatur. Plinius Iunior ad Cornelium Tacitum: Alioqui prævaricatio est transire dicenda. Prævaricatio est etiam breuiter & cursim attingere, quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda. Et Adam prævaricatum fuisse dicimis. Tergiuersari uerò non est (quantum ego intelligo) ab accusatione desistere. Illi uidentur ex hoc trahere significationẽ, quòd

Prævaricator.

Tergiuersari.

quòd qui terga uertunt, à pugna desistunt. Veruntamen non protinus, qui terga uertũt, à pugna desistunt, ut Parthi. Itaq; qui uertentes terga tamen adhuc pugnant, nec rationibus uolunt se uictos agnoscere, tergiuersantur. Cicero de officijs libro tertio: Atq; in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallidè tergiuersantur. Prudentiam introducunt, scientiã suppeditantẽ uoluptates, depellẽtẽ dolores. Fortitudinẽ quoq; aliquo modo expediũt cũ tradũt rationẽ negligendæ mortis, perpetiendiq; doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facilimè illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt. Dicunt enim, uoluptatis magnitudine doloris detractionem fieri. Nunquid qui hoc dicunt, aut desistunt ab accusatione, aut accusasse se iudicant? Idem pro Roscio Comœdo: Attende quæso Piso Fannij uultum, & huc, atq; illuc tergiuersantem testimonium cõtra se dicere cogo. Erat aũt Fannius accusator, quem, si omnino ab accusatione desisteret, non insequeretur iure patrocinij Cicero, sed uictum nolle tamen dare manus, obiurgat. Liuius lib. 2 ab urbe cond. Mouebant hæc consulem, sed tergiuersari res cogebat, id est, non agnoscere ueritatem, & eam quibuscunq; rationibus poterat dissimulare, & quasi subterfugere. Tertiũ aũt uerbũ ab eodẽ Marciano diffinitũ (de calũnia loquor) meretur et ipsũ aliquã emẽdationẽ, quod nõ modò apud Ciceronẽ procauillatione accipitur, nõ illa quidem mouẽte risum, sed ea, qua Cicero ipse nõ utitur, ut de officijs lib. 1: Exigunt etiam sæpè iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida & malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud: Summum ius summa iniuria. Sed etiã apud Quintilianum nonnunquam, ut ibi: Quamuis exiguo diuisus

ſpacio opem non ferat, non ſuccurret: ut hac ſaltem ſe calumnia defendat, non abij, non reliqui, non abſceſſi, neque pede (ut aiunt) uno à parente diſceſſi. Alioſq; complures, quorum & Caius eſt: uſu quoque probante, per quem utraque pars iurat de calumnia uitanda. Nimirùm de cauillatione eô magis, quod calumniari pro cauillari dicimus, quæ uox quatuor primas literas habebat eaſdem cum calumniari. Poſtremò probatur hoc ex illo digeſtorum loco, cuius titulus eſt: Si mulier uentris nomine calumniæ cauſa in poſſeßione fuiſſe dicatur. Calumnia ſcilicet ibi intelligitur dolus malus.

Cauillari

ALCIA. Prætaricari, rergiuerſari, calumniari, generaliùs accipienda exiſtimat, quàm Iureconſulti docuerunt, nimirùm oblitus, non docere eos ſimpliciter eorum uerborum ſignificationem, ſed ſpecialiter in ſenatuſconſulto Turpilliano quô accipi debeãt, ut eius pœnæ locus ſit.

In eoſdem, de Ferri, Portari, Agi.

Cap. LI.

ff. lib. 50. tit. 16. ca. 235. FErri propriè dicimus (Caius inquit) quæ quis in corpore ſuo bæiulat: Portari ea, quæ quis in iumento ſecum ducit: Agi ea, quæ animalia ſunt. In hoc ipſe Caio aſſentior, niſi q; portare eſt ſuo etiã q̃ corpore, interdũ etiã magis ferre. Quis enim neget iumenta portare? quæ cũ hoïes imitãtur, & ipſi portare dicuntur. Terentius in And. Mi homo, quid iſthuc obſecro? quò puerum portas? Horatius: Ne forte ſub alta Faſciculum portes librorũ, ut ruſticus agnũ. Et ab hoc compoſita, Deportauit Verres amicam de prouincia, Deportauit Põpeius beneficio Ciceronis tertiũ triũphum. Multi imperatores uictorẽ exercitum reportauerũt quaſi reduxerũt. Agere aũt nõ uno modo dicitur, ſed de uno tamẽ nõ tacebo. Martial. lib. 1. Epigram.

Deporto.

Reporto.

In Attalũ

Semper

Semper agis cauſas, & res agis Attale ſemper,
Eſt, non eſt quod agas, Attale ſemper agis.
Si res & cauſæ deſunt, agis Attale mulas,
Attale (ne quod agas deſit) agas animam.

Cælius ad Ciceronem: Hortenſius, cùm has literas ſcripſit, animam agebat, id eſt, expirabat.

ALCIA. Arbitror ex origine uerbi iureconſultum adiuuari. ſiquidem φορθμεύειν Græcè tranſcere eſt: undè portus, in quem naui res deportantur. Sic & exercitum nauibus deportari. Liuius plerunq; dixit, quod ſi ipſe ferat, non propriè, ſed μεταφορικῶς puratierim Portare dici.

In eoſdem de Conuicium & Maledictum.

Cap. LII.

ff. lib. 47. tit. 10. ca. 15. COnuicium apud Vlpianum, iniuriã eſſe Labeo ait: quaſi maledictũ iniuria non ſit. Addit idem Labeo: Conuicium dicitur uel à concitatione, uel à conuentu, hoc eſt, à collatione uocum. Cùm enim in unum complures uoces conferuntur conuicium appellatur quaſi conuocium. Sed quod adijcitur à prætore, Aduerſus bonos mores: oſtẽdit, non omnẽ in unam collatam uociferationem prætorem notare: ſed eam, quæ bonis moribus improbetur, quæq; ad infamiam, & inuidiam alicuius ſpectet. Et iterum: Conuicium non tantùm præſenti, uerùm abſenti quoq; fieri poſſe, Labeo ſcribit. Próinde ſi quis ad domum tuam uenerit, te abſente: conuicium eſſe factum dicit. Idem & ſi ad ſtationem, uel tabernam uentum ſit, probari oportere. Feciſſe conuiciũ nõ tantũ is uidetur, q̃ uociferatus eſt: uerũ is quoq;, qui cõcitauit ad uociferationẽ alios, uel qui ſubmiſit ut uociferẽtur. Et paulò ſt. Ex his apparet, non omne maledictũ cõuicium eſſe: ſed illud ſolum, quod cum uociferatione dictum eſt: ſiue unus, ſiue plures dixerint, & quod in cœtu dictũ, conuicium eſt.

Quod autem non in cœtu, ne cũ uociferatione dicitur, conuicium propriè non dicitur, sed infamandi causſa dictum est. Ex ipsa nominis etymologia argumentum significationis Labeo sumpsit. Sed quum falsa sit etymologia, falsa erit & diffinitio. Quumq; falsa sit diffinitio, falsa erit et etymologia. Quis enim Labeoni credat, Conuicium à cõcitatione, aut à conuentu dictum, aut collatione uocis, quasi cõuocium: quũ sit alia propria magis siue etymologia, siue expositio per compositionem à Con, & Vicium uel, Conuito: quasi uitandum & uituperationis causſa factum. Habet autem Conuicium, ui, non breuem, ut Vicium: sed longam, ut Vito: Licèt Conuito aliud significet, quàm Conuicium: (si modò significat idem quod Inuito) nõ obstat, quum à suo quoq; simplici, quod est Vito, in significatione magis distet, quàm Conuicium à suo, siue illud sit Vito, siue Vicium. Ipsa quoq; Con præpositio in bonam & malã rem accipi solet, ut Conficio pro Perficio, & pro eo quod est, consauciando trucido. Inde confectores ferarum. Conuicium igitur à Vicium, uel potiùs à Vito descendit, ut Vitupero. Tametsi non omnino repugnem scribi per c, ut quibusdã placet, non per t, Et hoc quidem de etymologia: quæ si pro Labeone, Vlpianoq;, nõ pro me faceret, tamen diffinitioni repugnare auderem, nusquàm reperiens apud summos uiros hanc differentiam custoditam inter Conuicium & Maledictum. Inter quæ (si qua est) hæc erit: quòd Conuicium est maledictum contumeliosum. Quintilianus lib. septimo: Sic autẽ præparabit actione prima iudicum animos, ut noluisse potiùs obijcere, quàm non potuisse credatur. Eoq; satius est, omni se anteactæ uitæ abstinere conuicio, quàm leuibus, aut friuolis, aut manifestò falsis reum incessere: quia fides cæteris detrahitur: & qui nihil obijcit, omisisse credi potest maledicta, tanq; superuacua: qui uana congerit cõfitetur uanũ in anteactis argumentũ. Ex his uerbis planè datur intelligi, nec uociferatione utiq; fieri conuiciũ, nec aliud esse, quàm maledictum. Cice. pro Cælio: Maledictum autem nihil habet propositi, præter contumeliam: quæ si petulãtiùs iactatur, cõuicium: sin facetiùs, urbanitas nominatur. Illud autem uerbum Inuidiam quo Labeo siue Vlpianus utitur, quid mirũ si Accursius non intelligit, qui in Institutionibus, ubi dicitur: Appellatione autem tigni omnis materia significatur, ex qua ædificia fiũt: sic interpretatur, ut cæmenta, & lapides: immemor, à iurisconsultis ut exponi materiã pro ligno ad ædificia utili, tãquàm & Cato, & Varro, & Columella, & Plinius, qui de agricultura scripsere, alijq;, uiuam etiam arborem, particulamq; illius materiam appellant, & breuiter, omne lignum.

Con. Conficio.

Cap. de cõiectura.

Lib. 2. ti. 1

ff. lib. 32. cap. 53.

Conuicium negat à uocum concertatione quasi conuocium dici, & aduersus Labeonis sententiam, etiã sine uociferatione Conuicium fieri putat, sentitq; à Vicio potiùs, uel à uitando deduci: qua in re, opinor, egregiè fallitur: quid enim tunc coniunctiua illa particula operaretur? Cur enim, si à Vicio deducitur, secundam syllabam producit Conuicium? quum constet, Vicium corripiendam & Cicero, quem ipse adducit, petulantiorem iactationem in conuicio requirens, pro Labeone est, ut mirer eum tam leuibus argumentis à recepta Labeonis sententia desciuisse, quæ & orthographiæ ratione defenditur, quum per c Conuicium, non per t scribatur. ALCIA.

In eosdem de Versicoloria. Cap. LIII.

Versicoloria apud Iurisconsultos uocantur, quæ natiuum colorem mutauerunt: ut uestes, si albæ sint, aut nigræ, subnigræue: quales ex lana non

ff. lib. 32. cap. 68.

non tincta solent esse, coloriæ: si in alium colorem tinctæ sint, uersicoloriæ nominantur. Cæterùm uix in
Lib. 1. de Finib. hunc sensum reperimus. Nam Cicero collum columbi, pauonisq́, & eius caudam uersicolorem uocat: & nonnulli aquam maris, uel quòd uersat & mutat colo
Cap. 6. rem subinde, uel potiùs quòd sit discolor, ut apud Plinium libro trigesimo sexto: Subit mentem, non fuisse tum authoritatem maculoso marmori, quam fecere e Thaso Cycladum insularum una æquè & Lesbio, liuidius hoc paulò, uersicolores quidem maculas habẽs. Et in eodẽ: Primùm (ut arbitror) uersicolores istas maculas Chiorum lapidicinæ ostẽderunt, cùm extrueret muros. Et in eodem: Veluti cùm calculi fiunt, quos quidam abaculos appellant, aliquos etiam pluri
Cap. 26. bus modis uersicolores. Et in decimo quinto: Ingens postea turba prunorum, uersicolor, nigra, candicans: hordearia appellata, à comitatu frugis eius. Et in uigesimo quinto: Versicoloribus uiperarum maculis.
Cap. 13. Cap. 8. Et in uigesimo octauo: Nullum animal pauidius esse existimatur, & ideò uersicoloris esse demutationis. Per quod apparet, collum columbæ, pauonisq́, & caudam, aquamq́, non ideò uersicolorem dici, quòd uersat colorem, sed quòd diuersum colorem habeat. Alioqui satis habuisset Plinius dicere: Et ideò uersicolor est. nec adiungere, Demutationis. Neq; uerò uestes ab hac significatione cõmuni excipiẽdæ sunt, putandæq́ solæ ipsæ uersicolores, ita demum dici, si lana tincta
Lib. 30. cap. 1 confectæ fuerint, ut apud Quintilianum: Dum in his, de quibus erit quæstio, meminerimus, non athletarum thoros, sed mitium lacertos, nec uersicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, uestem benè ad forensem puluerem facere. Apud Titum uerò Liuium

Liuium est secũdo punico bello, interdictum fuisse matronis, ne uersicoloribus uestirentur. Quod qualiter accipiendum sit, Valerius Maximus libro nono significat, dicens: Quam fœminæ tolli cupiebant: quia his nec ueste uarij coloris uti, nec auri plus semiuncia habere, nec iuncto uehiculo propius urbem mille passus, nisi sacrificij gratia, uebi permittebat. Idem Liuius alibi ait: Corpus alteri magnitudine eximium, uersicolori ueste, pictisq́ & auro cælatis refulgens armis. Profectò de uarij coloris ueste locutus est. Et iterum: Tunicæ auratis militibus uersicolores: argentatis, linteæ cãdidæ. Nam illud Vergilij: Versicoloribus armis: exponit Seruius de pictis, per quod bellicosus ostenditur.
Cap. de luxuria. Lib. 7. ab urb. cõd.

Ex origine uocabuli ea res est uersicolor, cuius color in alium uersus sit: sicut & uersipellis, non cui uaria pellis, sed qui in aliam pellem uersus est: unde homines in lupum mutati, uersipelles Plinio appellãtur. Eadem ratione lanæ uersicolores dicuntur, quæ per tincturam in alium colorem sunt uersæ. Dubitabat igitur Iurecon sultus, lanis uersicoloribus legatis, quid contineatur. & primò respondet, legatis simpliciter lanis, uersicoloria apud ueteres non comprehensa: legato uerò lanarum uersicolorium, eas intelligi quæ tinctæ sunt, & (quod dubitabilius erat) etiam netæ, dummodò neq; detextæ, neq; contextæ adhuc sint: tunc enim non lanæ, sed uestimentorum appellatione continentur. Ex his apparet uersicolores uestes uarij coloris idcircò dici, quia ex uersicoloribus lanis natiuis conficerentur. A qua similitudine, & Versicoloria arma Vergilius, & Versicolorem plumam Propertius, & Versicolorem caudam Cicero dixit.
ALCIA.

In eosdem de Penes & Apud. Cap. LIIII.

PEnès te (ut Vlpianus ait) amplius est, q̃ Apud te. Nam apud te est, quod qualiter qualiter à te teneatur: Penès te est, quod quodãmodò à te possidetur
ff. lib. 50. tit. 16. ca. 63.

tur. Et ante hũc Festus Pompeius: Apud & Penès in hoc differũt, quod alterum personã cum loco significat, alterum personam & dominium, ac potestatem, quod trahitur à Penitus. Personam cũ loco, Festus accepit pro personam & locum, ut, Apud Platonem, & Apud forum, id est, in Platone, & in foro: quorũ utrumuis diffinitionem probo: illudq; addo, Penès, dum tantùm ad personam refertur, non modò dominium adesse significare, uerùmetiam laudem ac uituperationẽ. De laude, ut Cicero in Bruto: Cuius penès quos laus adhuc fuit, non fuit rationis ac scientiæ. De uituperatione, ut Quintilianus in Gladiatore: Vereor ne illius inexpiabilis, & sæpè repræhensi odij, alij culpa uideatur penès patrem, qui tam facilè irascitur. Illud quoq;, quod crebrò usurpamus, Fides penes authores sit, & in laudẽ, & in uituperationem simul accipitur, quasi laus ueritatis, aut uituperatio falsitatis penès authorẽ sit, ad quẽ spectat, fidẽ rei, cuius author est, facere. Ad me certè ista uel laus uel uituperatio non spectat, qui hoc nõ affirmo, sed ad alterum authorem relẽgo. Quod de laude & uituperatione dico, idem accipio de commodo & incommodo, ut Liuius: Vt penès eosdem pericula belli, penès quos præmia essent. Nonnunquam etiam loco seruit, sicut apud Ciceronem libro 4 ad Herenn. Ita petulans es atq; acer, ut ne ad solarium quidem (ut mihi uidetur) sed penès scenam & eiusmodi locis exercitatus sis. Penès scenam, id est, apud scenam.

Commodũ Incommodum.

ALCIA. Vlpianus, puto, non negasset differentiam illam suam ab authoribus quãdoq; confundi, quæ tamen exuberi ueritissima sit: deducitur enim à dictione Penitus: undè & penissimus & Penitissimus, ut Plautus cæteriq; antiquiores dixerunt.

In

In eosdem de Patres, Maiores, & Posteri & Minores. Cap. LV.

PAtres * (inquit Paulus) usq; ad tritauos proprio uocabulo nuncupãtur apud Romanos. Vlteriores, qui non habent speciale nomen, Maiores appellantur. Item Liberi usq; ad trinepotem: ultra hos, posteriores uocantur. Sed cum uenia Pauli, neq; usus in hoc, neq; ratio cõsentit. Omnes enim qui ante nos fuerunt, utiq; qui liberos reliquerunt, atq; id in nostra ciuitate, Maiores dicuntur: qui uerò post nos, Posteriores. Cicero in Sallust. Ego meis maioribus uirtute mea præluxi: ut si priùs noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ. Tu tuis uita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras, ut etiã si fuerint egregij ciues, certè uenerint in obliuionem. Nunquid Cicero ait se præluxisse illis tantùm, qui supra tritauum fuerunt: Sallustium uerò tenebras offudisse? An potiùs ut quisq; à Cicerone atq; Sallustio recentissimus erat, ita illi maximè horum utrunq; uel præluxisse, uel tenebras offudisse? An si quis claris maioribus ortus quæreretur, nõ multò magis is dicatur, qui patrem, auum, proauum, abauum, atauum, tritauum, claros, cæteros autem obscuros habuit, quàm qui ista econtrariò? Hoc ne ipse quidem Paulus negaret. Insuper patres non opinor usque ad tritauos posse deduci. Cum enim dicimus, patrum memoria aliquid factum esse, de proxima ætate semper intelligimus, non de illa etiã sexta. Dixi de maioribus, & patribus. Videamus de posterioribus, siue posteris. Idem Cicero eundem locum sic prosequitur: Quarè noli mihi antiquos meos obiectare. Satius enim est, me meis rebus gestis florere, quàm maiorum opinione niti, & ita uiuere, ut

ff. lib. 58 tit. 10. ca. 10. * Aliàs, parentes.

ego

ego sim posteris meis nobilitatis initium, & uirtutis exemplum. Ita opinor, non pertinebat ad filium, non ad nepotem, non ad pronepotem, nō ad abnepotem, non ad trinepotem Tulliana nobilitas, & uirtutis imitatio, sed à filio trinepotis inceptum, quia ab eo posteritas Tulliana initium acceptura erat, quū potiùs tunc esset acceptura occasum. Idem alibi: Nec uerò dubitat agricola (quāuis sit senex) quærēti cui serat, respondere, dijs immortalibus, qui me nō accipere modò hæc à maioribus uoluerunt, sed etiā posteris prodere. Taceo quòd Catus Caligula uolebat solos posteros filios esse, nec iura concessa posteris ad nepotes pertinere. Sed ne caussari queat, non positum exemplum posteriorū sed posterorū esse: Quint. in 12. Maluit enim uir sapiētissimus, quod supereſſet, ex uita sibi perire, quod præteriſſet: &, quandō ab hominibus sui temporis parùm intelligebatur, posteriorum se iudicijs reseruauit. Nescio tamen an potiùs legendum sit Posterorum, ut intelligamus hoc quàm illud nomen esse usitatius, & non modò ad eos, qui ex nobis geniti sunt, sed ad uniuersos, qui post nos erunt, pertinere. In eundem opinionis errorem incidit Seruius, qui in octauo Aeneid. ait: Minores non dicimus, nisi quoties gradum deficit nomen, ut pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos. Vbi isti gradus defecerunt, meritò iam dicimus minores, sicut etiā dicimus maiores post patris, aui, proaui, atauiq; uocabulum. De maioribus satis modò disputauimus. Alterius nominis ratio eadem uno exemplo satis probabitur, eoq; (quia cum Seruio expositore Vergilij agimus) Vergiliano ex primo Aeneid.

In Catone Maiore.

Hunc lætum Tyrijsq; diem, Troiaq; profectis

Esse

Esse uelis, nostrosq; huius meminisse minores.

Quis non uidet Didonem locutam de parentibus, qui tunc erant, eorumq; filijs, natisq; natorum, & qui nascerentur ab illis: non autem de filijs atnepotum, & deinceps, qui illius diei meminisse non poterant, nisi id à parentibus accepissent.

Quamuis etiam maior dicatur pater, auus, proauus: tamen hoc non est proprio, id est, ipsis tantùm conuenienti nomine, sed generali: Iureconſ. autem de proprio uocabulo agit. Id autem propriè dicitur, quod peculiari & sibi tantùm conuenienti uoce appellatur. ALCIA.

In eosdem de Victus & Penus.

Cap. LVI.

Victus uerbo (Vlpianus inquit) continentur, quæ esui, potui, cultuiq; corporis, quæq; ad uiuendum homini necessaria sunt. Vestem quoque uictus habere uicem, Labeo ait. Et cætera quoque, quibus uiuendi, curandi ue corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significātur. Ne hoc quidem aut ratio, aut usus probauit. Victus à uiuendo uenit. At uiuere sine ueſtitu, cultuq; corporis licet, ut in Aethiopia: sine esu, potuq;, non licet. Ideoq; semper distincta hæc duo reperimus, & semper addi alterum: (de ueſtitu loquor) quia alterum, quod est uictus, hoc etiam significatum non complectitur: alioqui non diceretur Victus, & Veſtitus. Significat etiam uictus genus uitæ, quantum ad mores, ut quibus cum quis uiuat, & à quibus instituatur, & quibus moribus. At neque de penu Iurisconsultis assentior multa, quæ ad uictum non pertinent, penui cedere uolentibus. Potior apud me breuis illa Ciceronis definitio ualebit in libris de natura deorum: Est enim omne, quo uescuntur homines, penus. ff. lib. 50. tit. 16. cā. 43.

Vlpianus

ALCIA. VIpianus non Aethiopum, sed Romanorum lèges interpretatur, qui sine uestibus non uiuunt: & cùm de uectu amico legato in Italia loquitur, nõ de eiusmodi uectu sentit, quo Aethiopes se tolerant, sed quo ipsi Itali.

In eosdem, de Pignus & Hypotheca Cap. LVII.

ff.lib.20. tit. 1. ca.5 INter pignus & hypothecam tãtùm nominis sonus differt. Hæc Martianus. VIpianus uerò: Prioris pignus dicimus, quod ad creditorẽ transit: hypothecam, cùm non transit possessio ad creditorem. Ego magis cum Martiano sentio: Iustinianus cum VIpiano in Institutionibus, dicens: Nam pignoris appellatione eam propriè rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maximè si mobilis sit. At eam, quæ sine traditione, nuda conuentione tenetur, propriè hypothecæ appellatione contineri dicimus. Sed non esse hanc differentiam, ex eo argumentum est, quòd alterum Latinum, alterum Græcum, suæ utrunq; deseruiens linguæ. Pignus autem non tantùm creditori datur, sed inter paratos secum decertare mutuò offertur, & apud sequestrum deponitur. Vergilius in Bucolicis:

ff.li.13.ti. 7.cap.9. & Li.4.tit.6

Ego hanc uitulam (ne fortè recuses,
Bis uenit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)
Depono. tu dic, mecum quo pignore certes.

Qui tamen sensus rarissimus est. Nam illo figurato crebriùs utimur, ut apud eundem:

Pignero. Oppignero. Repignero. * Ali. sentit autor Cornuco.

Ipse pater dextrã Anchisès, haud multa morantis,
Dat iuueni, atq; animum præsenti pignore firmat.

Quasi dicat, securum facit, ut qui dat. A priore significato dicimus Pignero, & * Oppignero, hoc est, do aliquid arraboni, quam quidam arram appellant. Et Repignero, quod est recipio pignus soluto debito. Propter

Propter hæc uerba quidam (quorum est Priscianus) existimant Pignus in hunc sensum, & in alium proximum, habere genitiuum Pigneris: in illum, quo significamus filium, & per abusionem cõiunctissimas sanguine personas, haberi genitiuum Pignoris. Vnde enim Oppignero, & Repignero (inquiunt) haberemus, nisi Pignus Pigneris faceret? Non inepta quidem ratio: sed quid respondebunt, quum habeamus Fœnus Fœnoris, facit tamen Fœnero, & Fœneror. Idem Priscianus ait: Antiquos dixisse etiam Fœneris. Nec tamen, ut ei credamus, exemplo probauit. Quid quòd ex Frigus Frigoris fit Refrigero? quid quòd ex Tempus Temporis fit Tempero? ex Litus Litoris fit Oblitero? ex Penus Penoris (ut sentio) fit Penetro, addita t, quasi ad locũ penoris intro. Tam enim Penus quàm Penetro breui prima syllaba est. Ac mihi quidem propria & uera pignoris significatio esse ea uidetur, undè uerba deriuãtur. Nihil enim illi alij significato cum his uerbis, & filij (ut sentio) non alia ratione appellati sunt pignora, nisi quòd pignus quoddam inter coniuges sunt, tum uinculi, ne aliter fortè diuortium fieret, tum charitatis. Cuius rei argumentum est, quòd legimus sæpè Pignora filiorum, ut apud Suetonium in Tyberij uita: Communis filij pignora. Et iterum: Tam marium, quàm fœminarum pignora.

Ex proprietate quidẽ sermonis uera est VIpiani sentẽtia, siquidẽ à Pugno, Pignus dicitur. Et ideo in rebus mobilibus oppositis, pignoris uoce utimur: in immobilibus uerò solẽt ueteres Iurecõsulti potiùs Græca uoce uti, id est hypotheca, q̃ Latinè suppositio dici põt, & ad utraq; eorũ sermo ne trahit. Catullꝰ oppositionẽ dicit:

Furi, uillula nostra non ad austri
Flatus opposita est, nec ad Fauoni,

Verùm ad millia quindecim & ducenta: subaudiuntur autem sestertia.

In eosdem de Ferrumino. Cap. LVIII.

FErruminatio (Caius apud Paulum ait) per eandem materiam facit confusionem: plumbatura non efficit. Idem sentire uidetur Pomponius, dicens: Si tuum scyphum alieno plumbo plumbaueris, alieno ue argento ferruminaueris: non dubitatur, scyphum tuum esse, & à te rectè uindicari. Scyphum enim argenteum intellexit. Cum his pleriq; non sentiunt, quorum est Plinius, qui lib. 10 ait: Nanq; surculo super bina oua imposito, ac ferruminato alui glutino, subdita ceruice medio, æqua utrinq; libra deportant aliò. Ferruminato dixit, quasi agglutinato materia illa. Idem undecimo, Et medulla ex eodem uidetur in iuuenta rubens, & senecta albescens: non nisi canis hæc oßibus, nec cruribus iumentorũ, aut canum: quarè fracta non ferruminantur. quasi, non glutinantur, nec coalescunt, & colligantur. Idem: Carrhis Arabiæ oppido muros domosq; maßis salis faciunt, aqua ferruminantes, quasi glutinãtes. Idem: Calcis quoq; usum bitumen præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. Idem: Ea maximè caussa, quòd fulto calcis sine ferrumine suo cæmenta componentes. quasi dicat, glutine. Et in eodem: Vitrum sulphuri, concoctum, ferruminatur in lapidem. quasi conglutinatur in formam lapidis. Idem: Infestantur plurimis uicijs, scabro, * ferrumine, maculosa nube, occulta aliquãdo uomica, præduro fragiliq; centro, quasi glutino, & commissura, siue iunctura, siue ligatura. Ergo ferruminatio nõ ubiq; per eandem materiam facit confusionem, sed interdum quoq; per aliam. Plumbatura per solum plumbum efficit

ff. lib. 41. ti. 1. ca. 27.

Cap. 33.

Ca. 37. ad finem.

Cap. 7.

Cap. 15.

Cap. 36.

Cap. 26.

Cap. 2.

* Ali. ferrugine, habet Plini⁹ à Cęsario, itẽ ab Erasmo recognitus.

cit confusionem, ut ipsum indicat nomen, si hæc confusio dicenda est.

Quum ferruminatio propriè sit ferri ipsius ui ignis liquefacti cõglutinatio: apparet, metaphoricè hoc uerbo uti Plinium: & ideo Iureconsulti sententiæ nihil aduersari. ALCIA.

In eosdem, de Veterator & Nouicius. Cap. LIX.

SEruus (ut est apud Venuleium) tam ueterator, quàm nouicius dici potest. sed ueteratorem nõ spacio seruiendi, sed genere & caussa æstimandum, Cælius ait: Nam quicunque ex uenalicio nouiciorum emptus alicui ministerio præpositus sit, statim eum ueteratorum numero esse. Nouicium autem non tyrocinio animi, sed conditione seruitutis intelligi. nec ad rem pertinere, Latinè sciat loqui, nec ne. nec ob id ueteratorem eum esse, quòd liberalibus studijs eruditus sit. Apud Vlpianum sic scribitur: Præcipiunt ædiles, ne ueterator pro nouicio ueneat. Et hoc edictum fallacijs uenditorum occurrit. Vbiq; enim curant ædiles, ne emptores à uenditoribus circumueniãtur, ut ecce: pleriq; solent mancipia, quæ nouicia non sunt, quasi nouicia distrahere, ad hoc scilicet, ut pluris uendant. Præsumptum est enim, ea mancipia, quæ rudia sunt, simpliciora esse, & ad ministeria aptiora, et dociliora. Trita uerò mancipia, & ueterana, difficile esse reformare. Quia igitur uenaliciarij sciunt, facilè decurri ad nouiciorum emptionem: idcirco interpolant ueteratores, & pro nouicijs uendunt. Quid tam contrarium, quàm hæ duæ Iurisconsultorum sententiæ? Quid magis absurdum, q̃ non dico inter eas non iudicasse, sed eas aut ambas scripsisse, aut contrarias esse nõ uidisse? Et quantô plura in rebus (ut coniectura ducimur)

ff. lib. 21. ti. 1: ca. ul.

Eod. tit. cap. 37.

esse debent, quum in uerbis tot sint, & tam manifestè contraria? Ego, ut instituto officio fungar, & inter hos duos sententiam feram (quandò alterius definitio â me tolli non potest) potior mihi uidetur Vlpiani opinio, & cum cæteris scriptoribus conuenire. Venalicia rij, mangones dicuntur uenalium hominum. Martial.

Venalicia rii. Mãgones

Millia pro puero centum me mago poposcit.

ALCIA. Quò magis rectè locutos esse Iureconsultos intelligamus, nec ullam esse hîc inter ipsos antinomiam, distinguendi tres sunt casus: Aut loquimur in uenditore seu mangone, qui mancipium distrahit, & ex edicto ædilium non potest ueteratorẽ pro nouicio uendere: tumq; nouicius, secundùm Vlpiani sententiã, ex tyrocinio seruitutis accipitur: uenerator, qui diu seruiuit, & iam in ea cõditione callum fecit. Aut loquimur in ipso patre familiâs, de seruis suis nouicijs ueteratoribusq; disponente: & quia hoc omne ab eius sententia depẽdet, pro nouicio habuisse uidetur, quem nulli ministerio præposuit: rursus, pro ueteratore duxisse, quẽ in ueteratorum numero habuit, ut quia muneri alicui ꝓposuit, in quod ueteratores describi solent. Meritò igitur Cælium sequemur, ut ex genere & caussa constituamus, quem dominus pro ueteratore habuit. Aut de caussa uectigalis agitur, & quum Respublica hac in re uoluntatẽ emptoris seu patrisfamiliâs non sequatur: simpliciter ueterator accipietur, qui anno seruiuit: nouicius, qui minùs anno: ut hic uectigal pendat, ille non pendat: & hoc casu Martiani sententia est probanda. Ex his igitur constat non inuicèm pugnantia scripsisse Iureconsultos, sed diuersa diuersis casibus tradidisse.

In eosdem, de In annos, Quotannis, ac similibus. Cap. LX.

NIhil interesse, Pomponius apud Vlpianum scribit, utrum in annos singulos, uel quotannis, an in singulos menses, uel quot mẽsibus, an in singulos dies, uel quot diebus legetur. Ipse quoq; huic sententiæ accedo. Próinde, & si quot anni legentur, tot anni idẽ erit

erit dicendum. Corrumpere est illud Vlpiane atque Pomponi Latinam linguã, non iuuare. Quis unquam dixit, Quot diebus, & nõ potiùs Quotidiè? quis etiam Quot mensibus, & non Singulis mensibus? Cur etiam non addimus, Quot horis, Quot noctibus, Quot lustris? Quòd si quis hoc modo loquatur, intelligimus quidem ex ipsa uerborum serie quid uelit: tamẽ ut barbarè locutum reprehendemus, & ne dẽinceps ita loquatur, admonebimus. Non autem formulam aliis loquendi trademus, ut uos facitis. Iabolenus melius: Vini, inquit, falerni, quod domi nascetur, quotannis, uel in annos singulos binos culleos hæres meus Titio dato. Quidam aduerbium hinc ducũt, quod est Annuatim, ut Plinius lib. 12 dicens: Herodoto teste, qui tradit singula milia talentum * annuatim thuris pensitasse Arabes regibus Persarum: Si codex uerus est.

ff.li.33.ti.1.cap.17.

*. Aliâs, annua, habet Frobenianus Plinij codex ab Erasmo recognitus.

Vlpiani & Pomponij locutionem, quam Valla reprehendit, apud Plautum quoq;, M. Catonem, & denicq; doctissimum omnium Varronem. Plautus in Stricho: Meministis quot calendis petere dimensum cibum. Cato de re rustica: Capita oleagina quot mensibus fodere oportet. Varro: Sacra quot mensibus feruntur in arcem, inuenire licet.

In eosdem de Turba & Rixa. Cap. LXI.

INter turbam & rixam, testimonio Vlpiani, recitissimè Labeo ait multùm interesse. Nanq; turbam multitudinis hominum esse perturbationem, & cœtum. Rixam etiam duorum. Videntur Vlpianus & Labeo sentire, turbam suapte natura significare multitudinem: ideoq; turbam in altero sensu esse perturbationem multitudinis. Ego uerò, primum & naturalem sensum esse perturbatione, quod docet uerbum ex ea significatione ductum Turbo, Perturbo, Disturbo,

ff.lib.47. tit.8.ca.4

Deturbo, Conturbo, quæ nequaquàm ad solam multitudinem referũtur. Et Turbo turbinis: & homo turbidus, qui est iracundus. Contrà; uinum, & multa alia turbida dicuntur. Ipsaq; Græca origo τύρβα approbat hunc eundẽ sensum. Cæterùm quia multitudo nõ ferè uacat perturbatione, et ipsam appellamus turbam, ut colluuiem homines uiles, & contẽptos dicimus, & fecem, & sentinam, non quòd homines sint sordes, fex, sentina, sed quòd sordidam & abiectam uitam agant. Terent. in And. Sed si tu negaris ducere, culpam in te ibi omnem transferet. Tum illæ turbæ fient. Inter quos hæ turbæ fient? nempe inter Simônem & Pamphilum, in quem omnis culpa transferetur. Ergo turba erit inter duos. At idem in eodem ait: Dij uestram fidem, quid turbæ est apud forum? quot illic hominum litigant? Ego non nego, aliquando turbam inter multos, quemadmodùm rixam non semper inter duos: cuius multa exempla sunt, sed etiã inter plures, ut apud Liuium: Eo anno Romæ cùm per ludos a Sabinorum iuuentute per lasciuiam scorta raperẽtur, concursu hominum rixa ac propè prælium fuit. Et non longè pòst: Cùm conuersus, in patres impetus esset, consulum intercursu rixa sedata est. Sed Terentius fortassè ideo adiecit, Quot hominum illic litigant: quia per uerbum Turbæ, nõ satis significatum erat, perturbationem esse multorum. Quanquàm & illud Turbæ non minùs pro multitudine hominum accipi potest, quàm pro perturbatione: quum præsertim de perturbatione adijciat, Quot illic hominum litigant. Sed uno loco non attinet disputare, ubi infinita suppeditant. Dixi à Turba fieri Turbo, cuius generis grammatici quidam uolunt esse pro ludicro illo

Act. 2. scena 2.

Act. 4. scena 4.

instrumento Turbonis, quod uel ex hoc falsum esse documentum est, quòd formam acumine fastigiato uocamus turbinatam, ad similitudinem ligni illius. Fallunt igitur grammatici in Turbo turbonis, quomodò in Cardo cardonis, quod ipsum inuenitur.

Labeo prius significatum Turbæ, id est, multitudinis: atq; indè factã posteà perturbationẽ: Valla perturbatio nẽ priorẽ contendit. Sed nec quos adducit authores, sententiam eius adiuuant, qui μεταφορικῶς potuerunt turbam etiam duorum dicere: nec etiam Græcus sermo τύρβα, in quo eadem potest esse hæsitatio. Et ut demus, opinionem Vallæ esse ueriorem: in edicto certè prætoris, quod Labeo interpretatus est, probabilior est Iureconsulti sententia. Verba edicti sunt: Cuius dolo malo in turba damnum quod factum esse dicetur: ea nõ possunt commodè de perturbatione intelligi, quæ semper eum afficit, cui damnũ infertur. necessariò igitur de multitudine accipiendum. ALCIA.

In eosdem, de Exauthoro. Cap. LXII.

IGnominiosa autẽ missio (si * Iuliano credimus) toties est, quoties is qui mittit, addit nominatim, ignominiæ se caussa mittere. Semper enim debet imperator addere, cur miles mittatur. Sed & si ita exauthorauerit, ut insignia militaria detraheret, inter infames efficit, licèt non addidit, ignominiæ caussa se ita exauthorasse. Pace tamen Iuliani, exauthorare, est ducem ab imperio suo dimittere, uel missum militẽ facere, illumq; donare missione militiæ plerunque: ut apud Quintilianum in milite Mariano: Pater huic emeritis bello stipendijs, tum, cùm tota subnixum Numidia fregimus Iugurtham, exauthoratas armis manus, agresti labori subegit. Tit. Liuius ab urb. cõd. lib. trigesimoquinto: Volonũ quoq; exercitus, qui uiuo Graccho summa fide stipẽdia fecerat, uelut exauthoratus morte ducis, à signis discessit. Et in uicesimonono: Vbi hoc modo ff. lib. 3. tit. 2. cap. 2. * Aliàs, Vlpiano.

exauthoratũ equitẽ cũ gratia imperatoris uiderunt, se quisq; excusare, & uicarium accipere. Et in sexagesimosecundo: Vbi is uenisset, omnes milites exauthorati domum dimitterentur, præter quinq; millia sociûm his, quos obtineri circa Ariminum prouinciam satis esse. Idem libro quadragesimoquinto: Postero die, concione aduocata, de rebus à se gestis, & de iniuria Tribuni bello alieno se illigantis, ut suæ uictoriæ fructu se fraudaret, cùm disseruisset, milites exauthoratos dimisit.

ALCIA. In ueteri republica Vallæ sententia posset procedere, quo tempore ex solo commeatu, uel ducis licentia, milites exauthorabantur: uerùm ordinata ab Augusto successoribusq; militia, à qua nõ nisi post uiginti stipendia mittebantur, tributa quoq; illis sunt militaria insignia: quorum detractio infamiam irrogat: quoniam non nisi turpi missione dimissis detrahuntur.

In eosdem de Depectus. Cap. LXIII.

ff. lib. 3. ti. 6. cap. 3. DEpectus (si Vlpiano credimus) dicitur turpiter pactus. Mihi autem pro simplici potiùs accipi uidetur, id quod in multis fit, ut Demiror, Deambulo, Desumo, Demonstro, Deosculor, Depingo, Deposco, Deuito, Degusto, Demoror, Deprecor, Demulceor. Quòd si quando reperiatur pro turpiter (quod non memini legisse me) id fit non magis ui præpositionis, qua hoc uerbum componitur, quàm ui ipsius uerbi, quod citra compositionem nonnunquàm turpem pactionem significat. Cicero in Paradoxis: Si quotidiè fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spolias, ærarium expilas, si testamẽta amicorum expectas, ac ne expectas quidem, atq; ipsa supponis. Hæc utrum abundantis, an egenis signa sunt? Exemplum uerò, quòd Depectus non significat turpiter

piter pactus, sed tantùm pactus, apud Terentium in Phormione: Ita me benè dij ament, ut nihil liceat tandiu quod amo, frui. Iam depasci morte cupio. Tale est hoc Terentij, quale est illud Vergilij: Vitamq; uolũt pro laude pacisci. Illud quoq; apud Marcũ Tullium secundo Rhetoricorum: Quidam cùm circunsideretur, neq; effugere ullo modo posset, depectus est cum hostibus, ut arma & impedimenta relinqueret, milites educeret. Itaque fecit, armis & impedimentis amissis, præter spem milites conseruauit. Non est accipiendum, pro turpiter pactus, ab authore esse positũ: quippe qui caussam narrat, de qua controuersia est, an ille turpiter pactus sit: non autem factum hominis damnat: & aliquoties factũ hoc, paulò pòst pactionem uocat: & in libris ad Herennium, hanc eandem rem gestam ita exponit, ut quod erat sui officij, neq; accuset, neq; excuset, sed tantummodò pactum inter Pompilium & Gallos ita fuisse significet: hancq; controuersiam ab accusatore atq; ab reo declamandam proponat. Aeneid. 5.

ALCIA. Mihi uidetur, & uerba Terentij ex Vlpiani declaratione posse intelligi, & etiam Ciceronis ad Heren. lib. secũdo: Depectus cũ hostibus, ut arma relinqueret. Sed & idem author in Verrem actione 5. Scitote biduum cibo tectoq; prohibitum, biduum in foro custodijs detentum, neq; antè demissum, quàm ad conditiones eius depactus est. His accedit, quòd huiusmodi prępositio quandoq; in malam partẽ accipitur, ut Desperatus, Demens, Dedecet, Deformis, Degener.

In eosdem de Gemma & Lapillus. Cap. LXIIII.

GEmmas, lapillosq;, Vlpianus sic distinguit, dicens: Gemmæ sunt pellucidæ materiæ, quas (ut refert Sabinus libris ad Vitellium) Seruius à lapillis eo distinguebat, quòd gemmæ essent pellucidæ materiæ ff. lib. 34. tit. 2. cap. 20.

teriæ, uelut Smaragdi, Chrysolithi, Amethysti: lapilli autem contrariæ superioribus naturæ, ut Obsidiani, Vetentani. Margaritas autem nec gemmis nec lapillis cõtineri satis constitisse, idẽ Sabinus ait: quia cõcha apud rubrũ mare & crescit, et coalescit. Murrhina autem uasa in gemmis non esse, Cassius scribit. Hoc falsum esse, pace horum quatuor Iurisconsultorum, cùm omnes authores probant, quorum titulum Plinius de gemmis non translucentibus fecit: & murrhina in gemmis numerat, & omnes lapides pretiosos, præter margaritam, uno nomine (quod tãtum lingua Latina habet) gẽmas appellat: tum ipsa ratio. Nam quis non uidet, lapillus, quod generale nomen est, omnium paruorum lapidum, sed subintellectione Precisus, idem esse, quod gemmula? Nam gemmas etiam accipimus multorũ *cubitorum inueniri, quas ut uerè lapides, non lapillos, appellare possumus: ita, cùm minutæ fuerint, lapillos appellare debemus. Quòd si lapides tam grandes translucidi nõ fuerint, siue pellucidi, quales sunt imperfecti, nunquid uocabimus eos lapillos? Quid hoc magis ridiculum? Quòd si etiam omnis lapis pellucidus gemma est, etiam Parium marmor, quod in modum uitri translucidum est, gemma erit. Postremò reperimus eiusdẽ coloris lapides quosdam permixtim constare ex pellucidis, & non pellucidis, & ita permixtos natura, ut non possis partem appellare gemmam, partem lapillum. Curtius libro octauo, Cùm dixisset, Gemmas margaritasq; mare litoribus infundit: paulopòst de eisdem Indis ait: Lapilli ex auribus pendentes: profectò pellucidi intelligendi sunt. Et iterum libro decimo, de rẽge Indo: Pendebant ex auribus insignes cãdore ac magnitudine lapilli. Margaritam

Margaritæ.

Murrhina.

*Vt Topazion gemma, ex qua facta fuit quatuor cubitorũ statua. Plinius li. 37. cap. 8.

garitam uerò, siue margaritum, quis negare lapillum possit, qui semper est pusillus lapis? Ego quidem candidos illos lapillos ex Indiæ rẽgis auribus pendentes, margaritas interpretor. Horatius (cùm inquit:

Nec magis huic intrà niueos, uiridesq; lapillos

de margaritis & smaragdis intellexit. Margaritam autem, sicut lapillis forsitan nego, ita gemmis fateor contineri, quod ferè omnes concedunt. Seruius tamen grammaticus, quasi multi aliter sentiant, inquit: Sanè multi separant gemmam à margarita, ut Cicero: Nullam gemmam, aut margaritam: Et gemmas uolunt dici diuersi coloris, margaritas uerò albas: uel gemmas integras, margaritas pertusas. Hæc Seruij opinio ab omnibus, & ab ipsa ueritate dissentit. Est enim margarita, quæ in concha nascitur, undè conchilium dicitur, quam uulgò perlam appellant. Hæc etiam uocatur unio (ut idem Plinius ait) quia nunquàm nisi indistincta reperiatur, estq; masculini. Nam fœminini illud, quo nunc quidam pro unanimitate utuntur, nec authoritate nititur (nescio enim apud quem reperiatur) nec arte, quum deberet esse masculini potiùs generis, ut Talio, Stellio, Curgulio.

Margarita.

Conchilium.

Vnio.

ALCIA.

Vt hîc in sententiam Iureconsultorum transeam, illud me in primis mouet, quòd etymus pro illis est. Videtur enim gemma dicta quasi gemina, propter translucentem naturam: déinde uidemus à similitudine in uitibus gemmas dici, ut Fabius author est, & in Catone Maiore Marcus Cicero. Vndè ostenditur, non ideo dici gemmas, quia magnæ sint. Idem & Plinij authoritate constat, in anulis gemmas deferri affirmantis: undè & dactyliothecæ dictæ. quod profectò maioribus non conuenit. Ad hæc, quæ rationes à Valla adducuntur, sanè quã frigidæ sunt: Lapillus, inquit, generale nomen est. Benè sanè: sed cũ translucet, peculiari noïe gemma dicitur. Rursus, Gemmas, inquit, accipimus multorum

rum cubitorũ inueniri. Accepit fortè à Luciano de Veris narrationibus. Miraculi certè loco refertur alueolus trium pedum in triumpho Pompeij ex duabus gemmis. Subijcit: Quid si non pelluceant, quia adhuc incomptæ & imperfectæ? atqui satis est si natura sua pellucent, possintq; manu artificis in hũc usum poliri. Addit, Hac ratione etiam marmor Parium gemma esset, quia translucidę est naturæ: quasi Iurecõsultus omnia translucentia definiat gemmam esse, & hunc honorem etiam speculis tribuat, qui de lapillis, non de marmoribus loquitur. Postremò inquit, Reperiuntur qui partim pelluceant, partim non pelluceant. Respondeo: de his nihil à Iureconsulto dictum, & fortè ex regula iuris qualitas potentior in his obseruaretur. Addit, secum sentire & Curtium, itemq; Horatium: quorum alter, Lapilli, inquit, ex auribus pendebant candore & magnitudine insignes: alter, Niueos, inquit, uiridesq; lapillos. Ipse quid horum uerba sententiæ nostræ obstent, non uideo, puto nec ipse Valla satis notat, quum absque scrupulo ex Iureconsultorum distinctione possint intelligi. Illud non differeor, differentiam hanc inter gemmam & lapillum non semper ab authoribus obseruari, ut cùm Catullus dixit: Aut pelluciduli delicijs lapides: aut Plinius, cũ generaliter sub capite de gemmis, oẽs lapillos descripsit. sed Iureconsultus de proprietate loquitur, non de abusu & translatione.

Apud Plinium li. 37. cap. 2

LAVRENTII VALLAE SEXTI *Elegantiarum libri finis.*

LAVREN

TII VALLAE AD IOANNEM TORtellium Aretinum cubicularium apostolicum, de Reciprocatione Sui & Suus, libellus plurimùm utilis.

Singularis tua Ioannes Tortelli, tum erga me beneuolentia, tum de meis, quantulæcunq; sunt, literis opinio, ijsq; præcipuè, quæ ad eloquẽtiam spectãt, facit, ut quidquid de elegantia linguæ Latinæ, qui primus ad eloquentiam gradus est, adnoto, id omne ad te potissimùm scribam: quum præsertim nihil eius generis tam exiguum proficiscatur à me, quod non tuo, nescio iudicio dicam an amori, magnum esse uideatur. Non repudiabis igitur hoc tanquam exiguum, quod de pronomine, Sui cum eius deriuatiuo adnotaui, uelut appendicem quæstionis illius, ubi quæ sunt huic cum genitiuis primæ & secundæ personæ communia, (quemadmodùm scis) disseruimus. Nam illic quæ trium omnium, hîc uerò quæ unius tantùm propria sunt, explicantur, eatenus prorsus, quatenus pertinet ad reciprocationem. Hui, dicet aliquis, perexigua, perexilisq; materia, nec satis scribi digna. Isti ego (uitandus est enim in principio maximè contemptus operis) affirmo, non talem sibi introgresso eam uisum iri, sed magnã, profundam, sinuosam, similemq; Labyrintho

rintho cuidam, etiam si Minotaurus non ineſſet: ut uerè liceat Vergiliano uersu dicere:

Aeneid. 6 Hic labor ille domus, & inextricabilis error.

Vbi utinam non plerique falleremur, non modò plebei, sed etiam principes in dicendo, ac Theseo pares, quo filo illo Ariadnes aut non utimur, aut abutimur. Neque de nostra tantùm memoria, uerùm de aliquot iam proximis sæculis loquor, in quibus uix quisquam uicio hoc non laborauit, uel utendi isto pronomine, cùm non oportet, uel nõ utendi, cùm oportet. At quàm usitato, quàm necessario, quantæ etiam dignitatis uocabulo! Etenim (ut supersedeam de genere hoc toto dicere) quantum grammaticis, dialecticis, philosophis, utique in ijs quæ metaphysica uocant, quantũ Theologis, Iurisperitis, oratoribus, quantum denique omnibus sermone utentibus conducit rerũ uerborumq; interpretatio, quod proprium est eloquentiæ? Certè hoc, cuius uim iusq; interpretamur, tanti faciendum est inter cætera uocabula, quanti Pluton inter reliqua numina trium maximorum deorum, & unus & frater tertius. Rides uicissim comparationis hyperbolen. Tu uerò uel per me licet rideas tecum, etiam risurum, cùm (inquit Horatius) ridentem dicere uerum, nil uetat. Rideas, inquam, non derideas. Nam & propiùs ad ueritatem accedet mea superlatio ridicula, quàm tua cum detractione derisio. Nec nihil bella, nec inconcinna, nec inepta sanè comparatio erit. Siquidem quemadmodùm tres filij Saturni (si uetustati credimus) omnia inter se diuisere, ut Iupiter cœlum, Neptunus maria, Pluton inferos sortiretur: ita tertia pronomina & inter se germana, & inter cæteras uoces primaria, tum omnem personarum numerum complectũtur (Ego similem Ioui

Lib. Ser. 1 Saty. 1

Ioui, cuius prima est dignitas: Tu simile Neptuno, cuius secunda: Sui simile Plutoni, cuius tertia) tum omnia deriuatiua per totidem casus singula sibi uendicant. Nam quid est quod non meum, aut tuum, aut suum dici queat? & licèt Sui non contineat tertiam omnino personam, tamen illius ueluti fons est, per quem ipsum ea tota nuncupatur, ditius nimirum ac locupletius utroque aliorum. quoniam plures uoces possidet tertia persona, quàm reliquæ. Et hinc quoque Pluto ni comparandum, qui Dis à diuitijs, & eadem causa Græcè Pluton appellatur. & eô quidem magis, quòd sicut Pluton defectũ lucis sentit, eiusq; imperium omne ex alieno pẽdet orbe, quòd hinc illuc animæ descendunt, sine quibus non existeret illius regnum: ita Sui & defectum nominatiui habet, & nisi regimen eius aliunde pendeat, nequit subsistere: & (quod ad rem maximè facit) quemadmodùm Plutone præside benè male'que factorum iudicia exercentur, sic in usu dictionis huius benè maleq; loquentes præcipuè iudicantur: ut qui ex hoc iudicio absoluti discesserint, ij optimo iure tanquam ad Elysium eant, cum'que Vergiliano Anchisa dicant:

Quisq; suos patimur manes, exinde per amplum Aeneid. 6
Mittimur Elysium, et pauci læta arua tenemus.

Quarè si pronomen istud tãto deo comparari potest, cur eius tractatio perexigua perq; exilis existimetur? Libuit iocari Ioannes, dum nostram materiam, munus uidelicet in te meum, non esse tantoperè contemnendam, ostendere uoluimus. Sed id ipsa tractatio planum faciet, meq; non modò potuisse illam Labyrintho comparare, sed fortassis etiam intus Minotauro, id est, desperationem habenti. De cuius natura

& usu cùm alij ueteres Grammatici nonnulla, tum Priscianus (cui inter cæteros ferè tribuitur palma) permulta præcipit, & haud scio an ulla de re diligentiùs: ut mirer, sic lapsam loquendi consuetudinem defluxisse de uia. Nos huiusmodi erroris caussas (ut aberrantes reducamus in uiam) quoad facultas feret, diligentiùs tradere conabimur.

Caput primum, ostendens in quo distent Sui & Suus inter nos & Græcos.

PRincipiò (quoniã Priscianus pleraq; ad Græcam figurã reuocat, & hoc in primis pronomen de quo agimus) indicandum est, multa esse cum alibi, tum uerò hîc inter nos Græcosq; dissimilia. Primum apud illos Sui, id est, οὗ ὅι ἷις σφέ σφῆν, σφᾶς, σφῶν, σφίσι, σφᾶς, nõ sanè frequẽti in usu, & Suus, id est, ἑός, ἡ, ὸν, σφέτερος & in minus frequenti esse: apud nos uerò frequentissima, & q̃ usitatissima. Itemq; pro his duobus apud eosdem aliud pronomen, id est, ἑαυτοῦ, ἑαυτῷ, ἑαυτόν, usurpari, quod proprièest Ipsius ipsi ipsum ipso, uel ex utroq; compositum ἑαυτοῦ, & cæt. Et licèt nonnihil differant, tamen crebrò illud pro hoc ponu, ut uix scias quid inter ipsa intersit. Neq; me fugit, ad signandam differentiam illud aspirare solere, cùm pro hoc ponitur: sed nescio an omnes id scriptores obseruarint. Certè nec omnes ẽdi tiones seruatum habent, & quæ habent, uix ubiq;, & si ubiq; haberent, non tamen in totum linguæ Latinæ re sponderet. Præterea, hoc ipsum compositum primæ secundæq; personæ accommodari, nõ solùm tertiæ, ut πρόσεχετε ἡμῖν ἑαυτοῖς, apud nos (si uerbum fit è uerbo) absurdissimum, Attendite nobis sibi, siue nobis sibiipsis. Postsis, quum tantundem significet Nobisipsis. Posmò, apud Homerum, & si qui sunt alij, sexcentis in locis reperiri ὗ οἷ. hoc est, Sui sibi se, pro Eius ei eum eo, siue pro illius illi illũ illo, cuius authoritatem imitatum nostrorum inuenio neminem. ita & suam naturam interdum deserit hoc pronomen, & in locum sui um aliud succedere patitur. Quod nobis adeò denegatum est, sicut Mei & meus, Tui & tuus, ita Sui & suus nequeant alterum pro altero poni, quum non Latina sit, sed Barbara oratio, Ego amo amicum mei uel tui, Hic amat filium sui, pro Meum, tuum, suum, &, Hic me credit omnia facere amore meo, odio tuo, inuidia sua, pro Mei, tui, sui, quæ apud Græcos non est differentia. siquidem (ut alibi probauimus) sui, ut mei, tui, nostri et uestri, passiuè semper accipitur. Suus uerò, ut Meus, tuus, nostrum, uestrũ, noster, uester, possessiuè uel actiuè, quod Priscianum ignorasse ob Græcam forsitan imitationem, quàm mirum, tam uerum est. Quum ergo tot sint, à quibus Græca nostra dissentit oratio: non quid illi dixerint est intuendum, ne in eundem in quem nonnulli (sicut ostendam) errorem incidamus, sed quid nostri, quorum authoritatem imitamur.

Non esse tria genera constructionis prædictorum pronominum, sed reciprocationem sufficere. Cap. II.

HAec præfatus, ad rem ipsam uenio, cuius Priscianus tria genera facit. Vnum, quod uocat reciprocum, cùm pronomen in se ipsum reflectitur: ut, Cato amat se. Alterum, quod uocat trãsitionem, cùm per deriuatiuum eius loquimur: ut, Cato amat suum filium, siue, Catonem amat suus filius. Tertium quod uocat retransitionẽ, cùm accedit alterum uerbum, uel in primitiuo, sic: Cato precatur me, ut sui misereat.

uel in deriuatiuo sic: Cato precatur me ut sui filij mi-
serear. Sed optimum fuerit, eius ad literam subijcere
uerba, eaq; aliquãtò longiùs repetita (quoniam non in
unius tantùm quæstionis usum repetentur) quæ hæc
sunt. Possessiua uerò modis construuntur tribus, cùm
uerba uel à possessore in possessionem, uel à possessione
in possessorem, uel extrinsecus transferuntur. A pos-
sessore in possessionem: ut, Doceo meum filium, Doces
tu meum discipulũ, docet ille suum auditorẽ. A possess-
sione uerò in possessorẽ: ut, Pâret mihi meus filius, pâ-
ret tibi tuus cliens, pâret illi suus seruus. Extrinse-
cus: ut, Doces tu uel ille meum filium, Doceo ego uel
ille tuũ filium, Doceo ego uel tu suũ uel illius filium.
Sed meliùs hoc per transitionẽ: ut, Rogat ille me ut
doceam suũ filiũ. Quum enim Suum sit relatiuum, exi
git ut priùs cognoscatur persona possessoris Sui, ad
quam referatur. Et scienduũ, q; omnia possessiua, possess
soris quidem personã secũdùm primitiuũ significant:
possessio uerò ipsa est tertiæ personæ, ut Meus, tuus,
suus, quomodò & nomina, quibus iungũtur, ut Meus
pater, tuus filius: excepto uocatiuo, q; solus in primæ
personæ possessiuis inuenitur, cùm secundæ copulatur
personæ, ut: Mi pater, ô mea Tullia, ô noster Chre
mes: omnia tamẽ possessiua in genitiuos primitiuorum
non solùm nominibus, sed etiã uerbis transitiuis socia
ta, possunt resolui, ut: Amicũ meũ moneo, pro Amicũ
mei, &, Euãdrum filiũ Turnus interfecit, pro Euan
dri filiũ, &, Daunius filius ab Aenea uictus est, pro
Dauni filius. Hoc aũt interest inter possessiuũ pronó
men, ut Meus, tuus, suus, & primitiuum Mei, tui, sui,
quòd uoce possessiui genus & casus & numerus ipsius
possessionis ostenditur: & substantiua quidem uerba
possessiuis

possessiuis coniuncta, ad possessores referũtur, ut, Tu
us sum filius, & meus pater es, & suus est illius ser-
uus. Et aliquantò posterius. Nos uerò primitiuis
quidem, id est, sui, sibi, se, à se: uel per reciprocatio-
nem, ut, Sui potitur, sibi indulget: uel per retransitio-
nem utimur, ut: Hortatur me ille, ut sui potiar, Ro-
gat te ille ut sibi indulgeas: Possessiuis uerò, quum in
ea possessiuorum fiat trãsitio, ut, Sui serui miseretur,
& suo seruo prodest, & suum diligit. Nec aliter ta-
men potest supradictum possessiuum tertiæ personæ
construi cum alijs extrinsecus personis, nisi per re-
transitionem (quomodò & primitiuum eius) id est, nisi
priùs à possessore eius proficiscatur in aliam uerbi
personam & sic ab illa rursus ad possessionem tertiæ,
sicut & ad se, Rogat me ille ut suus seruus minis-
tret mihi uel tibi, Precatur me ut sui patris misere-
ar, Petit te ut suo prosis filio, Obsecrat Cicero Var
ronem, ut suũ eruditi gnatũ. Et notãdũ, q; cùm à ter-
tia in tertiã fit transitio personam, in dubium uenit,
possessio ad quã pertineat earũ: ut, Rogat iste illum,
ne suo noceat filio, ambiguũ, cuius filio, suo, istius an il
lius, id est, an rogantis, an eius qui rogatur: quomodò
& apud Græcos παρακαλεῖ πλάτων ἀριστοτέλην ἵνα τὸν ἑαυ
τῦ φίλον παυδεύσῃ, dubiũ sit, utrùm Platonis, in Aristo
telis sum. Hæc ille. Non uideo quid opus fuerit hac
diuisione, quum & alia genera & aliæ species esse pos-
sint, ut posteriùs apparebit. neq; hæc ipsa satis inter
se distincta sint. Quæ enim species hæc erit? Cato cu-
pit me amicũ sibi uel suum, Optat te coli à se et à suis,
Ait domum tuam se authore extructam, siue sua pe
cunia, Relinquam reipub. testimoniũ meæ in se uolun-
tatis, Rex est domi suæ lætus sua gloria, Sua quenq;

delectant, Terra per se stat, & alia plura, ut fortasse sicut expeditius, ita satiùs fuerit hæc omnia appellare reciprocationem, quod propemodum Priscianus ipse confitetur, cùm longè pòst inquit: Non aliter tamen hoc fit nisi priùs tertia persona uerbum aliquod (ut diximus) proficiscatur ad aliam extrinsecus personam, & sic ab illa per retransitionem ad eam reciprocetur aliud uerbum, ut, Rogat me ille ut ad se ueniam, Petit te ut sibi des, Hortatur milites imperator ut se largo potiantur. Quapropter hoc tanquàm generali uocabulo (si modò ausim dicere) solo uti possumus.

Vndè dicta sit Reciprocatio. Cap III.

QVod ex eo dictum est, quòd sicut reciprocatur spiritus cùm recipitur, & unda uicißim alluens littus, & Euripus ad pristinum sibimet cursum rediens reciprocus est: ita hæc pronomina alterum primitiuum, alterum deriuatiuum ad id, undè prodierãt, reuocantur. Quod Græci ἰδιοπάθειαν & ἰδιοπαθῆ uocãt, Priscianusq; interpretatur sui passum, & sui passionem, tum durè, tum minùs aptè, quia Sui (ut diximus) tantummodò passiuè accipitur. Satis autem erat, Reciprocum & Reciprocationem dixisse.

Quomodò solœcismus admittatur in Sui & Suus. Cap. IIII.

ET hac quidem quomodò sit utendum, ex superioribus liquet. Quo'nam autem modo aliqui abutantur, Priscia. ostẽdit, inquiens: Tertiæ uerò personæ possessiuũ sine uoce alterius significante possessorem suum, non potest adiungi alij personæ per se. Si enim dicã, Seruus suus ministrat mihi uel tibi, solœcismum facio, propemodum ipse præceptor hoc pronomine abu-

sus est. Ego dixissem Ipsius, ut referatur ad possessiuum, potius quàm Suus, quod referri uidetur ad uocem alteram, quod ille non sentit. de quo latiùs postea. Sed cur de primitiui solœcismo omisit exempla? quæ res multum faciebat ad hoc uicium deuitandũ. ut, Ego dixi sibi, Non est sibi curæ respub. Tu fuisti secum, pro eo quod est, Ego dixi ei, Non est ei curæ respub. Tu fuisti cum eo. An quod tẽporibus eius in hoc nunquam, aut uix unquam peccabatur? quippe quum hac quoq; tẽpestate minus in Sui peccetur quam in Suus. Sicut enim datiuo & ablatiuo postpositæ præpositione Eum, prout exemplis docui, & nonnunquam for sitan genitiuo, ut, Feci amore sui, uulgus utitur: ita non utitur accusatiuo ablatiuoq;. Quis enim è uulgo sic loquitur? Vidi sẽ, Pergo ad se, Indigeo se. Redeo ad se? profectò (quod sciã) nullus, ut si rectè ratiocinamur, minor sit eius pars in qua peccatur, utpote non planè per duos casus, at uerò in Suus per omnes, per nominatiuum: quale fuit Prisciani exemplum. & in apposito, ut, Hoc est opus suum: per obliquos, ut, Ego sum amicus patris sui, Tu non places filio suo, Legisti librũ suũ, Pone hoc ad pedes suos, Libris suis fruor, In hortis suis cœnauimus, pro Eius, siue Ipsius, siue Illius. Quæ dici nõ Latinè, si qua ratio est, reddi ista potest. In primitiuo quidem, quòd cùm inter hunc modum loquendi, quem reformidant, & illum, quo utuntur, nihil intersit, palam est eos (semper enim falsitas se ipsa cõuincit) sua confessione peccare, ut nuper quendam literarum Græcarum ignarum, quem, quòd negaret propter loquendi consuetudinem dicendum esse Aristoteles, ita sum percontatus, non'ne Aristotelicus omnes dicũt? Cumq; ille respõdisset, Etiã: Ergo

inquã,etiã uestro testimonio dici debet Aristoteles,nõ Aristotiles,ut fieri possit Aristotelicus. In derivatiuo autẽ,quod consequẽs est,quum hoc sit eiusdem naturæ,quòd illi tanquã genitori,uel domino,uel duci non licet,id huic uel filio,uel militi non licere.

Prima causa cur Sui & Suus abutamur, pro Eius uel Ipsius uel Illius Cap. V.

VErùm hîc quispiam, neq; hac mea ratione contentus,neq; Prisciano satis fidei habens,aget nobiscum authoritatibus, opponetq; Vergilianum illud:

Aeneid. 4 Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi,
Nanq; suam patria antiqua cinis ater habebat.

Quod haud dubiè illi simile est:Seruus suus ministrat mihi, siue Seruum suum uidi, & cætera, quæ protuli pauloantè per omnes casus exempla.Vbi etsi abest ad quod referatur Suus,id tamen subauditur.nemo enim dicit suus,nisi de eo cuius habita sit mẽtio:ut si roganti,Vbi est Titus?respondeas Nescio,seruus suus est hîc,uel seruũ suũ uidi. In quo,si solœcismus est,& in uersu Vergiliano sit necesse est.Sin in hoc non erit,falsò ait Priscianus in illo esse.Quid igitur ad hoc dicemus? Si Vergilium damnamus tantum uirum, & poëtarum Latinorum longè principem,quis ferat? & non eius authoritatem qualibet ratione potiorem existimet? Sin Priscianum,iam omnis huius rei ars subuertetur,nullamq; aut superuacuam maximorum authorum fuisse dicamus obseruationem oportet. Ego etsi uideo Priscianum (si modò animaduertit) hoc dissimulasse,tamen ipse non dissimulabo,aut iam non dissimulaui potiùs:quippe qui superioribus exemplis simile esse confessus sum. Sed uel poëticam licentiam excusandam

sandam reor, uel operis imperfectionem. Etenim credere libet,Vergilium, cùm talem quendam uersum faceret:

Nanq; suam patria liquerat tellure sepultam,

impeditum prima syllaba uerbi lõga,mutasse formam dicendi,atq; ita in solœcismum(si dictu fas est)incidisse:an non illud huic ex superiore libro,etsi non persimile,tamen non dissimile prorsus est:

Viuite fœlices,quibus est fortuna peracta, Aeneid.3.
Iam sua. –

pro Vestra positum est Sua. Quòd si quis dicat,posse tum esse pro Propria,recteq; hoc dici,ut id recte dicetur:Viuite fœlices quib. est fortuna peracta. Iam Propria hîc nihil dicit, quum Suum etiam pro Proprio acceptum naturã tertiæ personæ nõ imitetur,nemoq; sic loquatur,Est mihi aut est tibi suus scribendi mos,quũ tamẽ dicamus,Est mihi, aut est tibi proprius scribẽdi mos. Nã in illo huius eiusdẽ poëtæ uersu:

Quisq; suos patimur manes, – Aeneid.6.

non refertur id Suos ad primam personam: quia sic resoluenda est oratio,Nos patimur manes,sed quisq; nostrûm suos. Eiusmodi passim reperiũtur exempla: ut,Cùm in bibliotheca nos ad suum quisq; studium libros euolueremus. Non est autẽ huic Vergiliano,de quo disputamus,Ouidianum illud simile:

Respice Laërten, ut iam sua lumina condas, In principio Heroïdum epi. 1

ubi nonnihil rationis est, quod utrunq; uerbum eidem suppositio seruit. Hæc igitur Vergilij authoritas (& si qua sunt eiusmodi apud alios loca, quorum nonnulla posteriùs attingam)prima extitit caussa,ut iam causssas enumerare incipiam, uulgaris erroris.

Secunda eiusdem caussa. Cap. VI.

ALtera, quòd nonnullis in locis siue hominum siue temporum culpa libri corrupti sunt: ut apud Ciceronem in Sallust. Quod si istius uitæ memoriam uicerit, aliam patres conscripti, non ex oratione sed ex moribus suis spectare debetis. quem locum (nisi emendetur) non confido me expositurum. At qui se exponere posse confidunt, ut in tota sententia, sic in uerbo Suis quid ratio poscat, nõ respiciunt: nec solùm communis est huiusmodi menda librorum, sed etiã priuata in suis cuiusq; codicibus. Nec aliunde factum est, ut, Que encliticam quidam præponant (quorum sunt Ebrardus & Alexander) nisi quòd Vergilium malè legunt, ut in illo uersu:

Aeneid. 8. Se satis ambobus Teucrisq; uenire Latinis,

pro Latinisq;.

Tertia caussa. Cap. VII.

ATque hæ quidem causæ citra nostram forsitan culpam sunt. Totidem autem quæ sequuntur, nobis utiq; assignãdæ sunt, nonnihil ex duabus superioribus alimenti sumentes. Prior, quando non prædemus quò referatur hoc pronomen, quadam ambiguitate decepti, ut apud Vergil.

En Priamus, sunt hîc etiam sua præmia laudi.

Et apud Quintilianum: Itaq; accedam in pleriscq; Ciceroni, atq; in ijs ero, quæ indubitata sunt, breuior, in quibusdã paulùm fortasse dissentiã. Nam cùm etiam iudicium meum ostendero, suum tamen legentibus relinquam, quasi id suum de Cicerone dicatur, non de legentibus. Et alibi, dum idem author cur Ciceronis exemplum contraxerit, inquit: Quæ quia erãt longiora, non suis uerbis exposui: Suis acciperent plerique pro Ciceronis, quum sit accipiendum eo modo, quo illud

lud: Exponam altercationem nostram suo ordine, ac suis uerbis. Idem quoq; in primitiuo contingit, ut apud eundem: Nam & de filio nihil aliud perdiderat misera, nisi dies: nec iam timebat, nec ille, quo fruebatur, mori posset planctibus, lachrymisq; (penè improbè dixerim) parciùs utebatur, nec sibi permittebat dolor lugere uenientem. Nam id sibi ad dolorem refertur, non ad matrem. Permulta sunt huius generis exempla, in quibus errandi ambiguitas est caussa ex quadam rei similitudine nobis labantibus: ut quia illud benè dicitur, Adolescens assiduè à me increpatur, obiurgatur, castigatur, hoc suis nõ placet: uideatur & hoc benè dici, Adolescentem assiduè increpo, obiurgo, castigo, quod suis non placet, quod ipsarum statim iudicio aurium probabile est: hoc autem secus, & perinde est ac si dicas, Me increpare adolescẽtem assiduè, obiurgare, castigare, suis non placet: nisi quis uelit uerba hæc actiua passiuè resolui posse, & huius generis locum illum esse Ciceronis: Qui autem annus ei primus ab honorum perfunctione aditum, omnium consensu ad summam authoritatẽ dabat, is eius omnem spem atque omnia uitæ consilia morte præuenit. fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriæ, graue bonis omnibus. Illud transeo, quod in neminem nisi stultum cadat: ut hoc non intelligat, quale est apud Quintilianum: Tu prima docuisti sibi non parcere, potius quàm plus flere: ubi subauditur Illum, ut sit, Tu prima docuisti illum sibi non parcere, seu suis.

Quarta caussa. Cap. VIII.

POsterior (quæ eadem quarta est) caussa, quod uidemus indifferens esse, an quis dicat, Omnes optant quod sibi utile est, uel, Quod ipsis utile est. Illo re

petit quod suum, siue quod ipsius est, Quisq; uult quod sibi uel quod ei siue ipsi expedit, prodest, conducit, placet: idq; apud summos quosq; scriptores. Cicero pro Marcello: Multi dubitabant, quid optimũ esset, multi quid sibi expediret. Idem pro Liga. Legatus in pace profectus, in prouincia pacatissima ita se gessit, ut ea pacẽ esse expediret. Idem in Philippicis: Dicit enim, si quis eorum qui priùs se rogati essent grauiorẽ sententiam dixisset, in eam se iturum. Quintilianus in milite Mariano: Neq; ignorauit quæ manerent eum pericula. Dixi de Is, dicã de Ipse, addamq; de Ille. Cic. pro Rabirio: Nec enim cuiquam eius cõsilium uehementiùs quàm ipsi displicet. Et in Officiorum 3, Vas factus est alter, ut si ille non reuertisset, moriendum esset ipsi. Et in Officiorum primo: Homo qui erranti comiti monstrat uiam, quasi de suo lumine lumen accendat, facit ut nihilominus ipsi luceat, cùm illi accenderit. Idem pro Marcello: Est uerò fortunatus ille, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum uentura sit, lætitia peruenerit. Quintilianus in Pariete palmato: Quapropter non petit ut illũ miserum putetis, nisi & innocens fuerit. Et in milite Mariano: Affirmo tibi C. Mari, nõ sic nuper repugnasset, si illũ Tribunus uoluisset occidere. Adijciam unũ de libris ecclesiasticis exemplum, de quibus posteà locuturus sum: Iusiurandum quod iurauit ad Abraam patrem nostrum, daturum se nobis, Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi In sanctitate & iustitia coram ipso. Aliquando uidere licet, ubi desideres Eum, ibi esse Se: & rursus, ubi Se, ibi Eum. Cice. pro Ligario, Atq; hæc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cùm de se eadem dicerem, ignosce

ignosceret. Et per amphibologiam libro Offic. primo: Nam negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiã omnino dissoluti. Non ne licebat hîc dicere, Quid de eo quisq; sentiat, ut in illo eiusdem pro L. Sylla: Quid est huic quod eum in hac uita teneat? Et diuersò alibi, Hic igitur Titus Ligarius, qui tum nihil aliud egit, neq; enim hoc diuinabat, nisi ut tu eum studiosum & bonũ uirum iudicares, nũc à te supplex fratris salutẽ petit. Vbi ego citius dixissem Se, quàm in illo eiusdem ad Atticum: Subqueruias literas miserat, q; quædam constituta à se rescinderem: cùm non minùs bellè diceretur, Quòd quædã ab eo siue ab ipso. Hanc eandem differentiã agnoscas interuẽtu præpositionis, sed magis in Ipse q̃ in Is. Quintil. 5 Institu. Nec libenter exemplum, quod in se fortasse recidat, facit. Idem in 6: Quanquam aliqui reperiuntur, qui ne id quidem, quod in ipsos recidere possit, euitent. Sæpè duo hæc coniuncta reperias, uel nulla, uel aliqua interueniẽte præpositione, & præcipuè Inter: ut idem in decimo: Quum sit diuersa nõ earum modò inter seipsas cõditio, sed in singulis etiam partibus caussæ: sintq; alia leniter, alia asperè, alia concitatè, alia remissè, alia docendi, alia mouendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque diuersa inter se ratio est. Huius præpositionis & illa proprietas est, quòd nihil interest, an Se, an Ipso utaris, cùm antecedit uel genitiuus (ut in proximis exemplis, & in hoc Tulliano: Nec mihi cæterorum iudicio uidetur solùm, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse) uel datiuus aut ablatiuus, ut apud eundem Quintilianum: Circa quem inexplicabilis est grammaticis inter ipsos & philosophis pugna est.

Et

Lib. 10

Et iterum: Nam in magnis quoq; authoribus incidũt aliqua uiciosa, & à doctis inter ipsos etiam mutuò reprehensa. Secùs, quoties antecedit nominatiuus, accusatiuus'ue, ut apud Ciceronem: Vt enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipso, quòd inter se omnes partes quodam lepôre consentiunt. Et iterum: Damonem et Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse. Vbi ego non ausim dicere Inter ipsas, & Inter ipsos. Nã illud ab hoc genere diuersum est, quale apud Quintilianum: Nemo igitur dubitauerit, longè esse optimum genus Atticorum, in quo, ut est aliquid inter ipsos commune (id est, iudicium acre tersumq; ita ingeniorum plurimæ formæ. Hactenus exempla de Sui, nunc de Suus proferam. Cicero Officiorum (undè modò protuli exẽpla) libro primo: In primisq; uersutum & callidum factum Solonis, qui (quô & tutior eius uita esset, & plus aliquãtò reipublicæ prodesset) furere se simulauit. Et in eodẽ: Illa tamen præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate. Rursum in tertio: Quid Agamemnon? cùm deuouisset Dianæ quòd in suo regno pulcherrimum natum esset. Et in eodem: Piscatores ad se conuocauit, & ab eis petiuit, ut ante suos hortulos postera die piscarentur. Inusitatius in eodem: Quid dominus nauis, eripiet'ne suum? minimè, non plus quàm si nauigantem in alto eijcere de naui uelit, quia sua sit. Nec minùs inusitatè pro L. Sylla, si modò syncera scriptura est: Sylla, si sibi suus pudor & dignitas nõ prodesset, nullum auxilium requisiuit. Vtrunq; probatur ex altero: illic quidem licuisset dicere, Quo tutior sua uita, & quæ erant in sua potestate: hîc autẽ, Quod in ipsius regno, & ante ipsius hortulos

suos, & Quia eius illa sit, & si ei suus pudor. Cæterùm in ijs testimonijs duplicia uerba fuêre: quid ubi sunt singula? Nempe idem fieri uidetur, nec differre utrum dicas, Cepi columbam cum pullis suis, aut cum pullis eius, Inueni turturem in nido suo, an in nido eius, Expuli leonem ex antro eius, an ex antro suo, Necaui lupam & catulos suos, an et catulos eius, siue ipsius, Tuetur nos Deus propter suam clementiam, an propter eius, ipsius'ue clementiam. Ante domum suam me inclamauit, & ante domũ eius, ipsius'ue & similia. Ego uerò ita sentio, cùm non interuenit copula, non licere uti Suus: quia nulla tunc est reciprocatio. Ideoq; nõ Catulos suos dicendum, sed Eius. In cæteris, si substãtiuũ pronominis Sui, respicit ad suppositum, Suus utiq; dicendum: sin ad appositũ, sæpius Eius dici, siue Ipsius, siue Illius. Ad suppositum, ut, Tuetur nos Deus propter suam clementiã, non propter eius: quemadmodùm dicimus, Tuetur nos Deus sua bonitate, non eius bonitate. Inclamauit me ante domum suam, non ante ipsius, quemadmodùm dicimus, Retecit me domo sua, non domo ipsius siue eius. Ad appositũ, ut, Amamus Deum propter bonitatẽ eius, Allocutus sum hominem ante domum eius, libentiùs dixerim quàm suam. Item, Cepi columbam cum pullis eius, Inueni turturem in nido eius, Expuli leonem ex antro eius: nec tamen ratio obstat, quin Ex suo dicatur, ac ne authoritas quidem Ciceronis de republica libro sexto: Itaq; ego illum de suo regno, ille me de nostra republica percontatus est. Terentius in Adelphis: Suo sibi hunc gladio iugulo: nisi si quod addatur apposito adiectiuum, uerbum'ue, ad quod fieri reciprocatio debeat, quod genus est: Inueni leonem iratum

tum ac sæuiorem ob amissam prædam suam. Video columbam tristem in periculo pullorum suorum. Nostri illum minus suo quàm suorum casu perterritum. Sentio hominem ambulantem per domum suam, non per domum eius. Item, Scio illum dolere fortunam suam. & in primitiuo quoq;, ut, Opinor hunc agnoscere contemptum sui. Illud transeo, neminẽ posse errare, cùm Suus est substantiuum, ut, Eius, aut Ipsius, aut Illius utatur, ut, Comperi illum cum suis, siue inter suos: quinetiam uix erratur, cùm accipitur pro proprio, ut, De hac re dixi suo loco non ipsius, &, Referam hæc omnia suis locis ac temporibus, non eorum.

Caussa cur Eius, Ipsius, Illius, abutamur pro Suus. Cap. IX.

AT que ex ijs quidem, quæ commemoraui, non modò factũ est ut multi pro Eius, siue Ipsius, siue Illius, uterẽtur Suus, uerumetiam ut econtrario pro hoc illis abuterentur (de qua solœcismo nullam facit Priscianus mentionem) qualia sunt mea proxima exempla, ut, Video columbam tristem in periculo pullorum eius, uel, Columba luget pullos eius, & quale Donati grammatici (ut grãmaticos potissimùm suæ artis admoneam, si modò Donati grammatici libellus est de uita Vergilij, in quo alterius quoque generis uicia deprehendas) ait enim loquens de Vergilio: Voluit etiam eius ossa Neapolim transferri, ubi diu & suauissimè uixerat. Ac paulò ò: Translata igitur iussu Augusti eius ossa (prout statuerat) Neapolim, fuêre sepulta uia Puteolana intrà lapidem secundum, suoq; sepulchro id distichon, quod fecerat, inscriptum est. Et iterum: Item rogauit, quo pacto quis altam felicemq; eius fortunam seruare posset. Superius uerò: Quod cùm magister stabuli Augusto rectè tasset, duplicari sibi in mercedem panes iussit. & alibi aliquoties Sibi uel Suo pro Eius, & Eius pro Suo uel Sibi. Verùm è Græca quoq; figura non minimum caussa accessit huic errori, id quod me pollicitus sum ostensurum. Nam cùm pro uno αὐτῦ liceat dicere tum Suus, tum Eius, tum Ipsius, tũ Illius: nõ tamen quodlibet semp tardus aut indiligẽs interpres, quãdo hoc, & quando illud competat, nõ dispicit. Quo uicio in interpretatione quidem ecclesiasticorum librorum omnes interpres decepit lingua peregrina. Sed nos indigni reprehensione, qui maioribus credimus: illi uerò digni, qui maioribus suis credere noluerunt. Quô magis ex ijs præcipuè uiciosa à me sunt exempla proferenda, ut errorem nostrum, ubi fontem eius agnouerimus, deuitemus, quum tamen ex hoc nec contumelia ulla fiat libris ecclesiasticis, Hebræa tãtùm aut Græca lingua loquentibus, nescio an honor potiùs habeatur nec magna eorum traductoribus, si modò dignitatis horum ratio habenda est, qui uel incerti sunt, uel ignoti, uel inter se dissidentes. Hoc mihi dissimulandum non fuit uel ob id, ne quis mihi istorum obijceret authoritatem. In Psalmis igitur (quos Hieronymus certè non transtulit) ubi pleraque huiusmodi rectè translata sunt, illud non rectè, A gloria eorum expulsi sunt, pro A gloria sua. Et iterum: Qui exacuerunt ut gladium linguas eorum, pro Linguas suas. Et iterum: Saturati sunt filijs, & dimiserunt reliquias paruulis eorum, pro Suis. Et iterum: Perierunt propter iniquitatem eorum, pro Suam. Neque uerò me latet, in quibusdam codicibus rectè legi, Sua, suas, suis, suã. Sed ego rem, nõ hominẽ noto, nec nõ ibi,

Et

Et abstulit sicut oues populum eius: quod melius alibi legitur Suum, sicut ibi quoq; Sicut locutus est per os sanctorum suorũ, qui à sæculo sunt prophetarũ eius. alibi meliùs: Per os sanctorũ prophetarum suorum, qui à sæculo sunt. In his omnibus Græcè est genitiuus αὐτοῦ, αὐτῆς, αὐτῶν *ille pluralis, hîc singularis. Aliquando etsi Eius, seu Ipsius, seu Illius tolerari potest, tamen Latinius est Suus: ut in eisdem Psalmis, Neq; descendet cum eo gloria eius, pro Sua, tametsi aliqui non legunt Eius. Et iterum: Desiderium cordis eius tribuisti ei, & uoluntate labiorum eius non fraudasti eum, pro Sui & Suorum. Et iterũ: Brachium eorum non saluabit eos, pro Suum. Et iterum: Benedicite domino omnes angeli eius, benedicite domino omnes uirtutes eius, benedicite domino omnia opera eius, pro Sui, suæ, sua. quale est illud in Apocalypsi: Opera enim illorum sequũtur illos. quod ego citiùs dixissem, Opera enim sua. Huius tamen generis non est si interuenit uerbum, ad hunc modũ: Quòd pater non amarit te, siue patrẽ non amasse te, probat ipsius testamentum potiùs, quàm suum. ut est apud Quintilianum libro primo: Quomodò & ipsum & Vergilium quoque scripsisse, manus eorum docent. Nam apud Psalmographum: Omnia à te expectant, ut des illis cibum in tempore, dante te illis colligẽt, Illis pro Sibi positum est. De secundo Illis magis loquor, quòd Sibi quoq; translatum inuenio. Suo autem pro eius (quod superioris generis uicium est) illic: Ad nihilum deductus est in conspectu suo malignus. Et iterum: Si autẽ dereliquerint filij sui legem meam: quamq; lego in quibusdam æditionibus utrobiq; eius. Et iterum: Anima autem mea exultabit in domino, & delectabitur super salutari*

lutari suo. nam id Suo ad dominum refertur, non ad Animam, quẽadmodum Græcè αὐτοῦ: *at ibi nescias an uarietate gauisus interpres sit: an consilio mutauerit. Quoniam secundùm altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam super timẽtes se. Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se. Et in eodem Psalmo paulopòst: Misericordia Domini ab æterno & usq; in æternum super timentes se, & iusticia illius super filios filiorum, his qui seruant testamẽtum eius. Et, Memores sunt mandatorum ipsius. Pro his quinque nostris, Suam, Se, Eius, Ipsius, Illius, unum est pronomen Græcè,* αὐτοῦ αὐτῶν αὐτῆς. *Idem quod modò dixi, quod nunc aspiretur nec'ne, nõ attinet dicere, ut taceam raris in codicibus Psalmorum reperiri hanc diligentiam. Nam cæterorum ecclesiasticorum librorum in nullis adhuc reperi, nec eam (iudicio meo) satis exactam. Vter tamen sermo melior, Super timentes se, an super timentes eum? lucis duntaxat gratia, Super timẽtes eum, uel ipsius interpretis testimonio, qui priorem quodammodò posteriore correxit, nisi uarietatis gratia id fecit. Huius generis ille quoque locus est: Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. quòd si dixisset, Aduersus eos qui ipsos angustiauerunt, obscuritatem deuitasset, ut taceam quòd magis ad uerbum etiam transtulisset.*

Quomodô uitetur amphibologia in Sui & Suus. Cap. X.

Enimuerò euitatur obscuritas hæc amphibologiæ per aliquod ferè trium pronominũ, Is, Ipse, Ille, quæ cũ alijs duobus Sui et Suus modò pugnant,

modò conueniunt, ritu Troianorum puerorum, ut est apud Vergilium:

Aeneid. 5. Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula uertunt
Infensi, facta pariter nunc pace fruuntur.

Mutaui modò Se in Ipsos: mutabo alio exemplo in Eos, ut fecit interpres superiùs in Psalmo, si tamen mutasse dicendus sit. Cice. in Bruto: Is soceri instituto quẽ (quia cooptatus in augurum collegium nõ erat) non admodùm diligebat, præsertim quum ille Quintum Scæuolam sibi minorem natu generũ prætulisset. Nam id Sibi (ut Quintiliani uerbis utar, qui eum notat) & ad socerum referri, & ad Fannium potest. At si dixisset Ei, de Fannio utiq; locutus intelligeretur, aut si Ipsi, aut si Illi, sic præsertim quum is Quintum Scæuolam illi. Et ego quidem deuitare cupio amphibologiam. At Priscianus (cuius hoc erat officij) cùm eam notat, nõ modò id non facit, uerumetiam in ipsam incidit paulopòst, dum ait: Vel cùm transitum fecit in aliquos sibi coniunctos, ut ille miseretur eorum qui secum uiuunt, uel sibi parentium, uel secum degentium, dat sibi fauentibus, incusat secum certantes, & inuidet se indigentibus. Nam id Sibi & id Se (quum tam pluralis sit numeri, quàm singularis (quò referatur, ambiguum est: sed hæc amphibologia in primitiuo est, illa, quam ipse notat, in deriuatiuo, Rogat iste illum ne suo noceat filio. Quasi uerò nihil ad rem faceret, illud de Cicerone & Varrone, aliud ambiguum protulit exemplum.

Suus & Illius seruus, & similia malè dici.

Cap. XI.

IN quo etiam exponendo, quod in illo non fecisset, errauit, ut ad aliam quæstionem transeamus. Erra-

uit enim, inquiẽs, Ambiguum cuius filio, suo, istius, an illius. cuiusmodi est quod superiùs dixit, Doceo ego uel tu suum illius seruum. Et iterum (Suus est illius seruus. Et iterum: Suus illius istius ipsius hominis. Inq; alia longè pòst materia, nisi substantiuis uel uocatiuis uerbis adiungatur, sicut & nomina, Meus es filius, meus uocatur seruus, tuus nominor parens, tuus est pater, suus illius sum filius, suus illius es filius, suus illius est filius. Et aliquantò pòst non semel, quæ uerba mox subiungam, quorum Prisciani exemplorum unum est, Suus Vergilij uersus: simile illi, Vtrùm Platonis, an Aristotelis suum? Quod sermonis genus (quantum memini) nusquam inueni, eoq; mallem alienæ prompsisset exẽpla is, qui hoc tradit, quàm sua finxisset. Ad hoc probandum ea quoq; facient, quæ de coniuncta huic materia disputabimus.

Suus neque discretionis, neque abundantiæ
caussa posse addi ad Ciceronis uel istius
filius, sed potiùs redundare.

Cap. XII.

IAm uerba, quæ modò promisi me subiuncturum, utriq; atq; adeò multiplici quæstioni seruient, & idcircò prolixiùs recitentur, quæ hæc sunt: Discretionis quoque caussa uel abundantiæ solet cum genitiuo possessoris addi nominatiuus possessiui, ut, Suus est Homeri mos. intelligitur enim non alterius, & suus Ciceronis filius hæres est patris constitutus, Suus dicitur ad discretionem illius qui secundùm lẽges non est suus. id est, sub potestate patris legitimi non est: quòd autem suus pro uniuscuiusq; proprio accipitur, usus confirmat. Vergilus Georgic. primo: Molles sua thura Sabæi. Terent. in Phorm. Quot homines,

tot sententiæ, suus cuiq; mos est. Sin autem in possessionem fit à possessore transitio, obliquis possessiui utimur, ut, Cicero miseretur filij sui, præbet suo filio, aspicit suum filium, potitur suo filio. Sin extrinsecus fit transitio in possessionẽ tertiæ personæ, sufficit genitiuo uti ipsius possessoris, ut, Misereor filij Ciceronis, dono filio Ciceronis, accuso filium Ciceronis. Licet tamen etiam addere possessiui casus consequentes, uel discretionis caussa, uel abundantiæ, ut, Egeo ingenij sui Ciceronis, benedico ingenio suo Ciceronis, & similia. Illud quoq; sciendũ, quòd in alijs omnibus possessiuis liceat primitiui genitiuo pro omni eorũ uti casu, quod ostendimus in hoc quoq; possessiuo pronomine tertiæ personæ, quomodò in alijs tunc utimur, cùm ipse possessor aliquid agat in possessionem suam, & cùm in aliam personam transitum ostẽdatur facere pro sua possessione, ut, Amat ille suum filium, & amat sui filium, Benedicit suo filio, & benedicit sui filio, Petit à me ut prosim suo filio, & ut prosim sui filio. Si ipsa tamen possessio in possessorẽ faciat trãsitionẽ, nõ est congruum uti primitiui genitiuo pro possessiuo, quia uim habet compositi Græci, ut, Ciceroni redit suus filius: non satis commodè per hoc dicitur, Ciceroni redit sui filius, nec, Ciceronem laudat suus filius, pro sui filius & similia: quia nec apud Græcos benè dicitur κηκέρωνα φιλεῖ ὁ ἑαυτοῦ υἱὸς. nisi more Attico pro simplici compositum accipiatur. Et sciẽdum, quòd quia primitiuũ eius tam singulare quàm plurale est, licet in possessiuo & unum & plures possessores eius intelligere, pro significatione genitiui ad possessorem pertinentis, ut, Suus illius, & suus illorum. nec mirum si per transitionem Romani utuntur his pronominibus Sui sibi se à se, & eius

eius possessiuo, ut ostendimus, nec non si ad coniunctionem sui ad alias etiã personas aliquid agat, ut, Ille uocat me ad se, ducit te secum, trahit omnia in se. uel cùm transitum facit in aliquos sibi coniunctos, ut, Ille miseretur eorum qui secum uiuunt. uel sibi parentium, uel secum degentium, dat sibi fauentibus, incusat secum certantes, & inuidet se indigentibus. Et uidentur hæc omnia possessiuorum uim habere, & similia, nec incõgruè huiusmodi constructionẽ habuisse, quum Attici quoq; soleant huiusmodi compositis uti in constructionibus. Xenophon ἀπομνημονευμάτων primo: Ἀλλὰ σοκράτης ἔφη ὁ κατηγόρος τοὺς πατέρας προπηλακίζειν ἐδίδασκε πείτων τοὺς μὲν συνόντας αὐτῷ σοφοτέρους ποιεῖν τῶν πατέρων. quod autem etiam genitiuo uel datiuo, qui loco sit genitiui possessoris, benè additur etiam possessiuum (ut suprà diximus) non solùm nostrorum, sed etiam antiquorum usus comprobat. Vergilius in Bucol.

Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me
Munera sunt lauri, & suaue rubens hyacinthus.

Terentius in Adelph. Suo sibi hunc gladio iugulo. Plato in Timæo: Μήτ' ἄρα ἀργύριον μήτε χρυσὸν μήτ' ἄλλο ποιηθὲν κτῆμα αὐτοῦ ἴδιον. Et (quod mirũ est) hoc ipsum τὸ ἴδιον etiam primæ & secundæ adiungitur personæ apud illos, ut Isæus, ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην οὐκ ἂν τὰ ἴδια τὰ ἐμαυτοῦ, pro quo nos dicimus, Meum propriũ & tuum proprium. Dicitur tamẽ etiam suum proprium illius, ut non putetur abundare Suum, sed indubitabilem discretionem significare. Illud quoq; notandum, quòd tertiæ personæ possessiuũ ad innumerabiles (ut diximus) refertur personas. quippe cùm ad omnia tertiæ personæ pronomina, & ad omnia nomina & participia potest referri, ut Suus illius, suus istius, huius eius, suus

Vergilij uersus, sua discentis diligentia. Primæ autem personæ possessiua & secundæ non egent per se prolata adiunctione alicuius genitiui, quum uim genitiui finiti in se habeant, quomodò nec suus eget genitiuo sui primitiui, quem in se possidet, sed extrinsecus alterius uocis, propter multitudinẽ tertiarum personarum. Præter rem fuerit hîc notare tam multas atque adeò innumerabiles tertias personas, quum tãtùm una sit, sed huius personæ innumerabiles uoces. Primum, aliud est, Suus illius filius, &c. aliud, Suus est Homeri uel Homero mos, & suus cuique mos. Et apud Catullum: Suus cuiq; innatus est error. quoniam hîc accipitur Suus pro Proprius, illic minimè: Deinde, nulla illic reciprocatio, quæ hîc est, quippè intercedente uerbo inter Suus & genitiuum datiuum'ue, sic: Homeri uel Homero est mos suus, siue mos suus est Homero, Cuiq; est mos suus, siue mos suus est cuiq;, Cuiq; innatus est suus error, siue suus error est innatus cuiq;, Phœbo sunt semper lauri sua munera apud me, siue lauri sua munera sunt semper Phœbo apud me. De quo genere construendi posteriùs, quid sentiam, apparebit. Nam illud exemplum,

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,

inutile exemplum est, in quo non accipitur Sua pro Propria, sed quomodo cùm dicimus, Mittunt suos legatos, suos milites, suas naues, sua agmina, quo etiã modo accipitur in Terẽtiano exemplo: Suo sibi hunc gladio iugulo, q̃ sibi nulla nisi festiuitatis cuiusdã gratia additum est, nec ita cohæret cum hoc ablatiuo datiuus sui primitiui, ut fit in illis genitiuis Suus, illius, Suus Aristotelis Platonis'ue, nullo pacto separabilibus. Nam si separes, iam alterum genus loquendi erit

erit, de quo non loquitur Priscianus hoc loco. Suusq; significabit quod Proprius. Separes autem, interiecto uerbo, ad hunc modũ: Suus est illius mos, sua est ipsius natura, suus est Aristotelis modus, suum Platonis genus, suus est Vergilij uersus, sua est discentis diligentia, sua docentis. Et sine uerbo substantiuo, Suus tenet dolor patrem, suus matrem: nec procul ab hoc abest Vergilianum illud,

Fessosq; sopor suus occupat artus.

Quapropter non eadem (ut Prisciano placet) ratio dicendi, Suus est Homeri uel Homero mos, usitatissimum loquendi genus, & Suus Ciceronis filius hæres est patris institutus, quod dici ratio uetat. Nã quod ait, ad discretionem illius, qui secundùm legem non est suus, id est, sub potestate patris legitimi non est, nulla ratio est, nisi & doceat sic locutos esse uel legumlatores, uel principes, senatum'ue, aut populum, uel prætores, uel Iurisconsultos, qui etiam definitũ reliquerũt, qui sui dicantur uel hæredes, uel serui, nunquam hoc pronomen cum genitiuis huiusmodi copulantes. Et (ut rationem quoq; addam) suus hæres ad eum, cuius quis hæres est, refertur, sicut suus seruus ad eũ, cuius quis est seruus, ut si dicam, Nemo potest suum instituere hæredẽ seruum suum, & sua tutela ad illum refertur, cuius tutela est. nec aliter dicitur Suus ad discretionem alterius, quàm Meus, tuus, alienus. Quum ergo nihil agat Suus, si apponatur ad Ciceronis filius, palàm est redundare nõ aliter, q̃ in altero exẽplo, Egeo ingenio sui Ciceronis, Benedico ingenio suo Ciceronis, ubi Suus redundare non aliter, q̃ in altero exemplo diffitetur Priscianus, sed pro redundantia dixit abundantia. Sanè abũdantia interdum aliquid causſæ

habet, redundantia nihil. Nam quò dictionem, non di co absurdam, sed ociosam ac similem membro, quod integro corpori (ueluti sextus in manu digitus) adnasci tur? quàm ipse quoq; qui ait, tacitè reformidat, longè pòst, cùm de uocatiuis pronominũ agit, inquiens: Itaq; quamuis ad ipsam rerum naturã rectè uideatur posse dici, O sue fili Euandri, & ô sua uox Euandri, ut si dicã Euãdri fili, & Euandria uxor, quũ in hoc duæ tertiæ intelligantur personæ, possessoris & possessionis, usus tamẽ deficit. Cur Prisciane usus deficit? nempe qa deficit ratio, atq; ipsa rerũ natura, quoniã Suæ & redundat, & reciprocationẽ (quod ipsius proprium est) perdit. At tu uis addi etiã propriũ, nec tamen tũc redundare siue abundare Suum, sed indubitabilem significare discretionẽ. Harum rerũ (cùm ratio tecum nõ faceret) si nulla usquam reperiebas exempla, tradere præcepta non debuisti. Si reperiebas, & illa debebas proferre, quod fecisses (opinor) si reperisses.

Suus non caret uocatiuo. Cap. XIII.

QVòd si usus, & uitandæ redundantiæ, & conseruandæ reciprocationis caussa resuit talem uocatiuum, O sue fili Euandri: quid facies, neutra obstãte istarũ caussarũ? ꝓfectò uocatiuũ oportet admittat, quũ natura Prisciano quoq; testãte, non refragetur. At quo pacto reperiemus nec redundantẽ et reciprocũ uocatiuũ? Id uerò iã superiùs ostẽdimus. Si enim illic, Benedicite domino angeli sui, id Angeli uocatiui est casus, périnde acsi diceretur, O angeli sui. Et quale esset, Defendite, aduuate, protegite Cæsarem uita periclitantẽ ô amici sui, ô milites sui, ô ciues sui, quid'ni uocatiuũ Suus habere dicendũ est? Quòd si nulla huiusmodi reperiãtur exemplа, nec mirũ, quia nõ

rò sit opus hoc sermone, & ratio tam ualida est, ut ipsa poßimus esse contenti.

Non tantùm per nominatiuum, quale est, Videt illum suus filius, licere loqui, sed etiã per alios casus. Cap. XIIII.

SIcut in ea quæstione, quæ reliqua est ex Prisciani uerbis, sic pauloantè dicentis: Est tamen aliqua differentia in possessiuo tertiæ personæ, cuius nominatiuo tunc utuntur, quando ad suum possessorem possessio transitionẽ facit, & nõ ad alium, ut, Indiget illius uel Ciceronis suus filius, Præstat illi uel Ciceroni filius suus, Videt illũ uel Ciceronem suus filius, Benè meretur de illo & de Cicerone suus filius. Similiter paßiua, quæ à possessore solo fiunt, nominatiuum possessionis exigunt, ut, Amatur ab illo, uel Cicerone suus filius. Nec non tam nominatiuo q̃ in alijs casibus possessiui licet uti, cũ possessorẽ ostendimus extrinsecus facientẽ trãsitionẽ ad aliquã aliã personã pro sua possessione, ut, Rogat me ille, ut suus, legat apud me filius, & ut suus doceatur à me filius, & ut sui miserear filij, & ut suo donem filio, & ut suum sequar filium, & ut so potiar filio. Nam cur ad nominatiuum coarctat hanc regulam? An non hoc per accusatiuum eiusdem generis est: Piget Ciceronis suum filium. Rumor est Cæsari insidiari familiares suos, Constat suum eße Homeri morem, Fugere Pompeium sua interest. Fratris iam pigere incipit uxorẽ suam. Nam per accusatiuũ latiniùs dici, quàm per nominatiuum, sic, Fratris iam incipit uxor sua pigere, alibi docuimus. Cui simile est illud Quintiliani in milite Mariano: Nec si sit uitæ cupidissimus, pœnitere eum facti sui potest.

Quædam reliquiæ præceptorum, quando indifferenter, quando differenter utamur his pronominibus. Cap. XV.

HArum porrò duarum Prisciani regularum, quas nunc ad literam subiecí, in posteriore licet pro Suus uti Eius siue Ipsius, id est genitiuo: ut, Rogat me ille, ut eius legat apud me filius, & ut ipsius doceatur à me filius. In priore nõ item, quod superiùs quoq; significauimus. Etenim (ut diuersa promam claritatis gratia exempla) non ausim dicere, Pythagoram uenerabantur discipuli eius, sed sui, nec, Quenq; decet ipsius defensio, sed sua siue sui, ut apud Valerium Martialem:

Et sua riserunt sæcula Mœonidem.

Nam id quod in principio negaui sub specie transitionis cadere, Sua quenq; delectant, sua cuiusq; sunt, sua cuiq; reddantur, iam admonuimus non posse mutare pronomen. quarè nunc substantiuũ est. Illud autem ancipitis usus est (quod in posterum consultò reseruaui) quoties per ablatiuum loquimur absolutum, ut, Beatus ille est, tot se uel eum iuuantibus, potest iam securè uiuere, tanta sibi uel ei accedente hæreditate. Quo in genere nonnunquam usu uenit, ut per Se, non per Eum uel Ipsum utiq; loquendum sit.

Quemadmodùm in construendo resoluantur Suus q; in Is, Ipse, Ille. Cap. XVI.

ET (quod mireris) ab ipso Se incipiendum, ut apud Quintilianum institutionum primo: Tradito sibi puero, docendi peritus ingenium eius in primis, naturãq; perspiciat. Non enim dixerim, Tradito ei puero, Sibi in Ei mutato, aut Eius & Puero permutatis, sic: Docendi peritus in primis ingenium pueri naturamq; perspiciat, tradito sibi eo. Sed magis hoc in Suus permittitur, quàm in Is, ob id, quòd sequi ualet illud in cõstructione. Ideoq; illud resolui in quodlibet trium (de quibus disseruimus) pronominum, Is, ipse, ille, tanquam affinitatis quodam aut consanguinitatis gradu propinquorum, ut apud Senecam: Sæpè in magistrum scelera redierũt sua: quod ita construendum erit, resoluendumq; scelera magistri sæpè redierunt in eum, siue in ipsum, siue in illum. Nonnunquàm resolui non potest, non modò quando est substãtiuum, ut Suum cuiq; soluatur, sua cuiusq; sunt, nisi longa & perinde dura circuitione utamur, Quod cuiusq; est ei soluatur, quæ cuiusq; sunt ipsius sunt: sed etiam quando accipitur ꝑ Proprius, ut, Suus est Homeri mos, Sunt & sua dona parenti, Sunt hîc etiã sua præmia laudi: nisi hîc circuitione utamur, ut, Mos Homerè est eius, dona parentis sunt ipsi, præmia laudis sunt illi, quod mihi nõ probatur. Est autem & alterum per hæc ipsa tria pronomina resolutionis genus, ut si dicas, Sæpè in magistrum scelera redierunt ipsius, uel eius, uel illius. quale est illud superius ex Quintiliano, quomodo & ipsum, & Vergilium scripsisse manus eorum docent. Resoluamus enim: Sæpè scelera magistri rediêre in ipsum, uel in eum, uel in illum, item quomodò manus & ipsius & Vergilij docẽt eos scripsisse. Sed hoc transeo, & cætera, non tam natiua materiæ, quàm adoptiua. Nam gratius facere scriptorem existimo, qui nonnihil, quàm nihil omittit, ne saltèm plus magnitudini uoluminis, quàm utilitati legentium studuisse uideatur.

PERO-

PERORATIO OPERIS.

HAec habui Ioannes de pronominum Sui & Suus reciprocatione quæ dicerem. Cuius quæstionis tantum abest ut timeam, ne quis tenuitatem facilitatemq; insectetur, ut uerear, ne magnitudine potiùs ac difficultate deterreatur, & quidem (sicut initio dixi) Labyrinthea. Etenim me quoq; iuuat ad eius finem, uelut ad exitum Labyrinthi peruenisse, illius Cretensis (nam complures fuisse memorantur) quem Vergilius idem alibi narrat:

Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;
Mille uijs habuisse dolum, qua signa sequendi
Frangeret, indeprensus & irremeabilis error.

Verùm non est cur ego iam uerear istam legentium (si qui modò hunc libellũ legent) desperationem. Nam que omnem, quæ antea erat, difficultatem, ut illis demerẽ, ipse suscepi, uniuersasq; ferè scrutatus cæcas domus ambages, de Labyrintho, ut amphiteatrum facerem, elaboraui, quale in media urbe uisitatur à Vespasiano extructũ, aut quale Puteolanũ, Campanum ue aut Veronense (nam eiusdem exempla sunt plurima) mille uias illud quidem habẽs, sed sine cæcitate, sine dolo, sine errore, aut (quô magis è uicino similitudinem sumam) quale summi pontificis palatium, quod proximè Nicolaus quintus ex confuso & Labyrintheos anfractus habente, augustissimum reddidit, non tamen aboletis eorum titulis, qui illud ædificarant, exornarantq;, sed reparatis, atq; magnificentiùs restitutis, ut nõ immeritò ueteres summi põtifices (si quis illis harũ rerum

rerum sensus est) huic plus, quãtum ad ædificationem pertinet, quàm sibijpsis debere fateantur, à quo ædificante plus ornamenti acceperunt: factum haud dubiè omnium palatiorum magnificentia præclarius. Cui nonnihil istorum fortasse conferri poterit, qui priscorum authorum (quantum in nobis est) restituimus reparauimusq; dignitatem. Sed quid demens ago, qui meum cum illius opere coner ulla ratione comparare? Cæsam cũ regia, tophũ cũ marmore, æs cũ auro, literas cum excellenti uirtute ac singulari sapientia, præsertim quum opusculum hoc nõ ausim ẽdere, nisi priùs ab eo comprobatum, optimo literarum censore, non solùm literarũ, præside ac principe. Est enim ille, ut semper antea doctrinarum omnium cultor censorq;, ita nunc non modò Romani põtificatus ac Romani imperij, uerumetiam Romani eloquij moderator & princeps. Quæ tria cui'nam post homines natos adfuisse dicemus? id est, ad duo priora, hoc tertium accessisse? In primis curam gerendi, ut cum omnis doctrina, tum ue rò lingua Romana (quæ usitatius Latina dicitur) cunctarum doctrinarũ seminarium coleretur, & cresceret, res profectò (si uerè æstimemus) maioris laudis, quàm cætera. Siquidem illa ad nos aliorũ iudicio & interdum inuitos deferuntur: hoc nõ nisi iudicio nostro studioq; contingit. Illa nonnunquã parùm rectè administrantur: hoc nõ uideo quẽ admodùm non rectè queat administrari. Illa huius operam atq; opem desiderant: hoc etiam, ut illa non adsint, per se potest esse contẽtum. Itaq; ego Nicolaum quintum, cùm propter alia summum hominem iudico, tum uerò propter id, quòd non tãtùm cultor est sapientiæ, sed plurimos etiam cultores efficit, haud iniuria cõparandum censeo

choro

choro Musarum (si quæ unquam Musæ extiterunt) quæ et sapere ipsæ omnia, & nobis ad capessendam omnem sapientiam authores esse creduntur. Ab hoc igitur Ioannes, cuius tu intimus es (ut ad nos reuertar) oraculum posces, nunquid hic liber tibi dedicatus ēditione sit dignus?

Libelli, De reciprocatione Sui & Suus, Laurentij Vallensis, finis.

LAVRENTII VALLENSIS IN errores Antonij Raudensis adnotationes, ad Ioannem Lucinam Alfonsi regis secretarium.

INtellexi Ioannes, cũ aliâs nonnunquàm, tum uerò in præsentiarum, accidere solere, ut quædam agamus inopinati, ut quæ uolumus nolimus, quæq; rata habuimus (ut inquit Terẽtius) irrita, ut quæ facta sunt, infecta cupiamus. Quem enim casum existimassem ita ferre posse, ut in amicum, in familiarem, in eum quem libris ornassem, scribere aut cogerer, aut deberẽ, aut uellem? Etenim (ut alia necessitudinis signa præteream) inter me & Antonium Raudensem, quid magis ostendi potuit, quàm quòd in libris De uero bono partes ei, ut sic dicã, censorias tribui, defensionẽq; religionis? ut non plus in

in libris De republica tribuerit aut Scipioni Cicero aut Socrati Plato. Eum nunc quibusdam in locis operis sui cogor refellere, & carpere, quem laudaui. Postea dicam cur debeam, uelimq;. Testor mi Ioannes, mutuam nostri charitatẽ, & ipsius amicitiæ sanctissimũ numen, me tibi rem gestam enarrare, * conditam, atq; simpliciter, nullo admixto mendacio, quod cũ per se obscœnum est, tum uerò quoties non sui defendendi, sed alterius accusandi calũniandiq; gratia adhibetur. Cùm essemus nuper Boroli, Raudensianus codex Mediolano missus, rẽgi dono datus est, quẽ Ioannes Alzina, quasi alter hoc sæculo Mecœnas, cùm transcribendum curaret, mecum egit (eram enim tunc eius contubernalis) ut si qua in parte dissentirẽ ab illa opere, subnotarem. Cui ego si quid dissentirem, id me in opere De elegãtia tradidisse respondi: præterea nolle committere, ut dum amico morem geram, amicum alterum lædam. Tum ille: Non uacat mihi (inquit) nec per tot occupationes licet multa euoluere, & tuum cum isto opere conferre. Ad hoc, multa hîc sunt, quæ in illis libris fortasse ut minuta tu quidem, sed tamen multis utilia omisisti, præsertim Ioanni meo filio unico, cui hanc rem non minùs, quàm mihi prospicio, adolescenti (ut ex epistolis suis iudicare potuisti) studioso, acuto, dignoq; qui in imitandis libris minimè fallatur. Nam quòd de amicitia lædenda uideris uereri, neque has adnotationes alius præter filium leget, & si quando fortè quis leget, has tuas ẽsse profectò non diuinabit, utpote nullius nomine scriptas. Hæc ille cùm diceret, magis hominis mouebat authoritas, quàm ratio: magisq; que iuberi uidebar, quàm rogari. Transcurri itaq; opus pauculis admodùm diebus, adnotans

* Aliâs candidè

penè

penè inuitus, si quid fortè reperiebam. Cùm autem ad uocabulum Omnis peruenissem, meq; illic etsi non nominatim, tamen apertè repræhẽdi animaduertissem: non exiguam sanè bilem, uel criminis, uel accusatoris indignitate contraxi, intellexiq; famæ meæ, quæ à falsis amicis in discrimen adduceretur, esse succurrendum. Neq; id ob hũc tantummodò locum, sed ob uniuersum de Latinitate & elegantia opus, quod ab isto damnatum, & ideo suum post nostrum fuisse compositum, alii qui non admodùm prudentes fortassis opinarentur. Quo factum est, ut non tantùm necessariò, sed etiam ultrò ad hanc rem libenter descenderem, nollemq; ea re ullum à me unquàm fuisse laudatum. Huc accesserunt tertio loco literæ tuæ, quæ non modò, ut opus uni conderem, sed ut omnibus etiam êderem, induxerunt quodam profectò miraculo. Siquidem scribẽti mihi Raudensianas annotationes, illæ sunt redditæ cum degustatione quadam operis ipsius, cumq; hoc tuo (ut sic dicam) elogio. Videntur nanq; copia multa abundare, sed nõ radicem attingere. Confer tempora quibus tuæ literæ ad me datæ, quibusq; rex Baroli seu Foggiæ erat, id est, quando codex ille rẽgi donatus est, & una reperies atq; eadem fuisse, ne dubitare deberem id aggredi, quod tot caussis aggrediẽdum esse diuina uoluntas (ut interpretor) demõstraret. Nam prima quidem caussa uehemens ac necessaria erat, sequens uerò honestissima, tertia autem perpẽsissima &, quasi cœlesti nutu commendata. Etenim cùm tuo amori nihil denegare possum, tum literarum ipsarum, quas tam longinquo terrarum tractu misisti (ut dixi) miraculum, ita obstupefecit pectus meum atq; penetrauit, ut non modò facerem quod postulabas, uerumetiam ipsum tibi potissimum opus inscriberem. Facio tamẽ fortassis imprudenter, qui anteà librum inscribo, quàm sciam, an êditione, & (quod pluris facio) an te tam docto & exculto uiro sit dignus. Sed ueritus sum, ne, quod Elegantijs accidit, id huic libro accideret. Cùm enim illas ad nullum scribo, sed ad te atque ad Ioannem Aurispham cognoscendas mitto, te absente Aurispha publicauit, ut iam post infinita exempla, uix ausim eas ad aliquem scribere, sed (quia tu & suades, & hortaris, faciam, propeq; diem, quia inemendatæ sunt, ut ais) ad te emendatissimas mittam, qui non sines (ut alter fecit) ab indoctis librarijs corrumpi, quod Quintilianus intelligẽs, misso ad Triphonem opere, inquit, Multùm autem in tua quoq; fide ac diligentia positum est, ut in manus hominum quàm emendatissimi ueniant. Hoc cur tam sapiens author dixisset, quòd tantum in aliena fide ac diligentia reponeret, non antea meo doctus experimento, didici. Tu tamen non minùs in me & fidelis & diligens eris, quàm Tripho in illum fuit. Et interim uolui hoc opus anteuertere, ut literis tuis nõ tam respon derem, quàm parêrem: hoc tamen testificatum à me uolens, quò uiris bonis satisfaciam, qui amicitiam sanctè inuiolateq; usq; ad extremum seruandam putant, inter me ac Raudensem paruam sanè familiaritatem intercessisse, paucisq; diebus consuetudinẽ fuisse, nec eam unquam epistolis nos mutuis cõfirmasse, ut ipse ex iuria mei magis ingratus, quàm uiolator amicitiæ esse uideatur: & ego me defendẽs, magis beneficij mei perdidisse rationem, quàm amico lacessenti non pepercisse. & laudem quam illi tunc tribui, liberaliùs (ut fieri solet) benigniusq; concessisse, quàm nũc in eo notando inconstantiæ crimen incurrisse.

QVantoperè sit elegans Raudensis noster, & quàm decuerit eum de eloquentia scribere, uel proœmium ipsum testimonio est, cuius tres tantùm ex principio uersus cõsideremus. sic enim incipit Raudensis: Puto erit operæprecium his, qui eloquentiæ humanitatisq; studijs uidentur aspirare, librorum copiam quasi nullam habent quos lectitare possint, unum hoc pro omnibus, quem sæpè legãt, scrutenturq; Laurentius: Sæpè te legemus Raudensis, omissis alijs, si eloquentes euadere uolumus? Nónne ingrato animo in utteres atq; impio es, qui uel clàm, uel palàm nos adhortaris ad negligẽdos omnes aliorum authorum libros? An' non loqueris de ijs, qui librorum copiam habent? Ergo tu talibus nihil scribis: & quibus nulla ad assequendam perfectam eloquentiam adumenta desunt, ijs tuum opus non prodest, sed pauperibus tantùm, ut in te Ouidianum illud De arte amandi aptissimè cadat:

Pauperibus uates ego sum, quia pauper amaui.

At quantum prodest pauperibus opus tuum? ut perillud in summum facundiæ fastigium perueniant? Si ita est, etiam diuites istam uiam tam expeditam ingredi mallent, quàm sè per multiplicem lectionem fatigare: sin in fastigium hoc modo peruenire negueunt, non uideo quid prosis, uel diuitibus, quibus obstas, si te contenti sunt, ne in summum, quò cupiant, euadant: uel pauperibus, quò per te euasuri sint, nesciunt, quibusq; & ipsis spem atque adeò animum eripis aliquando ulteriùs euadendi, quum præsertim nemo sit ita pauper, ut sè quandoque diuitem, aut certè meliori fortuna fore desperet. Quid ais? unus iste pro omnibus libris

bris satis est? cur ergo multis in locis legendos alios esse uis, legiq; iubes ac precaris? I nunc, & iacta tantoperè librum tuum. Et unum librum appellas, ut nos nomine ipso circumuenias, qui uerbosior est, quàm duo & quadraginta Varronis, rerum humanarum ac diuinarũ libri. Et eum De imitatione inscribis. de qua quæso imitatione? Vniuscuiusque enim artis est imitatio. Hoc tibi quidem addere in mentem non uenit. Sed tamen intelligis de imitatione eloquentiæ. Quid igitur de hac ipsa re tibi credimus posteriùs glorianti? tu primus scribis, & non antè Quintilianus, tum de omni imitatione in uniuersum, tum de ea, quæ ad eloquentiam pertinet? Post quem aliquid de arte rhetorica (nam imitatio ipsa, ut idem ait, pars artis est) scribere hominis est artem oratoriam nescientis, quanquam nihil minus, quàm de imitatione loquitur, opus hoc de imitatione titulum habens, quod author ipse sæpè legere, sæpè scrutari nos iubet, uidelicet mysteria quædam in eo latent, quæ nisi scrutemur, inuenire nequeamus. Verùm quoniam hoc postulat Raudensis, agedùm scrutemur, an rectè dicat, an secùs. Et antequàm de cæteris ordinem, id agamus, horum trium uersuum uerba, sicut de sensibus feci, an imitatione sint digna, uideamus. Ait, Qui studijs eloquentiæ uidentur aspirare. De latinitate & elegantia uidetur uelle loqui Raudensis. At hoc nec elegans, nec Latinum est. Siquidem dicimus aspirare rei, pro auxilium aliquod præbere deos. Vergilius: Aspirat primo fortuna labori. Aspirare ad rem, est propriè hominum, nec ferè nisi cum negatione, aut interrogatione, quæ in negationem resoluitur, significatq; ne spiritu quidem ac flatu proximum esse posse, nedum

Adspirare

ore cõtingere quod cupit, ut Cicero sæpè: Ad hãc laudẽ aspirare non possunt. Et in Verrem actione prima: In eiusmodi re quisquã tam impudẽs reperiretur, qui ad alienam caussam, inuitis ijs quorum negocium est, accedere aut aspirare audeat? Quid, quod ait, Videntur aspirare, non autem aspirant, quasi uideantur, non sint aspirantes? Ait præterea, Quasi, pro eo quod est ferè, de quo latiùs in elegantijs diximus. His etiam pro Iis posuit, quum alterum sit ab Hic hæc hoc, alterum ab Is ea id. Ad reliqua pergamus. Rauden. A, ab, abs, præpositiones sunt: A quidem cõsonantibus omnibus rectè præponitur, sed Ab rectissimè liquidis. Laurentius: Est ne hæc de imitando disciplina? Hæc ne do eloquentia præceptio? an potius grammaticæ, aut si uis elegantiæ, quod tradere oratoriæ est. Nam (ut ait Quintilianus) docere uim cuiusq; uerbi, si quod minus usitatum incidat, multùm infra rhetoris officium existimãdum est. At si oratoriæ artis esset, non & alij hoc præceperunt, quod se unum Raudensis præcipere ait? Nunc uideamus, an rectè præcipiat, quod certè non facit. Nam Ab non solùm duabus liquidis rectè præponitur R & L, sed etiam I consonanti, ut Vergilius: Ab Ioue principium Musæ. Nullam uerò aliarum consonantium amat. Abs autẽ non solùm T præponitur, ut Abs te, sed etiam Q, & fortè etiã C, ut in libris de elegantia diximus. Rau. Cicero uerò persæpè ponit Ex pro A uel Ab. uerbi caussa, si illum imitari uolueris, dices, Aliquid ex Pompeio sciam, id est, à Pompeio, Lau. Omnis sit Raudensis, quia etiam dicimus E Pompeio, quam quam hoc simile illi est, & præterea De Pompeio, ut Cicero: Audiebam adolescens de patre meo, id est, à patre

patre meo. Rau. Ablatiuo utitur sæpius Cicero terminato in E, quàm in I. Lau. Quid ais? Nonne dicitur & à Cicerone, & ab omnibus? In illa infelici pugna, potiùs, quàm infelice, ab illo infelici bello, in hoc felici certamine, à potenti rẽge donatus sum. Item, Ab antecedenti, A consequenti, A Repugnãti. Hoc malem dixisses, quando ablatiuus regitur absolutè, tunc frequentiùs usurpari E, ut Cicero, Afflante fortuna, flante austro, non Flanti. Vergilius. Pluuia impendente recedunt. Rau. Inuenies tamen hoc unum obseruatum ab ipso, ut semper ablatiuos comparationis terminet in E, non in I. uerbi gratia, diceret Longiore uia, nõ Via longiori, Prosperiore fortuna, non Prosperiori, ut grammaticuli nostri dicunt. Lau. An non dicimus econtrariò sic semper? A maiori, A pari est hoc argumentum. Meliùs igitur dixisses, comparatiua cùm iunguntur generi fœminino, sæpius postulare E, in alijs generibus sæpius I, ut, Nunc uiuimus meliore fortuna, Commodiore ualetudine sum. Nam quod ais Ciceronẽ dicere Igni, nõ Igne, quid mirum? quum ablatiuum habeat hoc nomen in I potiùs, quàm in E, sicut Febris, & similia. Item, Pro uetere amicitia dicendũ esse Pro ueteri amicitia, non probas quod ponis. Nam rectè dicam In ueteri templo, In ueteri domo, De ueteri urbe. Vnde illa urbs dicta est, à qua qui proficiscũtur, de urbe ueteri proficiscũtur, non de urbe uetere, & de ciuitate ueteri, nõ de ciuitate uetere mare intramus. Rau. Accusare. Lau. Perduellis & perduellio non idem sunt (ut ait Rauden.) quum perduellis uocetur hostis, perduellio autẽ crimen aut læsæ reipublicæ, aut læsæ maiestatis, siue is qui ita læsit. Rau. Aduena (deinde) inquilini nõ permanent,

sed aduenæ sic. (Et iterum) conuena idem quod aduena. Lauren. Inquilini non sunt, qui nõ permanent, sed qui in aliena & domo & urbe habitant, aut saltèm domo. Conuenæ, qui ex diuersis populis gentibus ue in una mœnia conuenêre, simulq; coalescũt. Multa omitto, quæ à me in elegantijs tractata sunt. Rau. Aduocatus (deinde) & aliqui in meum patrocinium indicerunt, id est, aduocati fuerunt. Lauren. Non hoc dicit Quintilianus, sed quòd ipse caussarum illarum fuit aduocatus, scribendumq; est Aliquæ nõ Aliqui. Hoc est, aliquæ caussæ, non aliqui aduocati. Rau. Adulter (deinde) pellex, id est, adultera. Lau. Pellex est fœmina, quæ corpus miscet cum uiro alterius, non autem meretrix, ut in elegantijs dixi: impropriè autem ac præter naturam de puero dicitur concubino illius, qui uxorem habet, ut Cicero in Sallustium: Omnium cubiculorum pellex, & idem posteà adulter, id est, puer lædebas alienas uxores, præripiens eis maritos, ut posteà læsisti maritos, præripiẽs eis uxores. Rauden. Affinis. Lauren. Necessarij non affines tãtùm sunt, sed etiã amici, & quibus uti familiariter solemus: ut Cicero ait, sibi cum equitibus Romanis necessitudinem esse. Tribulis autem non est (ut Raudensis placet) affinis, sed ex eadem tribu: ut, Romæ erant quinque & triginta tribus, apud Hebræos autem duodecim, tredecim ue, & in ciuitate Aquileia nouem & uiginti. Rau. Alacer. Lau. Non debet Letum scribi gemino tt, ut Raudensis ait, sed Lætum, nam diphthongo distinguetur à letum, quod mortem significat. Rau. Alapa. Lau. Non rectè hæc duo nomina distinguit, alapam et colaphum: quũ illud Latinum, hoc Græcum sit: ideoq; per pb. scribendum. nam sola Græca,

ca, & quædã Hebræa sic scribuntur. Rau. Ala & pinna quasi idem sunt. Lau. Aut penna scribendũ est, aut erat noster author. Pinna enim acutũ significat, ut ait Quintilianus: undè pinnaculum templi, & pinnæ murorum. Rau. Alicubi. Lau. Malè exponit Quoquàm pro Alicubi, quum Quoquàm sit aliquò, id est, ad aliquã partẽ, locum ue: Alicubi uerò, in aliquo loco. Itẽ malè Aliquò pro Alicubi eadẽ ratione. Item malè Alicunde pro Alicubi, & Necunde pro Nealicubi, quũ illud sit ex aliquo loco, hoc aũt ne ex aliquo loco. Item malè Necubi pro Nullibi, quũ exponi debeat pro ne alicubi, id est, ut non in aliquo loco. Quo in aduerbio ut hic præcipiendo labitur, ita quidã in utendo, quorum nomina à me hoc loco proferri malignum forte uideatur. Studiosi tamen inuenient, quod dico ratione. Nullibi autem an rectè dicatur, Raudensis uiderit. Rau. Aliqualiter. Lau. Quam diserete exponit author Nonnihil pro Aliqualiter, cùm deberet exponere pro aliquantulũ. Aliud enim est Quantum, aliud Quale: sed nec Latinè dicitur Aliqualiter, uel Aliqualis, sed rusticè & barbarè. Rau. Aliquod. Lau. Miror interdum huius authoris ingenium, qui nesciat differentiam inter Aliquid & Aliquod, itemq; inter hoc uocabulum, & Quiddam ac Quoddam. nam Aliquid substantiuum est, ut Aliquid mirabile, aliquid boni, non autem Aliquod mirabile, aliquod boni. Rursus Aliquod templum, aliquod ædificium, non Aliquid templum, aliquid ædificium, quippè adiectiuum est. Item, Quiddam pulchrum, quiddam boni, non Quoddam. Rursus, Quoddam templum, quoddam uolumen, non Quiddam, quũ illic sit substantiuũ, hîc adiectiuũ. Præter hæc duo siue pronomina (ut Donatus uult)

uult) siue nomina (ut Priscianus) sic differũt, ut illud superius significet rem incertam, posterius rem certam, ut, Aliquis uidit me fugientem, id est, unus, quispiam ille sit, etiam si non unus, sed multi fuerunt. Aliquidam uidit me fugientem, uidelicet unus, quem ego scio, & quem ipse cognoui. Ideo illud cum negatione fit uniuersale ferè, ut, Non uidit me aliquis fugientem, id est, nullius me uidit: hoc non fit, ut, Non uidit me quidam sagientem, pêrinde est ac si dicerẽ: Scipio non uidit me fugientem. sed hæc clariùs in dialecticis nostris. Vllus idem est, quod Aliquis, ut in eodem opere præcipimus: sed hac differentia, quòd numquàm usurpatur, nisi aut cum negatione, aut interrogãdo, aut dubitando, aut nesciendo, ut, Non est ullus beatus: dubito, nescioq; an sit ullus beatus in uita. Rauden. Aliquando. Lauren. Aliquotiens etsi rarò apud Ciceronem, tamen reperitur, ut Pro M. Quintio, Iunius, qui hanc caussam aliquoties apud te egit. Multotiens nescio an usquam repererim, sicut nec Pluries, nec Nullatenus, duntaxat usitatè. Rau. Amicitia inter bonos, Fautio inter malos, à Fautor, unde Fautiosus fautiosa fautiosum. Sallustius inquit: Amicitia inter bonos, fautio inter malos. Lau. Factio dixit, non Fautio, undè & factiosi dicuntur, ut sunt in Hispania principes Bandorum, & Genuæ Capellatij dicuntur. Hoc uocabulũ Augustinus De ciuitate Dei exponit. Rauden. Animal (dẽinde) pullus est animal quodlibet nouellæ ætatis. Lau. Imò pullus est fœtus uel auium, ouaq; parientium, uel animalium non ferocium. Neq; enim pullus dicitur leunculus, sed catulus leonis, ursi ue. Ceruorum uerò, caprarumq;, ac caprearum, similiumq; dicitur hinnulus. Camelus fassum est

est per geminũ ll scribi. interroga Græcos, unde uocabulum hoc defluxit. Rau. Antiquus (dẽinde) situs est antiquitas. Lau. Imò sordidus quidam humor in locis opacis & incultis, adhærens parietibus, uel solo, ut in elegantijs dixi. Rau. Appodiare. Lau. Hoc uerbum nusquàm inueni. Rauden. Apotheca. Lauren. Ergasterium, & ergastulum, nec idem sunt, & neutrum uerè exponitur. Ergasterium nescio an apud doctos inuenerim, nisi apud Gregorium, ideoq; de eo non dicam. Ergastulum autẽ est quasi priuatus carcer, ubi seruos dominus, uel uinctos, uel solutos noctu includit, quosdam etiam interdiu, unde ad operas manè emittat: Apotheca, est propriè uini, aut horreum propriè frumenti. Hinc Cicero in Philippicis apothecas uini obiecit Antonio. De taberna & officina dixi in elegantijs. Tonstrina autem, nec taberna rectè, nec officina dici potest, licèt Raudensis officinã uocet. Rauden. Appropriare. Lauren. Improprium uerbum est. Raud. Aptus. Lau. Vt plurimùm (quo aduerbio & Raudensis, & uulgò multi utũtur) existimamus esse apud ueteres non usitatum. Rauden. Aqua (paulopòst) Liuius ait, equos aquatum ibant, & aquatu ueniebant. Lauren. Vbi istud Liuius dixit bone Raudensis? Sæpè ex te fingis testimonia, quæ alteri tribuis. Aquatu ueniebant, barbarè dicitur, ut in elegãtijs disputaui, Aquatum ire, est ad capiendam aquam ire. Rau. Hydraula (ut in legibus inueni) est aquam in aulam ferens. Lauren. Non occurrit mihi ad uerbum locus, quem Raudẽsis affert. Vitruuius uerò pro machina quadam simili tympano seu molendino accipit, simulq; pro instrumento musico, quod organa uocant, licèt propriè organa ex chordis constent

Locus est in Ci. lib. 10. Vit. de excus. muner. l. v. Vbi hydraulæ dicũtur, quibus cura aquæ principalis dom⁹ demandabatur.

stent: nisi scriberemus potiùs hedraula, hoc est, sessione tibiarum, quæ follibus inflantur. Rau. Acquirere (paulopòst) ut pleniore obsequio demererer amantissimos mei, id est, acquirerem, uel lucrarer. Lauren. Si amantissimi mei sint, qui possum eos acquirere ac lucrari? Et Demereri est merito aliquo sibi alios constringere, & hoc intelligit Quintilianus, cuius ea uerba sunt. De hoc uerbo dixi in elegantijs. Rau. Arbor sine fructu est, arbos cum fructu. Lau. Quasi nescieramus Arbos, quod ueteres dicebant, in Arbor esse mutatum, ut in alijs quibusdam, quod testatur Quintilianus inquiens: Nam ut Valesij, & Fusij, in Valerios Furiosq; uenerunt, ita arbos, odos, uapos, etiam & clamos, id ætatis fuerunt. Rauden. Arbusta etiam sunt poma syluestria. Lau. Imò sunt arbores multæ ad fructum consitæ, ut Oliuetum, auellanetũ, amygdaletum, uel uites arboribus applicitæ. Rau. Arbutum. Lau. Exponam ego apertiùs. Arbutus est arborẽ illa, quæ poma, instar cerasorum seu fragorum fert: arbutum uerò ipsum pomum. Arbor pyrus, non pyri, & idem in cæteris. Rau. Subter arbor salicem, & non salicis: & subter arborem ficum, nec dixit fici. Lau. Quid miraris Raudensis Aul. Gellium sic dixisse, quasi cæteri aliter dixerint, aut aliter dicere possumus? Ramum enim aut surculum, aut truncum, aut rudicem arboris dicimus, quia pars arboris est: arborem lauri non dicimus, sed arborẽ laurũ, quia laurus ipsa arbor tota est, non pars arboris. & ita in similibus. Montem Caucasum, nõ Caucasi: collem Janiculum, non Janiculi, nisi foret nomen hominis, ut, Montem Auentinum, et montẽ Auentini. Auentinum quidem, quia hoc nomen montis: Auentini uerò, quia rex

rex ibi Auentinus sepultus est, quasi nũc locum illum possidet. Item, urbẽ Mediolanum, urbẽ Placentiam, urbem Romam: non autem, urbem Mediolani, Placentiæ, Romæ: nisi fortè apud Poëtas, ut Vrbem Pataui apud Verg. Cic. in Ver. actione quarta: Vt ex oppido Thermis nullum signum, nullum ornamẽtum, nihil ex sacro, nihil ex publico attingens. Sallust. Vrbem Romam, sicuti ego accepi, &c, Ideoq; rectiùs dicimus, Accepi literas ex urbe Messana, Veni ex urbe Florentia, quã ex Messana, & ex Florentia. nescioq; an probè dicamus, Ex Messana urbe, ex Florẽtia urbe. Item Prouinciam Macedoniam, nõ Macedoniæ, Continentem Galliam, non Galliæ, Insulam Siciliam, nõ Siciliæ, ut in oratione, quã apud Alphonsum habui, latiùs disputaui. Item, Primum diem Decẽbris, Calẽdas Ianuarij,, Nonas Februarij, Idus Martij: non autẽ mensem Decembris, Ianuarij, Februarij, Martij: sed mẽsem Decẽbrem, Ianuarium, Februariũ, Martiũ. Dicimus etiã calẽdas, nonas, idus Ianuarias, Februarias, Martias, & ita in cæteris. Quia adiectiua sunt hæc noïa, non modò quæ sunt secũdæ declinationis, sed etiã quæ sunt tertiæ, ut calendas Septembres, nonarũ Octobriũ, idibus Nouembribus. Non mutãt autẽ uocem hæc adiectiua à suis primitiuis, qualia nõnulla alia sunt, ut Domitianus exercitus, id est Domitiani exercitus. Rau. Ilice sub nigra, id est sub quercu. Laurẽ. Ilex multùm differt à quercu. Rau. Armiger (paulopòst) Argyroaspidas, id est aurata, argentata arma ferẽtes. Lau. Imò qui argentata scuta. Rau. Ars artis, sed ut imiteris nota, quod Cicero, et qui imitãtur illũ, non utũtur hoc uocabulo Ars, sed illud subintelligũt. undè Suetonius

tonius dixit, Funariam exercebat, nec dixit artem chordarum. Laurent. Hoc ego aliter sentio. Nam si substãtiua sunt, quid ais subintelligi artẽ? cùm enim dico musicam, geometriam, medicinam, non subintelligi necesse est artem. Sin uerò adiectiua hæc, sine substantiuis esse non possunt. Quarè magis sunt dicenda substantiua esse, & ideò non subintelligi artem, præsertim ea quæ artes dici non possunt, ut apud eundem in uita Cæsaris: Neue ij, qui pecuariã facerẽt. Quòd siquando artem experiamur adiunctam, dicamus tunc esse adiectiua. Sciamus tamen, quædam non admittere substantiuum, quia semper ipsa substantiua sunt, ut sutrina, fullonica, aurificina, architectonica, figulina, argentaria, si tamen argentaria ars est. Quædam sine substantiuis non solere esse. An non dicimus artem ludicram, quæ est histrionum? artem armorum, quæ est gladiatorum? artem statuariam, artẽ tectoriam, artem amatoriam, artem gemmariam, uitreariam, purpurariam, & mille huiusmodi? Illud uerò bis barbarè dictum est, artem chordarum, quum chorda sit musicis apta instrumentis, nec ad funarios pertineat. Præterea dicendum erat, artem chordarum faciendarum, nõ artem chordarum, sicut artem scalpendi marmoris, non autem artem marmoris. Quod autem attulit exẽplum Quintiliani dicentis, Rhetoricen in Latinum transferentes, cum oratoriam, tum oratricem nominauerunt, miror, quippe quum repræhẽdat Quintilianus eos, qui ijs uocabulis utebantur. Præterea trãsferebant illi unũ Græcum uocabulũ in unũ Latinum. quòd si subintelligi posset ars, non malè dixissent oratoriam, aut artem oratricem. Rauden. Alpites. Lauren. Non est medicus plagarum, sed qui augendis

dis uiribus, atq; exercendis corporibus, ungendisq; præcipuè athletarum præsunt, artificio quodam prædicti. Rauden. Asper. Lauren. Non idem est scaber & asper, ut ait Raudensis. Loricam enim cõtextam hamis, auroq; trilicem, asperam appellamus, non scabram. Rursus scabram, si fuerit rubiginosa, & ungues scabros ac dentes uocamus, qui sordidi sunt, etiamsi non asperi tactu. Rauden. Astutus. Laurent. Hoc nomen deductũ ab ἄστυ Græco nomine, quod oppidum urbemq; significat, non à Græco oppido, ut ait Raudensis. Rauden. Scisti uti foro, id est astutus fuisti. Lau. Non planè uim huius prouerbij Raudensis exposuit, licèt ego nõ legerim Donatum super Phormionem Terẽtij, ubi hæc uerba sunt. Nondum enim in manus meas author ille totus peruenire potuit, ita à quibusdam tanquam sacer thesaurus, aut religiosum Palladium custoditur. Sed ita interpretor: Scire uti foro, quum forum significet locum illum amplum, ubi & causæ publicè aguntur, undè dicũtur causæ forenses, & res multæ uariæq; uenduntur, unde forum boarium, forum bolitorium, itemq; forum Cornelij, forum Liuij, forum Iulij: erit huius prouerbij significatio, scire uel accõmodare, sed ad mores iudicum, cæterorumq; hominum, nec opinioni illorum studijsq; aduersari, uel in rebus contrahendis cauere, ne fallatur, ne uendat, emat ue, quod in alio foro meliùs, quàm in hoc uẽderetur, emeretur ue. Rauden. Astrologia (παυλοπόστ) sed si uis seminare farrũ. Lau. Farrum pro far dixit. Item scorpionẽ pro scorpium. nam scorpius dicitur, nõ scorpio. Scorpionem enim dicimus (ut ait Marcellus) teli genus, & ita omnes utuntur. quidam etiã pro genere instrumenti torquendi, ut in alio

dixi

dixi opere. Idem, Diuersimodè, & alibi Omnimodè quod nemo ueterum scriptum reliquit. Astronomia hîc dicenda est, non astrologia. Nam illa loquitur de cursu astrorum, hæc de iudicijs ad uitam fortunamq; pertinentibus. Rau. Audax (paulopòst) petulans, id est temerarius & audax, ut petendo lasciuus, & in loco audax dicitur. Infrunitus dicitur sine freno. Lau. Imò petulans est aut libidinosus, aut ad iniuriam faciendam pronus, ut ferociores equi in imbecilliores, de quo nomine in elegantijs diximus. Lasciuus est tum in uita, tũ in sermone molliculus, ac plus teneri, quàm robusti ac uirilis habens. Infronitus non dicitur homo sine freno, sed sine prudentia, scribendumq; per o, non per u, φρόνησις enim Græcè prudentia est. Rau. Ausim nõ est pro Audebo, sed pro audeam, ut, Nolim pro non uelim, non autem pro Noluero. Lau. Malem talia potiùs tradidisset, quale hoc, esse quosdam magnos uiros ecclesiasticos, qui dicãt, Siti periclitor, fame periclitor: quũ docti potiùs finem periculi, quàm causam cum uerbo coniungant, ut uita, ut capite, ut forma, ut fortunis periclitatur, id est, in periculo sum ista perdendi. Rauden. Auis, ales: pullus, præpes, quasi idem sunt. Lau. Præpes non est auis, sed adiectiuum uelocitatem significans, ut apud Vergil.

–Et præpetis omnia pennæ.

Voluntq; hoc nomen significare uelocitatem in alium uolantis. Rau. Attago attaginis, est gallina syluestris. Lau. Attagen dicitur, non attago: nec gallinam significat, sed Francolinum, unde Hora. Non me lucrina iuuerint conchylia, non attagen Ionicus. Et Hieronymus (quem suum Raudensis appellat) attagen & ficedula, Martialis genere fœminino, & prima declinatione posuit in xenijs: Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum.

Rau. Altilia. Lau. Non tantùm capones pingues (ut nostro authori placet) sed gallinæ quoq; & anseres, & anates, & turtures, quinetiã sues, & quicquid domi, uel in uillis, uel in uiuarijs saginatur. Rau. Coturnix & perdix, quasi idẽ sunt. Lau. Imò coturnix est auis, quam quidam uulgò qualliam uocãt. Nycticorax est bubo. Hieronymus idem ait noctua. Rau. Auisare. Lau. Sordidum uerbũ, nec dignum de quo scriberetur, quippè quo nemo ueterũ usus est, quodq; ratio grammaticæ improbat, & Auisere diceretur, non Auisare. Rau. Auxilium (paulopòst) Præsidium est, quod est loco utili positum. Lau. Ieiunè obscureq; exposuit. nam saltèm (ut breuissimè dicam) hunc in modum debuisset exponere, Præsidium est auxiliũ quod præstatur alicui, & præsertim quod satis ad defensionem uidetur fore, ac primas pugnæ partes posse sustinere. Nam quod ad succurrendũ uenit, magis subsidium dicitur. Præsidium quoq; est manus armatorũ hominũ, alicui tuẽdo loco imposita, ut sæpè legimus, Præsidiũ Hannibalis Capua, Tarẽto, Rhegio pulsum est. Rau. Baptizare (statimq;) catechizare est baptizandũ docere. Lau. Catechizare est quidẽ docere, sed nõ solũmodò illũ qui baptizãdus est, ut Paulus: Communicet qui catechizatur ei, qui se catechizat, id est, qui doceatur, ei qui se docet, de baptizatis uidelicet, nõ de baptizãdis. Nam ab re fuisset iubere his, ut munera præceptoribus tribuant, quum ambiguum sit an baptizari uelint. Præterea de omnibus nostræ religionis præceptoribus ac discipulis Apostolus loquitur. Quod uocabulum nonnunquàm alibi reperimus

mus, ut in principio Lucæ: Vt cognoscas eorum uerborum, de quibus eruditus es, ueritatem. Eruditus, id est catechizatus. Et alibi: De quibus didicerunt de te, quod doces, deceßionem à Moyse didicerunt, id est, catechizati sunt. De illo mallem uerbo sacræ scripturæ locutus esset: Erue me ab inimicis meis, quo uerbo, nisi in malam partem, uti non solemus, ut, Erue oculos meos. Erue autem me à periculo, inusitatum est. Raud. Balneum. Lau. Et balneas, & thermas (licèt alterum Latinum sit, alterum Græcum) tamen in hoc scilicet differre dicamus, quòd in thermis tantùm calefacimur, in balneis etiam lauamur. Nam & baijs, & in multis alijs regionibus sunt loca quædam sicca, quæ nos uehementi calore resoluunt in sudorem, quæ nequaquàm balneæ dici possunt, quia non lauant, sed potiùs, ut necesse lauari atq; ablui habeamus, efficiunt: uel thermas uocemus, quæ natura sunt calidæ, balneas uerò etiam, quæ à nobis calefaciũtur ignibus. Nam & Græcè βαλανεῖον dicitur. Rauden. Popina apud nos corruptè dicitur pro Propina. Neque corruptè dicitur, neq; hoc significat. Nam Propina non inuenitur, sed Propinare, quod à Græco sumpsimus, in significatione, quæ est uinum crateræ infusum mantua porrigere. Popina autem est ubi uel publicè obsonia, caroq; cocta ac delicatè confecta, uenditantur comeduntq;, uel priuatim, ubi gulosè familia extraordinariè ligurire belluariq; consueuit, siue ipse (qualem dixi) cibus. Rau. Bancalia. Lau. Illiteratum uocabulũ. Dicuntur enim peristromata, siue peripetasmata, siue aulea, siue insignia: quanquam hæc nonnihil inter se differũt. Rau. Barba. Lau. Barbitonsor non est nomen dignum quo utamur, quo tamẽ utitur Rau-

densis. Idem ait capillũ significare barbam & quemcunque pilum, quum tamen dicamus capillum pro capitis pilo. Idem alibi dicit, pilos ad genas, quod est pilos in genis, quũ Ad significet propinquitatem loci, non autem in loco. Rauden. Bellum. Lauren. Author hic imitationem cùm ait pro Inducias Treugæ, facit ut se nequaquam imitari uelimus, quos barbarismos frequenter admittit: ut hoc eodem loco: Portitores signorum, quod alibi etiam facit, quum portitores sint custodes portus uel ripæ, pontisq;, qui præsertim uectigal loci illius à transeuntibus applicantibus ue exigunt. Rauden. Bibere (paulopòst) fecem ex uuaceis expressam, quam uulgariter Insubres Poscam appellamus. Laurent. Latinè dicimus Puscam, uinum in torculari aqua mixtum, ut aliqui uolunt. Apud Plinium uerò Varronemq; & alios Lora dicitur. Nam hæc Varronis uerba sunt: Expressi acinorum folliculi, in dolia conijciuntur, eoq; aqua additur, ea uocatur Lora, quod Lora acina. Rauden. Crudum epulum. Lauren. Non rectè epulum pro epulas dixit. de hoc in elegantijs diximus. Rauden. Blasphemare. Lau. Hoc Græcũ uerbũ est, significãs non execrari, author uidetur significare, siue (ut suo uerbo utar) maledicere, sed uerbis contumeliam facere, dignitatiq; alterius honoriq; derogare. Rauden. Bonus, bellus. Lauren. Multa quæ ad eiusdem uocabuli expositionem pertinent, author omittit, & hoc ferè ubiq;: quæ omnia supplere alienum est à nostro proposito, utpote nimis longum futurum: hoc autem loco de Bellus non siluerim, fuisse etiam dicendum, hoc quoq; uocabulo significari pulchrum, ut Bellus puer, bella puella, bellum corpus, quæ exempla sunt plurima apud Ca-

tullum, Tibullum, Propertium, Ouidium, Martiã-lem, & alios complures. Rau. Brachæ. Lau. Fœminalia prius dicit, deinde nominat fœmoralia. Scimus tamen horum (si utrunq; nomen inuenitur) fœminalia, non à fœminis, sed à fœmuribus dicta, quæ penè idem quod fœmora sunt, quas partes quia brachæ uelant, dicta sunt fœminalia. Saraballa quid attinebat exponere, quũ sit Chaldaicum nomẽ, ut Hieronymus ait, Imitanda pro brachis nemo, nisi non ferens brachas, dixit. Rau. Bracchium scribitur per duplex cc. Lau. An uerum sit, Græcos interroga. Raud. Alæ & Ascellæ idem sunt. Lau. Poëtæ appellant locum illum concauum subter brachium alam, quia in eo pilum quasi pennæ nascuntur. Propriè tamen uocatur axilla, non ascella, ut ait Cic. in oratore, diminutiuum faciens ab Ala, ut Maxilla à mala, & Paxillus à palus. Rau. Cacare (paulopòst) Cloacæ sunt in quas publica stercora fluunt. Lau. Imò uiæ illæ subterraneæ parietibus, in modũ aquæ ductuũ munitæ per quas aquæ pluuiæ extra urbẽ, uel in fluuiũ dilabũtur. R. Campus (paulopòst) sed saltus est cãpi spaciũ. Lau. Imò sylua densior, aut in qua pecora æstiuare aut hybernare consueuerũt, exẽplis plena sunt omnia. Rau. Canto (paulopòst) Sunt enim Exodia cantilenæ ludicræ & scurriles in scenis. Lau. Nonius exponit prosine hoc nomẽ, cur tu de Nonio non facis mentionem? Nam hoc uocabulum, nisi alio exponente, scire possumus. Quòd si alius exponit, nos iterum inculcare minimè debemus, id quod in toto tuo opere facis. Rauden. Næniæ est cantus factus homini non habenti propinquos, per mulierem ibidem adductam. Lau. Quantò melius Quintilianus, Et tertius est huic aduersus modus

dus, cùm res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen? eximium, ut carmen funebre propriè næniæ. At cur addit Raudensis? Homini non habenti propinquos, quum magis hoc talibus fiat, quàm obsequio propinquorum destitutis? sciamus tamen, improprièque næniam accipi pro ineptia cuiuslibet cantus aut sermonis. Etiam minùs grammaticè locutus est Ibidem pro illuc, quum Ibidem significet in loco, Illuc uerò ad locum. Raud. Candelæ (paulopòst) sepatus, id est, cum sepo. Lau. Seuum dicitur, non sepum. lege Plinium. Raud. Canister. Lauren. Canistrum dicitur, non canister. Rauden. Cartha per h scribi debet. Lauren. Verum est, sed aliter, hoc est, in prima, non secunda syllaba, sic, Charta. Raud. Cirographus. Lau Hoc quoq; aliter scribendum est, sic, Chirographus, & aliud significat, id est scripturam manu propria, nec etiã debitoris. lege elegantias. Rau. Membrana est cartha, similiter & dica, Lau. Imò membrana est pergamenea charta. Dica uerò actio, è Græco sumptum, ut Terent. in Phormione: Scribam tibi dicam, & Cic. in Verrem actione 4, Scribitur Heraclio dica. Rau. Castus. Lau. Minùs rectè exponitur cœlebs ac cœlibatus, pro pudico ac pudicitia. Est enim cœlebs qui nõ est maritus, cœlibatus autẽ eodẽ modo dicitur, non matrimonium: pluresq; in cœlibatu sunt impudici, q̃ in matrimonio. de hoc etiã in elegãtijs. Rau. Casus (deinde) uicem alterius dolere, est casum illius dolere. Lau. Rectè, sed non tamẽ omnino. Nã cùm propter alterius uicium peccatumq; doleo, non casum illius doleo, non enim est casus: sed uicem. Raud. Caue te ab illo. L. Hoc non rectè dicitur cũ accusatiuo. Præterea Caue facias, et Caue ne facias, idẽ sunt,

quod author negat, ut apud Terent. Caue ne tristem sentiat, id est, caue tristem sentiat. Qui hæc tam clara non prouident, quomodò cernerent ulla obscura? quorum unum hoc sit exemplum, Scio multa genera falsamentorum, potiùs quàm, Scio multorum genera falsamenta. rursus, Scio facere multorum generum falsamenta, potiùs quàm, Scio facere multa genera falsamentorum. Illud quoq; poterat addere (quod huic loco similimum est) Licet frè non accipere post se Vt, ueluti apud Vergil. Casta licet patrium seruet Proserpina limen. & Quintilian. Nusquàm prodest, nusquàm opus est, iam licet uendas. Cic. pro Cælio: Quò omnis iuuentus natandi causa uenit. hìc licet conditiones quotidie legas, cur huic, qui te spernit, molesta est? Rau. Cœnare (déinde) opsonium, per p scribi debet, & est id quod post cœnã, aut ante somnium sumitur. Lau. In hac etiam scriptione obsonij, nam per b scribi debet) & diffinitione dissentio. Nam puto esse quidquid carnis piscis ue ultra panem pulmentumq; comedimus. Rau. Cæcus (in fine) cæcutiens, est parùm uidens, idem & luscus. Lau. Vt idem sit cæcutiens, quod ait Raudensis (quod omnino non cõcedo) certè luscus est, qui altero oculo caret, non qui parùm uidet, qualis fuit Antigonius Philippus, Annibal, de quo Iuuenalis: Portare bellua luscum. Et nos in Elegantijs. Rau. Censores (circa medium) quid dicam, quàm leuissimis ex causis censoria urere nota consueuerũt. Lauren. Ineleganter usus est Quàm pro Quantum cum superlatiuo. Nec longè pòst. Rauden. Ridiculosè. Lau. Inusitatè dixit pro Ridiculè. Plurima à Raudensi præcipiuntur, quæ iccirco permitto, quia ab opere meo de elegantia linguæ Latinæ satis abundeq;

confutantur, quum aliter tradantur. Rau. Certare (paulopòst) est enim agonitheta qui certaminibus præest. Lau. Si sciret author quid agonitheta significat, debuerat dicere eum esse, qui præmium certantibus in quolibet ludorum genere proponit: qualis Æneas apud Vergilium, qualisq; Achilles apud Homerum. Est autem Græcum nomen. Rau. Circundo (paulopòst) tãtum telluris obiuit, id est, circundedit. Lauren. Imò circuiuit. Hercules terram, non circundedit. Rau. Circulus (statimq;) est planicies rotũda, ut est sphæra, & staminũ glomera. Lau. Sphæra nõ est plana, sed globosa, & à geometris planicies siue figura plana et solida, qualis est sphæra, distinguitur. Rauden. Citò. Lau. Quantotius (ut ait Raudẽsis) significare Quamprimùm tũc credã, cùm apud doctum aliquẽ inuenero (si modò inueniri potest) quod contra rationem latinitatis est, ut ex elegantijs liquet. Rau. Parũper, id est, citò, uelociter. Lau. Ego sentio idem esse quod Paulisper, id est, per aliquantulum tempus. Rau. Clamare (déinde) mouere tragœdias, est mouere exclamationes & exclamare. Lauren. Affertq; exẽplum Quintiliani. sed neq; apud Quintilianũ, neq; apud Ciceronem in hanc significationem inuenitur: imò rem uerbis atrocem magis & indignã efficere, quale est opus tragicorũ de rebus atrocibus semper mœstisq; loquentium, sicut econtrariò, comœdias agere siue comœdiari, pro ridiculè ac dicaciter loqui, apud Aristophanem, & alios nonnullos Græcorũ. Rau. Cognoscere (déinde) Nosse imperatiuus est de nosco, uel est per syncopã præteriti plusquamperfecti temporis. Lau. Mirum, quòd ita in minimis erret. Nosce enim imperatiui est, Nosse uerò infiniti

ui pro nouisse, à nosco siue à nôui. Rau. omnes enim ig nosc unt, nemo succurrit, id est noscunt. Lau. Male Senecam interpretatur, quum ille hoc dicat: Omnes quidem misereri infelicium, sed tamen is succurrere ne minẽ. Rau. Collum, ceruix, iugulus. idem sunt. Lau. Imò diuersum. lege nostrum opus de elegantia. Rau. Plinius dixit minando cuidam, Videoiugulum, id est, collum. Lau. Non in istũ sensum locutus est Plinius. refert enim uerba reguli cuiusdam pessimi oratoris, non mirantis sed iactantis se non terere tẽpus in orando more aliorũ circa inania argumẽta. Statim enim uidere iugulũ, ubi infigat gladium, id est anteriorem partem colli super malam. uidelicet locum sanè mortiobnoxium. quia incisis illis uenis, statim quis moritur. Hoc metaphoricè dictum est, quod statim uideat locum esse, quo percusso ac iugulato, pars aduersarij pereat. Rau. Componere. Lau. Non idem est soluere pecuniam, & dissoluere. Dicimus enim, Contractum æs alienum dissoluit, id est, contractum debitum dissoluit: nec idem Curatum & Procuratum: nec idem Posuit, quod Proposuit: non idem Protulit & Tulit: nec idem Orauit & Adorauit, ut author hic ait. Rau. Comœdia. Lau. Author uidetur nescire togam esse uestem Romanorum, ut pallium uestem Græcorum: & togatas esse comœdias, nõ è Græco traductas, sed à Romanis Latinis q; compositas. Qua in re Afranius princeps est, licèt dimortua sint & eius & cæterorum opera. Etenim omnes, aut ferè omnes summorum comicorum libri è Græco traducti sunt, Cæcilij, Plauti, Terentij, eoq; non fuit Rauensi dicendũ, fuisse Plautum maximum fabularum inuentorem. nam (ut taceam Græcos comicos, qui & tempore, & ingenio

nio superiores sunt, ut Menander) certè Afranius, et alij similes, inuentores potiùs, quàm Cæcilius, Plautus, Terentius, dicendi sunt, qui ipsi inuenerunt, non transtulerunt. Præterea cur Rauensis ait Plauti comœdias, præter illas octo, quæ priùs extabant, non esse Plauti? nimirùm eas nondum uidit, quæ nihilò inferioris gratiæ & eloquentiæ sunt, quàm cæteræ. Sed hoc diuinare fuit, illud uerò dormire. Nam uigilans non dixisset, dum præponere Plauto Terẽtium uult. in argumẽtum familiaritatem Ciceronis affert, quod dicat Ciceronem fateri, illum familiarem suum esse, quod non Cicero, sed apud Ciceronẽ Lælius dixit, si unquã tamẽ ille hæc dixit. Eodem modo peccauit Benentius, qui motam à se quæstionem, qua Cicero dicat in Catone maiori Flaminium à se è senatu eiectum, & Valerium Maximũ à Catone, sic soluit, Ciceronem Catonemq; unà censores fuisse: nec intelligit, non Ciceronem hoc dicere, sed Catonem in opere, quod illius nomine Cicero inscripsit. quòd si Lælio ac Scipioni familiaris Terentius fuit, sciat Rauensis, hoc nihil adiuuare Terentium. nam dicitur Scipio magis quàm Terentius illas comœdias fecisse. Rau. Comparare, conferre, contendere. quidã ait, Illi suam uitam mecum contendunt, id est, comparãt. Lau. Barbarè ille, si quis fuit, locutus est. adijciens accusatiuũ uerbo Contendunt. Si hoc tradidisses, rectiùs feciss es, quod cæteri dicũt, Tu es magis audax quàm fortis, doctiores solere dicere, Tu es audacior q; fortior, & ita in cæteris. Rau. Cõmentaria (paulopòst) Cõmentarium est locus ubi cõmenta ponuntur. Lau. Probat. Rau. Commodum (paulopòst) tẽpus meũ amicorum tẽporibus committẽdum putaui, id est, cõmodis. Lau.

Imò periculis, laboribus, difficultatibus. Sic enim Cicero, cuius hæc uerba sunt, loquitur, ut tẽpora aut suæ aut amicorũ pericula difficultatesq; intelligat. & hoc loco significat, se aduocatum fuisse, non omnium, sed amicorum, ne quis eum putet rabulam ac litigiosum, et aduocatum accusatorum, actorumq;, non reorum: quia deforme est, ut Cicero quoq; ipse testatur, accusatoriam uitam uiuere, & homines in periculũ uitæ ac fortunarum frequenter uocare. Rau. Terentius ait, In tempore redijt, id est, quàm commodè. Lau. Raudensis præcipit, Quàm non nisi cum superlatiuo debere coniungi, & ipse cum positiuo iungit: quod non faceret, si inuentor ipse huius elegantiæ esset, & non ab auditoribus meis audisset. Rau. Compẽsare (& statim) pensitanda sibi ista res, id est, compensanda. Lauren. Imò ualdè ponderanda examinandaq;. Rau. Consilium (paulopòst) est etiam consulius, qui consilium petit. Lauren. Proba, nam econtrariò potiùs consultorem Sallustius dixit, pro eo, qui consilium dat, quum sit propriè qui consilium petit. Rau. Alium tamen, quàm consularem uirum rogari, fas fuisse negãt, ex qua sanè consuetudine Iulius Cæsar Catonem sententiam rogauit. Lauren. Labitur Raudensis in cognitione historiæ. non enim consularis fuit Cato posterior, id est, qui consulatum gesserit, ideoq; post pugnam Pharsalicam uoluit reliquias exercitus (quas collegerat) Ciceroni tradere consulari non consularis: ut apud Ciceronem in Philip. Qui uerò prætorij, quorũ princeps omnium Cato, idemq; omnium gentium uti iure princeps. Rau. Conuiuium (deinde uerba Senecæ subdit) Nam sine amico uisceratio leonis ac lupi uita est, uisceratio (ait) repletio. Lau. Non ait Seneca

Seneca uiscerationem pro repletione, sed conuiuium, quod ex uisceribus, id est, ex carne multis datum sine suauitate amicorum, simile esse commestioni leoninæ aut lupinæ, quia quodammodo caro tanquam feris deuoranda apponitur, ut unusquisq;, quod uult rapiat, cibi tantum ac saginæ memor. Rau. Contra (paulopòst) Quintilianus dixit euersò, id est, econtra. Lau. Non hoc dixit Quintilia. sed ediuersò. Nec Raudensis exponit Latinè Econtra (quod nõ inuenitur) sed Econtrariò. Rau. Contẽtor. Lau. Non est uerbum Latinum. Rau. Cooperio (paulopòst) Operto capite, id est, discooperto. Lauren. Verus sensus est huic expositiõi cõtrarius. Rau. Chorea (paulopòst) Choraules, id est, princeps ac magister chorearum. Laurent. Imò qui tibijs ad choreas canit. Nam αὐλὸς Græcè, tibia Latinè. unde apud nos usitatum nomen, pro Latino aulœdus. & Cicero: Qui citharœdi esse non possunt, aulœdi fiunt. Rau. Cortina, aulœum conopœum. Lau. Quarè nõ distinguat uocabulorum significata Raudensis, ipse uiderit. Vnum enim exponam, Cenopœum est papilio ille, qui thoro circundatur ad arcẽdos culices. κώνωψ enim Græcè, Latinè culex. Rau. Custodire (paulopòst) Specula, locus êditus, scilicet magis ad uidendũ, quàm ad custodiẽdum, Lau. Imò ad custodiẽdũ potiùs: nec locus êditus, nisi cùm ex eo speculamur, an hostes ueniãt, transeant'ue, an maneãt, quot sint, & quæ sunt id genus, quod ipsum ego appello custodire. arbor nonnunquàm prominens, ac porrecta pertica, uicem hanc præbet. Rau. Excubijs, id est, uigilijs noctis. Lau. Imò diei, ut in elegantijs diximus. Rauden. Curia (deinde) Ariopagus locus Athenis ubi sapientes conueniebant. Lau. Imò locus

tus iudicum, qui à Solone erant instituti. Non afferam exempla Græca contra hominem Latinum. Cicero in Philip. ita ait: Quæro igitur, si Lysiades citetur, iudex non respondeat, excuseturq́, Areopagites esse, nec debeat eodem tẽpore Romæ, & Athenis res iudicare, accipiat ne excusationẽ is, qui quæstioni præerit. Græculi iudicis modò togati, modò palliati, Atheniensium ne antiquissimas lẽges negliget. Quidam interpretãtur hoc nomẽ ab ἄρης, quod est uirtus, quod falsum est. nam uirtus dicitur ἀρετὴ, ἄρης uerò Mars. Ob hunc errorem puto istos existimasse, hunc esse locum sapientum ac philosophantium, ut in alio dixi opere. Curia solùm dicitur locus consilij. ergo curia rẽgis, aut curia Papæ, non rectè dicitur, nisi pro loco consilij publici. Author etiã dixit, Vbi conueniebant, pro Quò conueniebãt. Rauden. Cùm, si tempus significat, scribi debet per C, ut, Cùm fueris Romæ. Si uerò comitem significat, scribi debet per Q, & duas uu, Quum principe erat. Lau. Non ita scriptum reliquit Quintilianus, quem Raudensis affert. sed sic: Cùm tẽpus significaret, per Q: sin comitem, per C, ac duas sequẽtes scriberetur, duas literas dixit sequentes, non duas uu. Neq; enim dixisset duas uu, sed duplicem siue geminã uu. Ergo si de duabus literis sequentibus locutus est, palam est de sequentibus C literam, non Q, in secunda parte locutum esse. Nam Q, tres literæ sequerentur, & ob id Raudensem in utroque contrarium tradidisse. Rau. Damnum fit ex tempore, iactura quidem de industria, ut, Proijcere merces in mare. Lau. Proba, ut credamus. Raud. Decipio. Lau. Versura non est deceptio, ut hic author ait, qui cur à Pompeio Festo recedat, nõ uideo, dicente: Versuram

suram facere mutuatam pecuniã soluere ex eo dictum est, quòd initiò, qui mutuabãtur ab alijs nõ ut domum ferrent, sed ut alijs soluerent, uel ut uerterent credito rem. Rau. Defectus (deinde) quidam dixit, ex uicio tuo hoc profiteri uidetur, id est, ex defectu, & (paulopòst) quispiam cùm dicere uellet, Id defectuosius esse uidetur, dixit Culpatius. Lau. Impolitè locutus est. Defectuosius, imò impropriè. nam defectus est (ut sic dicam) penuria, non uicium, aut moribus, aut culpa, ut defectu ciborũ, siue defectu cibi dedimus nos hostibus. Item dixit imusitatè Quispiam pro Quidam, & hoc frequenter etiam in Plus sè habet. Item non longè antè dixit Pariformiter, quod non inuenitur. Rauden. Delectare (paulopòst) Cice. in Tusculanis: Item delectatio extrinseca, uoluptas intrinseca. Lau. Non Cicero hæc ait, sed Leonard. Aretinus in procœmio Ethicorum Aristot. ab eo traductorum. Qui uerè fortasse dixisset, si Delecto tantũ reperiretur, & non etiam Delector deponens, & Delectat impersonale. & sanè hoc nomen Delector siue oblectator uidetur frequẽtiùs significare (ut grãmaticorũ uerbis utar) passionem innatã, quàm actionem in alterum. Nescio an Intrinsecus & Extrinsecus nomen reperiatur: Internus et Externus magis dicitur. Rau. Delicatus (in fine) dicitur etiam lauticius. Lau. Lauticia inuenitur, non lauticius, sed lautus pro homine diuite, ac nitidam splendidamq́ uitã agente, tum in ueste, tum in uictu. Rau. Despicere (paulopòst) Terentius inquit, Parui curauit illũ. Lau. Hoc nõ inueni apud Terentiũ, nisi fortè Raudẽsis in illis Terẽtij comœdijs legit, quæ naufragio interciderunt. Rau. Dæmon (paulopòst) Energumenus est, q. à dæmonio arguitur. L.

Græcum

Græcum nomen est. Et ideo ab arguo non cõponitur, sed ab ἐνεργοῦμαι, quod Latinè dicitur agor, id est, agitor. Rauden. Diabolus deorsum urens, apud Hebræos. Lau. Græcum nomen est, non Hebræum, significatq; criminator. Rau. Desiderare. Lau. Non est gestire (ut hic ait) idem quod desiderare, sed quod lætari, siue læticiam ostendere, ipso etiam corporis gestu, ut Cicer. quoq; diffinit in Tuscu. Author hic frequẽtissimè ait, Alter dixit, pro Alius dixit. Rau. Versificator quispiam sic desideranter scribebat: O mihi præteritos referat si Iuppiter annos. Lauren. Aut ignorat hunc uersum esse Vergilij in nono: aut contumeliosus est in summum poëtarum Latinorum, quem appellat uersificatorem quendam. Rau. Concupiscuntur quæ habentur, & quæ non habẽtur. Lau. Hoc rerum natura non recipit. quod enim quis habet, quî prodest id concupiscere? Raud. Terentius: Sed cesso ire intrò, id est, desidero. Lau. Imò quid moror, aut quid negligo ire intrò? Est enim dictũ illud Cesso interrogatiuè. ergo non potest significare desidero. Raud. Detrahere (déinde) Quintilianus ait sic, Nec mirum, quum id inter opices quoque uulgatum sit, id est, corrosores. Lau. Opifices ait Quintil. non opices, nec de corrosoribus ille locus loquitur, nec qui sint corrosores intelligo. Raud. Cornicum (ut dicitur) oculos cõfigere, id est, æmulorũ. Lau. Hoc prouerbio & Cicero pro Murena, proq; Flacco, & Hieronymus in quodam prologo utitur, neuter accipiẽs cornicum pro æmulorum, sed pro eorum, qui se sapientiores, & duces aliorũ censent ac uideri uolũt. Nam cornix dicitur dux auium esse. Lege et eius naturam, & de illa fabulam. Rau. Diluuium (paulopòst) Diluuium

luuium sic fit ex igne, sicut ex aqua. Lau. Negatur, quòd si quis afferat Vergilianum illud: Diluuio ex illo diuersa per æquora uecti: metaphoricè dixit Vergilius euersionem Troiæ diluuiũ. Rau. Item alluuiones sunt mixtiones uicinorũ agrorum, ita ut uix, quò fuerant termini, agnosci possint. Lau. Obscurè diffinit, non addens uiolentia aquarum, uel fluuialium, uel pluuialium, similiumq;, quæ alluuio non tantùm agros confundit, sed nonnunquàm eripit, nonnunquàm funditus destruit. Ad hoc author dixit, Quò fuerant, pro Vbi fuerant, sicut superiùs Vbi pro Quò. Rau. Diffinire. Lau. Non tibi assentior, idem esse dicenti Definire & Diffinire. Est enim definire determinare, & quasi finem dare: diffinire aũt hoc ab illo, quasi dispertiendo distinguere. unde diffinitio uocata est, nõ definitio, qua in disputando uti solemus. Et esse infinitè ac definitè, id est certum finem habentes, mallem dixisset: Diuido tecum, esse patior, siue communiter tecum habeo: ut Quintili. in apibus: Dum non æqua portione cũ sceleratis terras diuisimus. Vergil. Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet. Raud. Dies est præsentia solis dictum. Cicero dixit pro maiori parte singulos dies, nõ singulis diebus. Lau. Quid de uno uocabulo attinet loqui, & non in uniuersum? ut melius apud Seruiũ sit, qui ait, accusatiuo magis usos, quàm ablatiuo, ut Vnam noctem, unum diem, septem menses decẽ annos. Verùm quis primis labris eruditionẽ attigit, quid dicat Pro maiore parte, pro eo quod est Plerũq; siue ferè, siue frequẽtiùs, nedũ hic magister elegantiæ? An sit hoc turpius, nescio, dixisse, Pridiè pro Præterito die, quod nemo anteà dixit. Ego tamen in alio opere scripsi, Quot mensibus, pro singulis mensibus

bus, dici nõ posse, ubi de usu dixi & cõsuetudine. Nam etsi Terentius Varro hoc uocabulum aliquoties usurpat, nescio tamen an alij eorum (quos legimus (utãtur. Rau. Multo mâne, multa nocte. Lau. Multo mâne, non memini me legisse. dicimus enim Multa luce, ut apud Curtium Permenion ad Alexandrum, Multa (inquit) lux est. Rau. Quinto die quàm à senatu recederent, id est, per quinq; dies antè. Lau. Imò per quinque dies pòst, ut Liuius lib. 21, Octauo mẽse, quàm captum oppugnari, captum Saguntum quidã scripsere, inde Carthaginem nouã in hyberna Annibalem concessisse, quinto deinde mẽse quàm à Carthagine profectus sit, in Italiam peruenisse. Raud. Infra tres dies. Lau. Inerudite dixit. dicendum enim est Intrà. Infra nanq; subter significat. Raud. Dicere (deinde) Dicax qui multa dicit. L. Cicero, Quintilianusq; aiunt, esse dicacem hominẽ. cum risu aliquos incessentem, non dentemq;. & hic nonnunq;, & alij quidam, Dicto accipiunt pro Dicto, ut tuæ literæ dictabant, sed non recte utuntur. Dicunt epistolæ, uel dictitant, hoc est, in epistolis dicis, seu dictitas. Sed in hunc errorem inciderunt, quòd reperierũt. Ratio dictat, quod est frequentissimum, & quale est illud Plinianum in epistola quadam, O sylua, ô litus, quàm multa cõponitis, quæ multa dictatis. Et illud Boëthij: Ecce mihi lacera dictant scribenda Camœnæ. Verùm hîc manifesta ratio subest. nam Camœnæ, litus, ac solitudo, tacitè nobis suggerunt quod scribamus, ita & ratio loquitur, quod nobis scribendum putemus, & indignatio dictat, quod in alterum effundamus. Rau. Discerno. Lau. Non est (ut hic ait) discernere in duas partes, Secernere uerò in multas. Imò discernere in duas partes, plures ue

plures'ue, Secernere uerò separare, ut, Ex chao omnia elementa discreta sunt. & Cicero: Secernant se mali à bonis, id est, separent. R. Domus (paulopòst) architectus est princeps tectorũ, aliquando pro ipso deo accipitur. Tignarius est sarcitector. Lau. Nescit quid dicat, architectus est princeps ædificantium, id est, qui ædificium ordinat, & ipse aut primus ædificat, aut ædificare iubet: unde Vitruuius opus de architectura condidit, id est, de ædificijs construendis. Faber aũt tignarius est, qui solaria lignea facit, hoc est, trabes, cæteraq; ad tabulata domus utilia. Nam in iure ciuili scribitur, Tigni appellatione in lege 12 tabularũ omne genus materiæ, ex qua ædificia constãt, significatur. Contignatio igitur dicitur solariũ domus, siue stratũ sit cæmento, lateribus'ue, siue non stratũ, qualia sunt ferè solaria domorũ Apuliæ. eoq; apud Liuium pro miraculo refertur, bouẽ in tertiam contignationẽ conscendisse, id est, in tertium solarium. Rau. Diuersorium propriè est hospitale. Lau. Negat antiquitas, apud quã hospitalia non erãt. quinimo non est hospitiũ idem quod diuersorium, ut ait Raudensis: sed flexus uiæ minor, ac secessus. Rau. ff. de eo qui certo loco, dicitur, quòd insula est quælibet domus. Lau. Non ait iurisconsultus. sed eam domũ esse insulam, quia cingitur. unde author quidã enumerauit insulas Romanæ urbis, non domos. Rauden. Fundus est alicuius mansio cum accessionibus. Lau. Cum omnibus iurisconsultis, & cum ipsa ueritate dissentit. Vt breuiter autem ipse dicam, non sententiam inter iurisconsultos ferã, Fundus est possessio in agro. Rau. Hippodromus est stabulum equorum currentium. Lau. Imò est uia lata, per quã etiam multi equi possunt

possunt unà currere, uel potiùs locus in quo equi currere solent. Rauden. Duellum. Lau. Duellum non est duorum tantùm, ut hic ait, sed multorum quoq; & ipsorum etiã exercituũ. alioqui non diceretur à Plauto, duellum inter Thebanos, & Theleboas. & ab Horatio, Græcia barbariæ lento collisa duello. Nescit etiam author, pugilẽ esse qui cestibus pugnat, pancratiastem qui ad omne certaminis genus ualet. Raud. Ecclesia (paulopòst) Adytus per y Græcum, est locus secretus iuxta altare. Lau. Hoc adytum dicitur, non hic adytus: estq; penetrale templi, id est, locus interior, & uulgò inaccessus. Rau. Versificatores ferè peccant secunda syllaba pro breui utentes. Lau. Imò & Maro breuem ponit. Rauden. Edere. Lau. Non optimè exponit, Nuces esse omne pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat quod esui est: Mâlum uerò quod foris habet quod est esui, & durũ intus excludat, quum illud prius non sit pomum, neq; hoc secundum mâlum, sed illud nux, hoc uerò pomum. Valerius tamen Martialis nucem pineam, pomum uocauit, in distichis inquiens:

Poma sumus Cybiles, procul hinc discede uiator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Mâlum autem indiuiduum, id est, quod uulgò dicitur melum è Græco sumptum. Rau. Est enim edulium prægustatoria comestio. Lau. Imò edulium est quid quid edimus, aut quidquid ad prãdium, cœnamq; eden di gratia apponitur, & sumimus, ut apud suum Hieronymum millies, ut ibi, Lentis eduho. Raud. Aedificare. Lau. Eodem Raudensis errore, quo Accursius, ducitur, ut sentiat tigni appellatione aliud, quàm materiam, id est, ligna contineri, ut in elegantijs diximus

mus. Indecorum sanè est homini, qui de elegantia scripturum sè pollicetur, Accursium ac cæteros glossatores sequi, ut facit Raudensis, quum illi ab elegantia longissimè absint. Rau. Eligere (aliquantò pòst) Comitium locus, in quo fiebat electio magistratuũ, quasi communium. Item uocabatur ipsa electio & gaudium resultans ex tali electione, & etiam ipsa collatio personalis. Lau. Comitium est tantùm locus, Comitia actus creandorum magistratuum, ut, In foro est, & in comitio. Item, actis comitijs, suffragium non fiebat manu, ut ait Raudensis, sed uoce, interdum scriptura, ut Plinius posterior refert. Rauden. Eloquentia Lauren. Omitto quæ de rhetorice præcipit à uia ueterum uel recedens, uel cadens. quid negligentius fuit, quàm quæ Seneca alteri tribuit notans, ut stomachosiora, ea ab ipso Seneca dicta esse uelle? Cassius Severus in Sextum dixit, Si cloaca esses, magistra esses, non Seneca. Rau. Etq; pro Et, Ne pro Et. Lau. Ne nunquam reperitur pro Et. Raudẽ. Item Neu hoc faceret persuasit, id est, ne. Lau. Nescio ubi hoc Cicero (quem affert) dixerit, aut aliquis alius, Neu, ut sentio, apocopatum est ne'ue. Raud. Excursiones sunt, quæ fiunt ab armigeris. Lau. Excursiones uocantur rumores illorum, à quibus recedunt, tamen eædem sunt incursiones, rumores eorum, in quos incurritur. Est autẽ abusus significatione armigeri, de quo nos uocabulo in alio opere diximus. Rauden. Expecto (paulopòst) Tempus redimitis, id est, expectatis. Lau. Imò tempus emitis. unde in iure ciuili, & alibi, redemptores uectigalium, id est, emptores: & apud Paulum, Redimite tempus, id est, emite, ut è Græco fonte apparet. Cicero in Verrem actione secunda: Ve

primùm ex prouincia redijt, redemptio huius iudicij est facta grandi pecunia. Rau. Exul (paulopòst) Inscriptus, quia manet in patria, sed re spoliatus. Lau. Hoc nũquam audiui. Proscriptus idẽ est quod exul, quia nomen suum in publico, tanquam exulis, scriptum est. Rau. Circumscribere est damnare, bonis fallere. Lau. Imò fraudulenter in re contrahenda atque commercijs aliquem bonis aliquibus priuare. ut apud Senecam de eo qui fratrem circũscripsit in diuisione hæreditatis, cùm ex altera parte matrem fratris, ex altera omnia bona posuisset. Rau. Exercitus (posteà) In summa igitur erant pedites sex mille, & centum. Lau. Contra latinitatem dicit, pro eo quod est, Sex milia, aut sexies mille, aut peditum sex milia. Raud. Facies (paulopòst) Cæsius, id est, lenticulosus. Lau. Imò, qui habet oculos glaucos, id est, in similitudinem noctuæ: nec unquam cæsium, nisi de oculis, legitur. unde Cicero ait: Cæsios Mineruæ oculos. quæ dea apud Græcos dicitur habere oculos glaucos, ut milies apud Homerum. Quidam uolunt cærulos esse, cæsios oculos. Rauden. Fastidio, stidis, fastidire, fastiditum: dicimus enim, Quare fastidis mei, & fastidimus bonorum. Lauren. Si hoc uerum est, cur exempla non profers? ego uerò cum accusatiuo reperio, non cum genitiuo. Vergilius: Inuenies alium, si te hic fastidit Alexis. Rauden. Fœmina. Lauren. Cinædus non scribitur y Græco, ut ait Raudensis, nec catinũ significat. Marcellus pro saltatore exponit, alij pro re turpiore, nõ quòd moueat membra in saltando, sed quòd in obscœna Venere. Raud. Fœnero. Lau. Vtrunq;, Fœnero & Fœneror, pro eodem malè accipit Raudensis, quod alio opere docuimus. Rau. Ferrum & calybem in aspectu similia uidemus, specie tamen differunt. Lau. Non differunt specie metallica, quum idem metallum ambo sint. Nam nec aurũ auro differt, licèt purgatius sit, nec saphirus saphiro, licèt splẽdidior, neq; similia a farina. Vergilius certè inquit: At Calybes nudi ferrum. Ergo appellatum est optimum ferrum ab illis populis, qui scientissimè ferrum temperant: uel populi illi uocati sunt Calybes ob hanc ipsam temperandi ferri scientiam siue facultatem. siquidem aquæ quædam hoc apud eos efficere dicuntur, qui nunc Viscani nominãtur, quasi uis calybis, quod apud eos sit uel copia ferri, uel potẽtia ac facultas ferri temperandi, si modò etymologia uera est. Rau. Filo captus. Lau. Non est nomẽ hoc à doctis, sed ab indoctissimis fictum. Philos enim non amorem, sed amicũ significat, siue amatorem: & hoc Græcè. cum quo nomine durè Latinum coniungitur. sed cur in F litera posuisti, cum per ph, scribendum esset? sic philocaptus. Rauden. Procus est ipse solicitator amoris. Lau. Imò, qui aliquam pro uxore postulat, ut Penelope apud Ouidium: Turba ruunt in me luxuriosa proci. Rauden. Filius. Lauren. Quòd nothus sit natus ex nobili patre, & infami matre, miror cur dixit, quum parùm antè Quintilianum attulerit, dicentẽ, Nothum qui legitimus non sit, Græci uocant, non aduertẽs, eodem loco dixisse Quintilianum, ut Catonis oratione testatum est, Quia non habemus nostrum, utimur peregrino. Igitur nothus est absolutè illegitimus. Rauden. Flere (paulopòst) Plorare, est cum lachrymis et uoce pectus aut faciẽ tundere. Lau. Negatur. huiusmodi enim percussio, planctus dicitur. ploratus ipsa uox flentis, sicut fletus ipsa lachryma ex oculis

emanans,

emanans, præ dolore tamen potiùs quàm præ lætitia. Rauden. Fungus. Lau. Non est asparagus, nec defungo intelligit Iuuenalis, quem testem citat Raudensis, nec Asparagus, sed Asparagus dixit, ut Martialis: Non erit incultis gratior asparagis. Raud. Gaudium. Lau. Non est ouare, gaudere, sed se gaudere significare, et exclamare. Rau. Galea. Lau. Iuba nõ est idem, quod galea, sed quod galeæ imponitur, instar iubarũ, aut equi, aut leonis, aut draconis, quales in ueteribus numismatis statuisq; agnoscimus, unde Vergilius: Cristaq; insignis equina. & alibi: Graiorum errore iubarum. Rau. Gladiorum. Lau. Ab Ensis deriuatur Ensicula, cùm dicere debuisset Ensiculus. Spatha, longior ensis, ac latior à quibusdam esse dicitur. Phramea Græcum est nomẽ. Pugio non est cultellus breuis. plus enim est quàm cultellus, nedum maior, quàm breuior cultellus. hunc pugnalem Hispani uocant. Mucro non est pugio longus ut ensis (nam is ensis foret) sed cuspis ipsa ensis. Impropriè autem pro ense accipi bipẽnem ait ex altera parte acutam, quum Quintilianus dicat Ex utraq;, ut ipsum etiam nomen indicat. Rau. Gulosus (paulopòst) Castrimargia gulæ concupiscentia. Lauren. Gastrimargia dicendum est: significatq; nimiam ingluuiem, ut apud Aristot. in ethicis. Scurra non est cibi captator, sed qui risum uerbis mouere captat, non habita ratione uerecundiæ, aut dignitatis. Rauden. Hæres (paulopòst) caducus est, quicunq; fit hæres in bonis alicuius qui hæredem non habet. Lau. Imò caducum est, siue caduca bona dicuntur, hærede carentium, non autem, quantum ego quidem sciam, horum bonorum hæres, sed fiscus, aut dux militũ, publica persona. Rau. Ibi

Hinc Tit. est ĩ Codice Iustiniani, De caducis tollẽdis, lib. 6. Et meminit bonorũ caducorũ Marcellus in, l. 3. ff lib. 28. tit. 4.

Ibi (deinde) Cicero sæpissimè, cùm uult dicere Ibi, dicit Istic. uerbi gratia, Tarenti es, non spero te istic hyemare non iucundè, id est, ibi. Lau. Barbarè expo nit Istic pro Ibi. si enim diceremus, Spero te ibi hyemare, nõ rectè diceremus. De hoc latiùs in elegãtijs. Hæc fuit causa cur Ciceronem unũ afferret, & eum sic dicere sæpissimè testetur, quasi non semper & ipse, & cæteri ad secundam personam sic loquantur. Nec per hoc aduerbium modò, sed per alia quoq;, & per ipsum pronomen, Istic, Istuc, Istac, Istorsum. Iste Ista, Istud. Quantô satius fecisset Raudensis, si alia pronomina præcepisset, quale est, hoc pronomen Ipse solere propriè & eleganter usurpari, sic: Expectabat exercitum auxilio uenturũ, cùm exercitus ipse magis auxilio egeret. Huiusmodi repetitio ferè p hoc pronomen fit, qualia exempla, ostenso indicio, infinita sibi quisq; comperiet. Nonnunquam, si non licet idem repetere, mutuamur simile, ut Iuuenalis: Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Quia, Quantum ipse nummus, propter uersum dicere non potuit. Vergilius: Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam. Cicero Offi. 3, Qui exercitu populi Romani populum ipsum Romanum oppressisset. quod ita necessariò construendum, populum Romanum oppressisset exercitu ipsius populi Romani. Nam ipsum in reponendo nomine locum habet. Rau. Impedire (statimq;) Paucorum culpa non præiudicat religioni, id est, non impedit. Lau. Non est præiudicium impedimentum, neq; (ut aliqui uolũt) offensa quædam atq; iniuria, imò quasi sententia quædam est ante iudicium ac sententiæ lationem, siue pro me, siue cõtra me. Nam præiudicia in caussa Miloniana si contra Milonem fuerunt, tamen

men pro Clodianis erant. Et utraq; pars præiudicia appellat, & ut afferam de medio exemplum, Nunc aduocatis scribis de officio contendentibus, quia lis in longum procedit: Rex iußit, interea dum sententia feratur, alterum officio fungi, quasi iudicans iam nunc se pro ea parte sentire, penes quem esse uult rem de qua litigatur. Et hoc præiudicium, nimirùm tacitè exhortans iudices ad iudicandum pro eo, pro quo præiudicium factum est, ualdè adiuuat posßidẽtem, ut obest excluso. Rau. Infirmitas (paulopòst) meliuscula est, id est, paulisper melius. Lau. Indoctè exposuit Paulisper pro Paululum siue Aliquãtò melius habet. Est enim Paulisper idem, quod Per aliquantulum temporis. Vomica nõ est, quod Raudensis ait, sed crassities illa, quæ nascitur in aliqua parte corporis exteriùs eminens, in quã multum humoris sanguinisq; descẽdit. Vndè apud Plautum seruus gestans in collo crumenam, per iocum inquit: Vomica est. Rau. Inducia. Lau. Magis nos loqui non Latinè Raudensis docet, quàm Latinè. Quis unquã Induciari audiuit pro eo, quod est Morari aut Differre? nisi qui uernacula tuæ gentis lingua loquitur, nõ Latina. Item exponit Vergilium. Rau. Opere omnis semita feruet, id est, differt. Lauren. Quum Vergilius significet laborem ardoremq; feruentẽ, id est, uehemens studium formicarũ in opere faciũdo. Multa quoq; alia similia pecas, quæ persequi infiniti fuerit operis. Mallem hoc præcepisses, indicẽ esse catalogum titulorũ, quibus uel libri, uel capitula inscribũtur. Item Interpello nonnunquam apud ueteres pro Rogo inuenitur, ut Valerius libro tertio: Cato ut socios apud auunculum adiuuaret, constanti uultu non facturũ respõdit. Iterum dein de

de ac sæpius interpellatus, in proposito perstitit. R. Locosus. Lauren. Vult Seriosus à Serio uenire, quum dicatur Serius, id est, grauis siue seuerus, non Seriosus, ut Quintilianus: At nunc ista seria grauis quæ nũc amari recusat, ô quàm uoluit amari. Sic hoc loco peccasti Raudensis, ut superiùs, ubi dixisti, Industriosus, quod non inuenitur. sed Industrius. Rauden. Iocus (deinde) Mimi ethologi, id est, de Etholia sunt rectè scurræ. Lau. Mimi non sunt scurræ, ut alio opere docui. Meliùs si dixisset mimi ethologi, ijdem & ij qui omnia dicunt, tam honesta, quàm turpia. De ethologis si Græca nõ uidit, saltèm sufficerat Quintilianus libro primo, dicens: Chriæ et ethologiæ subiectis doctorum rationibus apud grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducunt, quorum omnium similis ratio, forma diuersa. Quia sententia uniuersalis est uox, ethologia personis continetur. Raud. Larua (multò pòst) Lodicen, id est, lectum seu culcitram. Lauren. Alij pro cortina, quæ lecto circũdatur, exponunt, de qua Martialis: Nudo stragula ne thoro paterent, Iunctæ nos tibi uenimus sorores, id est, lodices. Rau. Lapides (paulopòst) Tofus est scaber lapis, cauernatus, mollis, id est pumex. Lau. Hæc ciuitas Barolitana negat, quæ pulcherrimas quasq; domos ex tofacijs lapidibus habet. Suntq; passim tofacij montes etiã nihil rimarũ iunctarũq; ostẽdentes. ut solent montes marmorei. Negat præterea Catanensis ciuitas idem esse pumicem, & tofum. Raud. Laudare (posteà) Efferunt, qui laude extollunt, per unũ f, sed Efferunt per duas ff dicimus. Lauren. Priscianus & omnes grãmatici negant. Longè pòst confert sententias Demosthenis ad Alexandrũ, et Ciceronis ad

Cæsarem, nesciens non esse illam Demosthenis orationẽ, sed factã ab aliquo Latino. Item alias tres, quarum una est Damedis, qui (ut notũ est) nihil scriptum reliquit, ut Pythagoras, ut Socrates, ut Carneades, qui omnes quum loquendo mirabiles extiterint, nihil tamen literis mandauerũt, ipsa tamẽ inspectio deprehendit illas esse commẽticias orationes, longeq; à Græco sermone, & ab illorum oratorum uita abhorrẽtes. Rau. Litera. Lau. Portitores literarum malè dici, superiùs admonuimus Rau. Eundem ignorare diploma quid sit, miror, quum Seruius exponat, uelitq; significare epistolam uel scripturam aliquam ad aliquem missam. Rauden. Loco (paulopòst) Necubi inuentus est, id est, nullo loco. Lauren. Hoc superiùs quoq; reprehendi. nam Necubi duo uerba postulat, ut, Iussi necubi mihi præstò sis, id est, ne in ullo loco. nam præter morem dixit Vergilius: Tu ne qua parẽtis iussa time. Rau. Longè eminus, id est, longè. Lau. Eminus hoc loco differt à Longè, quòd non rectè dicam Eminus habitas, ut Longè habitas, sed Eminus iacula mittebant, id est, à loco remoto, non autem in hunc sensum, longè iacula mittebant. Eodem modo Cominus dicimus à loco proximo, non autem in loco propinquo, neq; propè, ut, Cominus te percutiam, non autem Cominus sedeo. Rauden. Lupanar. Laur. Non est prostibulum id quod lupanar, sed ipsum scortum, ut apud suum Hieronymum frequenter. dico suum, quia sic ipse appellat, quasi aliorum non sit. Ait autem, Prostibula regnum dei non possidebunt. Rau. Luxuria (paulopòst) Stuprum illicita uirginum defloratio: raptus, cùm puella uiolenter à domo patris deducitur, ut in uxorem habeatur. Lau. Non uerum hoc

esse, elegantiæ nostræ ostendunt. Rau. Alij caducum tentigenem uocant. Lau. Imò est uas illud numerosum, quod ex piscina aut puteo aquam haurit, iumento rotam uersante. Solent ex his etiam fieri canales in parietibus domorum, per quos aquæ ex tectis defluant in cloacas, etiam in quibusdam urbibus, per quos aquæ pluuiæ cisternas impleant. Rau. Macies (paulopòst) Obesus, id est, exilis & gracilẽtus. Lauren. Imò pinguis et crassus. Raud. Marcellum (deinde) Lanista qui carnes laniat. Lauren. Pro Lanio dixit Lanista. est enim lanista, qui homines emit, quos arte gladiatoria imbuat, postea in ludum uendendos. Rau. Macula (deinde) Nævus macula in facie hominis. Lauren. Ergo mentitur Cicero, qui ait: Nævus in articulo pueri delectat Alcæum. Est igitur nævus in qualibet parte corporis. Raud. Memor (in fine) Memini sermo est totus temporis præteriti, si dixeris Memini me fecisse, duo tempora simul iũgis. Lauren. Vult igitur Raudẽsis Memini debere coniungi utiq; cum uerbo præsentis temporis, nec usquam aliter factitatum, nisi in uno uersu Vergilij: Nanque sub Oebaliæ memini me turribus altis Corycium uidisse senem. Et poëtæ ipsi necessitate metri facere licuisse. Hoc quàm ridiculum præceptum sit, quis non uel puerorũ intelligat? si enim Memini idem est, quod recordor, nunquid minùs rectè dicam, Memini disputasse cum Paulo, quàm Recordor disputasse cũ Paulo? At enim Memini præteritum est. Sanè uerò. nec enim inficias eo, in præterita quoq; significatione accipi: sed in præsenti tamen etiam accipitur, & quidem ferè semper. ideo penè improprium est iungere tempus præsens cum hoc uerbo Memini, similibus q̃, neq; abs

re. Præterita nanq; recordamur, non præsentia. Igitur præterito tempore utendum est, ut, Memini te fuisse uirgis cæsum, non autẽ cædi: Memini te coronatum spectasse ludos, nõ autem spectare: Meministi ne te interfuisse cateruæ Sabinorum? non autẽ interesse. & quale illud Vergilianũ, quod ab hac regula Raudensis excepit. nam uersus ille apud eundẽ: Cantando puerum memini me condere soles: magis licentiam poeticam ostendit, qua ego nõ uterer, duntaxat in prosa. Dicerem enim sic, Memini me puerum condidisse, seu condere solitum esse dies cantando. Vides, ut in contrarium res ipsa recidit. Raudensis præcepit, ut tãtùm cum tempore præsenti Memini iungatur: ego sentio iungi debere semper cum præterito, aut ferè semper. Raud. Meretrix (paulopòst) Seneca: Pellices cœlum tenent. Pellicatus locus concubinæ, et propter pellicatus suspicionem, id est, concubinatus. Lauren. De hoc nomine in alio opere disserui, nec me fallit, quosdã accipere pellicem pro cõcubina, quorum est Iustinus: tamen Seneca eas hîc intelligit, quæ cum uiro alterius corpus miscent, ut Cicero ait: Theben Alexandri Phærei uxorem propter pellicatus suspicionem, id est, quòd suspicaretur eum pellicem habere, occidisse uirum. Rau. Mille (in fine) Liuius enim dixit, Gallorum undecim millia sunt occisa, & peditum septem centena millia. Lauren. Hoc non dixit Liuius, quoniam nunquam doctorum aliquem ita locutum inuenimus. siquidem dicendum est, Septies centena millia. Rauden. Mors (posteà ait) Cædes est mors. Lauren. Imò mors non fatalis, sed ferro, aut ligno, aut saxo similibusq; illata, præsertim occidere, aut ferire, aut percutere uolentis. inde dicimus aliquem commissse

sisse cædem: & Milo de cæde accusatus est. Rauden. Morbus (deinde) Papulæ paruissima cutis erectio. Lauren. Paruissima non inuenitur. præterea Papula est pustulus similis næuo. Rauden. Mutuare & mutuari. quidem ait, Sibi pecuniam credidit, id est, mutuatus erat. Cicero etiam dixit, Nec temerè si credere putabit, id est. mutuari. Aulus Gellius inquit, Pecunia mutuata. Lauren. Si plura in hoc capite dixisset, plura peccasset. Vt enim in elegantijs dixi, Mutuo tibi pecuniam, id est, credo tibi pecuniam, Mutuor autem abs te pecuniam, id est, accipio abs te creditore pecuniam. Rau. Mus (statimq; pòst) indè muscipula, muriceps, catus, & catulaster, idẽ sunt. Lau. Muscipula cum apud alios, tum apud Hieronymum, machina est ad capiendos mures. Catus apud Seruium in libro quẽ de Græcis Latinisq; nominibus scripsit, est generis fœminini. Quod si ita est, non potest formare catulaster, uoce masculina. Et nihilò minùs aliud est catulaster, q animal murium uenator. Muriceps uocabulum est insuetum, qualia multa cum summa licentia Raudensis excogitat. Rau. Natura suopte ingenio, id est, natura suopte consilio, itẽ meaptim tuaptim. suaptim, nostraptim, uestraptim. Lau. Videtur author accipere posteriora in sensum priorũ, quũ aliter significent, & aliter scribi debeant. Meatim est meo more, Tuatim tuo more: Hoc Seruius ait super Donatum, & alij quidam. Rau. Naues Lyburnæ, sunt naues negociatorum. Lauren. Hieronymus ait esse naues longas. Rau. Lembus lignũ cauatum, quasi cymba. Idem est capillus, & carabus, & lynter discurrẽs in pelago ex uimine et corio. unde ille dixit, Cauat arbore lyntres. Lau. Lembus et cymba an ex

una

una arbore sint, qui dicũt ipsi uiderint. propriè autem tantùm lintres è singulis arboribus constant, atq; ita uulgò uocantur cauatæ ad traijciẽda flumina trabes: quod Vergilianus ipso loco (quem Raudensis attulit) uersus testatur. Verùm an ex torio ac uiminibus lintres, Raudensis intelligat, nescio. quòd si ita sentit, ex una tantùm arbore esse nõ potest: sed si utrunq; sit, nego usum lintris esse in pelago, quæ solùm aut cento aut palo, in fluuijs stagnisq; aguntur. Rau. Triris nauis magna, quam Græci duracon, uel dolconem uocant, à tribus sessionibus. unde dictum est, Trieris magna transibat. Lau. Quid attinebat dicere, hoc nomẽ Græcè duracon uocari, si modò sic uocatur, quum ipsum nomẽ Græcum sit, & (ut sentio) idem quod Latinè triremis, aut penè idẽ. Rau. Artemon est uelum nauis breue. quia meliùs leuari potest, in summo perículo extenditur. undè Actuum uigesimoseptimo, Artemone leuato, secundum flatum auræ tendebant ad litus. Lau. Quàm planè Raudensis ostẽdit se in Mediterranea urbe natum, nec unquàm mare intrasse, qui pro amplissimo uelo, breue esse artemonem ait. Rau. Naulum, id est, lucrum & capitale. Lau. Imò pecunia, quæ soluitur pro uectura in naui Rau. Nauclerus primus nauigator. Lau. Imò qui in naui nautis imperat, quæcũq; ad faciendam nauigationẽ pertinent. nec absurdè in triremibus idem intelligitur, qui comes uel comitus dicitur. Rau. Neneu, id est, neq; Lau. Imò Neu idem est quod Neue, ut superiùs ostendi. Rau. Nec (deinde) ne, pro Nec sæpissimè utitur Cicero, & antiqui, sed ad ornatum pòst addebant Quidem. uerbi gratia, Non est amicus, ne noster quidem, qui bona nostra tollit, Lauren. Sunt ne ista Ciceronis

nis & antiquorum uerba quæ recitas? Imò adeò hoc exemplum non Ciceronis exemplum est, sed ex Biblia deprauatum, ubi meretrix illa puerpera apud Solomonem contra alterã litigat. Verùm non modò hæc exempla falsa sunt, sed etiã præcepta. quippe nunquã Ne pro Nec reperitur, nisi iuncta Quidem, aliquã tamen interiecta dictione, quale meum (quo nunc usus) exemplum probat, & ut in elegãtijs latiùs disputaui. quod igitur sine Quidem, Ne in hunc sensum esse non potest, liquet hanc coniunctionem necessitatis, non ornatus caussa adhiberi. Neue quoq; non accipitur pro Nec, sed pro Vel, Vt non, ut Cicero: Néue uastiùs syllabæ diducantur, id est, uel ut non uastiùs diducantur. Rau. Negare, infirmare, inficiari, infiteri, defiteri. Lau. Infiteri & Defiteri non reperias, sed potiùs Diffiteri, id est, negare non fatendo. Inficiari propriè est negare, quod factum, dictum ue, aut cogitatum est. à quo uerbo status coniecturalis dicitur inficialis, ab In, quod est non, & Facio, unde infecta negocia, quæ non sunt ut debuerunt facta, dicuntur. Nescio enim an Latinè diceretur, Plato ait mundum creatum esse, Aristoteles inficiatur. Quippe non factum nũc negatur, sed opinionem ueram esse. Item: Orestes impiè occîdit matrem, & Horatius sororẽ: nescio an posset patronus respondere, Inficior impiè occidisse. Raud. Nomen. Lau. Quia pluribus uerbis longæ authoris oratio refellenda esset, ideo quod uerum sit, paucis absoluam, Sic enim quid ille quoq; peccauerit apparebit. Veteres Romani terna singuli ferè nomina habebant (nõ attinet hoc loco caussam reddere, cur terna, non singula) prænomen, nomen, cognomen, ut Pub. Cornelius Scipio, Pblius est prænomen, Cornelius

nelius nomen, Scipio cognomen. Et nomen quidem atque cognomen omnium eiusdem familiæ commune erat, prænomen uerò tantùm singulorum, et ideò proprium nomen quo se inuicem gentiles uocabant. uerbi gratia, pater appellabat ex duobus filijs alterum Publium, alterum Lucium, nec aliter inter se fratres ipsi uocabant. Agnomen uerò acceßit ex gestis, alio'ue casu, ut Aphricanus, ut Creticus, ut Caligula, ut Scropha: sed hoc rarò usurpatur. cognomen nanque potiùs quàm agnomen dicitur: ut Sallustius, Liuiusq́, Scipio, cui Aphricano fuit cognomen. Rau. Nox (déinde) nocte intempesta, id est, incongrua. Lau. Imò nocte tacita, ac silenti, & ferè media nocte, an incongruã noctem Vergilius intelligit? Et lunam in nymbo nox intempesta tenebat. aut Cicero in Verrem? Affertur nocte intempesta grauis huiusce mali nuncius. Et iterum: Teq́ Hercules, quem iste Agrigẽti nocte intempesta seruorum instructa & comparata manu conuellere, & è suis sedibus auferre conatus est. Aut illud in libris regũ, hoc significat, quod inquit? Cùm intempestæ noctis silentio sustulit filium meum. Rau. Nugas. nugæ sunt uerborum circuitus & perplexitates. Lau. Imò sermones leuium rerum ac nullius põderis, & plerunq́ scurriles, ioculatorijq́. unde Catullus ac Martialis poëmata sua nugas uocant, ut de inanibus rebus loquentia. Hoc uocabulum Hieronymus ait Latinum & Græcum & Hebraicum esse, sed ab Hebræo fonte ad Græcos Latinosq́ deriuatum. Rau. Nunquid. Vtrùm pro Nunquid sæpißimè Cicero in orationibus suis dixit. Laurent. Imò Vtrum de duobus interrogat, Nunquid uel de uno, uel de multis, & nonnunquã de duobus Impolitè loquitur sic Rau

densis

densis, In orationibus suis, & In epistolis suis, In libris suis Officiorum, Vergilius in Aeneide sua, Ouidius in opere suo De arte amandi: quasi dubitari possit, an hoc illi in alijs operibus, quàm suis poßint dicere. Immundè igitur, nõ tersè additur illud Suis. Hoc tamen non est omittendũ, Nunquid nunc aduerbium esse, nunc nomen: ut, Nunquid ego sum, qui te accusaui? nunquid est aliquod nauigium meo capacius? nunquid alterum filiorum occîdes, ut alterũ serues? Nomen autem erit sic, Nunquid criminis habes, quod mihi obijcias? id est, nunquid aliquod crimen: sed apertiùs in genere non neutro, ut Nunquis omniũ nostrorum te offendit? nunquis meorum parentum tibi iniuriam fecit? hîc interrogatio fit de uno, de duobus, ac pluribus. Rauden. Nuncius (déinde) Aprocrisarij nũcij Papæ, quasi secretarij. crisis enim quãdoq́ dicitur secretum, quandoq́ aurum. quandoque iudicium. Lauren. Vtinam contentus esses lingua Latina, nec ea, quæ ignoras, attingeres. Apocrisarij sunt legati non tantũ Papæ. κρίσις significat tantùm iudiciũ, nam pro abscondito per y Græcum, non per i. aurum uerò per y, & h, atq́ o & in genere masculino, proferendum est, sic χρυσός. Et apocrisarij non aliter apud Græcos nitidum uocabulum est, quàm apud nos ambasiatores, quod nemo, nisi barbarus, dixit. Rauden. Item reperitur Nuncius nuncij masculini generis, & non sumitur pro nunciatione alicuius rei. reperitur etiam Nuncium neutri generis, & tunc sumitur pro re aliqua, quæ renunciata est. Lau. Nuncius pro hac significatione nemo dixit, sed pro homine nunciante. Nuncium in genere neutro Seruius ait pro ipsa re nunciata accipi. Festus pro utraque significatione

Eruditi ꝓ noĩe scribũt Num qd ut sint duæ dictiones, quæ si Num aliquid.

in

in masculino accipit, sed Raudensis nullũ exemplum affert, quod frequẽtissimè facit, & sæpè aut ad rẽ non pertinens, aut contrarium affert. Rau. Obscuritas (paulopòst) uidetur accipere teter ꝓ eo quod est ater, obscurus, & subniger, ut in prouerbio ueteri, Quid cum rem, an ille ater, an albus sit? & Cicero Philippic. libro secundo, & quidem uide, quàm te amarit is, qui albus ater ue fuerit ignorat. Lau. Est autẽ teter idem quod malus, & insuauis, tum ad mentem pertinẽs, tum uerò ad cæteros sensus, ut Tetra belua, teterrimus hostis, teterrimum facinus, teterrima mens. Item tetro aspectu, tetra uoce: sed in his potiùs sensibus usitatum est. quòd si dicatur illud Vergilianum, Tetro fœdabant omnia tactu, ad odorem refertur, quem tangendo relinquebant. Rauden. Obligatio. Lau. Obnoxius ait esse obligatus. imò potiùs est subiectus, appositus ue ac summissus. unde locus aliquis dicitur obnoxius uento alicui, ut Lucanus: Illinc Dalmaticis obnoxia flatibus Ancon Rauden. Obliqui (deinde) aliquantò pòst) audi nunc de Catilina, & cõplicibus suis sic dicentem. Lau. Complices non est uocabulum Latinum, licèt ipse non longè pòst afferat hæc uerba Ciceronis in Catili. Tuorum complicũ magna & pernicioſa sententia: quod scribendũ est Comitum. & non Complicium. Rau. Vnum, quum multa de M. Antonio dicat Cicero, referam, & est Quintilia. Lau. Imò Cælij in ipsum Antonium: sic erras. nam hæc orauit Cælius in C. Antoniũ M. Antonij patruũ, Ciceronisq; collegã, qui bellũ cum Catilina gesſit, ut est apud Sallust. Obloqui pro hac significatione, id est, obtrectare, nescio an repererim: sed pro uicina, quæ est, In contrarium loqui, ut Cice. pro Cluentio: Vocat me aliò

aliò iam dudum uestra expectatio, quæ mihi obloqui uidetur, cui similis, sed figuratè in ea, qua accipit Vergil. cùm inquit: Obloquitur numeris septem discrimina uocum. Rau. Contra famam eius sanctam & cœlibem êditos esse. Lau. Seipsum in imitationem affert Rauden sis, qui quasi alter Cicero sit, quædã in Oratore refert. Cœlibem pro actiuo accipit, quod ego non ausim affirmare, & pro magnificatiõe casti, quod (ut suprà docui) nõ ita est. ergo monachus & frater (qualis Rauden sis est) superuacuò dicitur cœlebs, qui uxorem ne habere quidẽ potest. Rau. Obliuiſci (ſtatim pòst) cùm ætas multos obliuione obruescet. Lau. Inchoatiuum pro positiuo posuit. Obruescet enim est obruetur, ut Albescet, id est albabitur, Veterascet, id est uetus fiet. Rau. Obstinatus (paulopòst) ceruix in singulari collum, in plurali contumaciam significat. Lauren. Imò (ut testatur Quintilianus.) antiqui dicebant Ceruices, non Ceruicem, primusq; Hortensius dixit ceruicem, significatq; non collum ipsum, sed posteriorem colli partem, quo boues trahunt. Ideoq; apud Iudæos à Deo dicitur, Populus duræ ceruicis, quasi duræ mentis, & ita indomabilis, ut tanquam durior bouis ceruix obtẽperare nesciat. Ea propter potiùs in singulari contumaciam significat. neq; enim memini in hãc significationem inuenisse Ceruices, nisi fortè multorũ. quis enim audiuit? Homo aut populus durarum ceruicum, siue duris ceruicibus. Rau. Obtinere (inde) imitatores exorauit, sed nõ impetrauit, id est, obtinuit. Lau. Imò Exorare est obtinere, ac impetrare orando, si tamen ad rem hoc refertur, ut in Elegantijs diximus. Nam & Oro te, & oro hanc rem, dicimus. Oro te, est illud quod Precor te: Oro uitam, est

quod postulo uitam. Vnde Exoro te, est induco, exoro hãc rem, impetro hãc rẽ orãdo, eodẽ modo quo dicimus, Persuadeo te, et persuadeo tibi hoc. sed de his in eo, quod dixi, opere latiùs. Rau. Oculus (deinde) Pituita, putãt aliqui, quòd sit humectatio, quæ ab oculis fluit. L. Ego uerò puto pituitã idẽ esse Latinè, quod catharrus Græcè, hoc est quemlibet humorẽ redundantem, qui ex ore naribusq; fluit, uel etiam si non flueret, etiam si non redundaret: quod intelligit Cicero libro primo Tusculanarum, cùm inquit: Nam sanguinem bilem, pituitam, ossa, neruos, uenas, omnem denique membrorum & totius corporis figuram. Rau. Oculis cæsijs, id est lentiginosis. Lau. Iterum dixerat lenticulosis. Mirum sit esse lentigines, aut lentes in oculis, nisi ad colorem lentiũ, lentiginumq;, ad harum magnitudinem maculæ oculorum intelligantur, tamen quid de hoc ipse sentiam, superiùs dixi. Rau. Odire (statim pòst) Odium est inueteratus animi rancor. Lau. Non Græcum, non Latinum, non Hebraicum, sed rancidum nomen est. Raud. Simultas, est latens odium. Lau. Nec odium est inueterata maleuolentia, nec simultas odium latens, sed mutuũ odium, siue ipsum odiũ, tantũq; ab inimicitia differt, quòd inimicitia uti que opere se ostendit, & uerbis & factis aduersarium lacessit. simultas plerunq; intelligi contenta est, aut (ut sic dicam) offensionem suam præ se ferre. ut apud Ciceronem pro lẽge Manilia, Vt multas simultates partim occultas, partim apertas intelligam mihi esse subeundas. Rau. Exosus, & Perosus, actiuè & passiuè dicitur. Lau. Actiuè fateor, passiuè proba. Rau den. Inuidia est odium. Lau. Imò atrocitas uel reprehensio, uel detractio, ut in Elegãtijs copiosiùs. Rau. Omnis

Omnis Quicunq;, Quilibet, Quisq;, Vnusquisq;, Vnusquisquam, Singulusquisq;, Nemo non, Concti per o, & per c, Vnusquisquilibet, Nullus non, in idem recidunt. Lau. Quilibet non uniuersale, sed particulare est, id est, unus, quem tibi capere libeat, ut plenius disputauimus in dialecticis. Vnus quisquam quomodo uniuersale erit, quũ idem sit quod Aliquis unus? Singulus quisq; non dicitur, sed singuli quiq;. Vnusquislibet inauditum atq; agreste est. Concti per o scribi debere, nemo ante hunc dixit, de c quoq; dissentio. Rau. Aliqui credunt, quòd Quisque & Quiq; non rectè ponantur, nisi post superlatiuum pluralem, ut, Optimos quosq; uiros & sanctissimi quiq; uiri, sed recubent in ludi nouissimo loco. legãt Macrobium, qui in singulari numero, neq; superlatiuo dixit, Die quôq;, & homine quôq;. Lau. Qui sunt isti Raudenses, qui ita credunt? Nempe solus ego hoc tradidi, quod tu ab auditoribus meis accepisti, quodq; ego apud te, ac te præsente legi in cõmentarijs istis tuis, ut testatus sum in secũdi libri De elegãtia linguæ Latinæ procœmio: uerùm aut istã in me contumeliam non scripseras, cùm hũc locum legerem, aut ea mihi postea componenti excciderat. siquidem aliquot annis post te opus condidi, tametsi (ut opinor) antè êdidi, licèt alij potiùs êdidêre, quam ego. sed omitto amicitiam, quam tu in ista ætate & professione lædere non debebas. Videamus uter erret. quanquã haud dubito, si Elegantias meas legisses, laudandum me duntaxat hoc in loco putasses, non carpendum, ut cæteri fecerunt. Dicis me errare, qui uelim Quisq; & Quiq; tantùm poni cum superlatiuo plurali. Ego'ne Quisque cum plurali numero coniungerem? ita'ne barbarus sum, & ab elementis grammaticæ alienus, qui de latinitate

& elegantia præcipere uideor? sed hoc transeo. Quid est autem, cur meum præceptum tantopere derideas? quia Macrobius aliter usurpat. esto Quid Cicero Quintilianusq; quos in primis imitandos ꝓponor? usurpant'ne & ipsi aliter, an non? si usurpant, cur nõ eorũ profers potiùs exemplar? Quid Macrobium unum, dictum quidem utrum, sed nequaq; ex eloquentibus, mihi obijcis? Feciſſes igitur, ſi huiſmodi exempla apud Ciceronem Quintilianumq; reperiſſes. Si non uſurpant, ut certè non uſurpant, quid cauſſæ eſt cur me ſummorum oratorũ ueſtigijs inſiſtentem accuſaq;, et ad Macrobij iudicũ uoces? An non ſentis, non me repræhendi abs tè, ſed Ciceronem Quintilianumq;, ac cæteros linguæ Latinæ atq; elegantiæ principes? Adde, quòd ſi Macrobius in uno aut in altero loco aliter, q̃ trado, uti ſolet, certè in plurimis id, quod præcipio, cuſtodit. Neq; uerò (ut teſtatus ſum) in ope illo De elegantia legem trado, quaſi nunquam aliter factum ſit, ſed frequentiſſimè. Nunc ad extremum agnoſce imperitiam tuam: cùm dico Quiſq; coniungi cum ſuperlatiuo, non cum poſitiuo, de adiectiuis loquor, non de ſubſtãtiuis: atq; exemplo Macrobij de ſubſtãtiuis ſunt, quod nemo dubitat, ut, Quiſq; pater, quiſq; ciuiũ, quæq; mulier, quod ipſe in eodem loco teſtatus ſum, cùm dixi, Quiſq; nõ habere genitiuum pluralem duntaxat cum adiectiuo. Quod quum ita ſit, planè apparet Macrobium non contra me facere, ſed eum cum cæteris authoribus præceptum confirmare, id eſt, te errare, nõ me: & Quiſq; cum ſuperlatiuo, non cũ poſitiuo debere coniungi. Quæ res à me copioſiùs in eo ipſo, quod dixi, opere explicatur. Cæterùm ſicut in hoc, quod me peccare exiſtimaſti, contumelioſius fuiſti: cur in eo quod à me

me, id eſt, ab authoribus meis audiuiſti, non fuiſti grat? tus? ubi de Per & Quàm præcipis, itemq; numerũ minorem præponi maiori, tametſi quæ præcipis, obſeruare non potes (quod ſummoperè pudendum eſt) ſi modò rectè præcipis: nam numerum minorem non utiq; præponendũ dixi, niſi interueniẽte copula, & alia in hanc rem plura. Vter ergo Raudenſis, tu'ne, an Laurentius recumbere debet in ludi nouiſſimo loco? Verùm nõ refundam ego tuam in te contumeliam, & amicitiæ noſtræ tribuam aliquid, quod tu non feciſti. Rau. Oportet (in fine) Plautus in Aululari a: Da mihi operam, id eſt, occaſionem, facultatem. Lau. Imò, inſerui mihi hoc eſt, operam tuam mihi impende, ut idem Plaut. in Capti. duo: Quæ res benè uertat mihi meoq; filio, Vobisq;, uult te bonus herus operam dare tuo ueteri domino. Terentius in Phormione: Nos operam dabamus Phædriæ. Aliquando pro eo, quod eſt audias. unde Cicero Quintilianusq; teſtãtur Demoſthenẽ dediſſe operam Platoni, id eſt, diſcipulum ei fuiſſe. Rau. Ne reus maieſtatis illorum fiam. Lau. Reus pro nocens accipit Raudenſis, ut in capite peccatum, reatũ pro peccato, qualem apud ueteres ſignificationem non reperias. nam de uſu Euangeliorum hoc loco nõ attinet dicere: quũ plura diſſeramus in libris ſuper Nouum teſtamẽtũ. Rau. Ordo (deinde) Homo ſerius. Lau. Vult Raudenſis, ſerium hominem dici à ſerie, quum Series habeat primam breuem, Serius uerò longam. ergo à Serio deſcendit, nec ſignificationem ordinis à ſerie ſeparat, quod ego in Elegãtijs feci. Ra. Ornatus. Lau. Plurima nomina ad ornatũ pertinentia enumerat, nec ea exponit, nihil aliud faciens, niſi q; ſe illa poſſe dicere, quæ docere uult, indicat. ego uerò ſi ea co

ner exponere, opus uocabulorum componam, non notas Raudensis attingam. Rau. Hortus per h scribi debet. inde hortulus. Lau. Si hoc ita est, cur uocabulũ in capite o literæ, et nõ in capite h posuit? Rau. Olitor est olera uendens in foro olitorio. Lau. Ego potiùs pro eo accipio, q̃ uulgò dicitur hortulanus. Vñ dè Varro De lingua latina: Nam ut holitor digerit in areas sui cuiusq; generis res, sic in oratione. Raud. Ouis (statim pòst) Ammon est aries per duplex m, ut ueruex, id est aries. L. Ammon est harena, nõ aries: nec Latinum nomen, sed Græcum. Decepit aũt Rau dẽsem, q̃ Iupiter (qui dicitur Ammon) colitur sub imagine arietis. Sed imaginis quidem alia causa est: nominis aũt ratio ab harenis, quib. undiq; circũiectis locus in medio relictus est, ubi templũ Ioui erat extructũ. Veruex est aries castratus, non tamen aries: sicut mas ialis nõ est ueruex. Rau. Pactũ. Lau. Raudensis ait, Quintili. Seruiũq; dissentire in præterito Pepigi, quod nũc minimè uerum est. nã ille ait Pepegi ita esse à pango, ut cecidi à Cado: hic uerò, nunquã lectũ esse Pepigi à pango, licèt quidã hoc sentiant. A Pango dixit Seruius nõ uenire Pepigi, ergo fatetur à pago. Rau. Palus (nõ multò pòst) Larius lacus Galliæ Cisalpinæ (déinde) Lemannus lacus Galliæ (déinde) Luceriæ lacus per quẽ transit Rhenius (déinde) Cumanus lacus, unde exit Abdua. require Plinium de naturali historia. Lau. Quæro abs te, qui Plinium instem citas, ait ille aliquem lacum uocari Cumanum in Gallia? non dico, q̃ Comensem, non Cumanum dicere debueras, sed aliquem lacum à Como uocari. Lege ergo diligentiùs utrunq; Plinium, patrem filiumq;, & intelliges, non sic appellari, nec alium nunc esse à Lario

rio lacu. Lemannus lacus est, ut qui uicinus Gebennæ in Rhodanum influit, à quo Alemanni uocantur, licèt hoc tempore non dicãtur illi esse Alemanni, sed Galli. Rauden. Pario (déinde) Puerperium propriè est primus partus (déinde in fine) Puerpera est puella primi partus. Lau. Imò puerpera est quæ recèns peperit, ut nomen ipsum indicat, non quæ primũ partũ enixa est, totiesq; mulier puerpera est, quoties puerum aut pueram parit. Ouidius autem de Latona, quæ geminos pepererat, ait: Magna gemelliparæ ueneratur numina diuæ. At puerperium est tempus, quo ex dolore partus cubat, seu intrà domum se tenet. nec puerpera tantùm puella est, sed etiam, ut dixi, quæ plurimos peperit, adeò ut si tantùm esset fœmina primi partus puerpera, quod longè est secus, tamen & anus potest esse primi partus mulier. An Helizabet puerpera fuit? neque enim uocatur puerpera, quia puellam parit, sed quia puerum pueram ue, ut modò dixi, nec quia primo partu. Alioqui dixisset Terentius: Glycerium puerperam potiùs, quàm primi partus mulierem. uerùm (ut testatus sum) postquam peperit, et intrà dies purgationis, puerpera est. Rauden. Rarò (paulopòst déinde) cum armis præstò forent, id est, parati. Lauren. Raudensis eodem modo accipit nomen, quo uulgus, quod ait, Ego sum præsto, id est, paratus: Præsto sum igitur idem est quod Præsens sum, &c. quæ in Elegantijs latiùs. Rauden. Paruulus (déinde) dicimus puellum tantillum, id est, puruulum. Lau. Ipse nõ affert exemplum. Syrus apud Terẽtium ait: Quem ego modò puerum tantillum in manibus gestaui meis. Credibile est Syrũ ostẽdisse gestu manus, pusillitatẽ illã quã dicebat. In Adel.

sed iam à quibusdam est usu receptum, ut etiã sine genitu ita dicatur, ut Plinius de Regulo: Spe legati eluso, ne tantillum quidam reliquit. Scribebat enim Plinius, nõ loquebatur, ubi opus nõ erat gestu. Cic. quoq; in Verrem actione 4. Quorum oratione iste cùm precium iam accepisset, ne tantillũ quidem commotus est. & in eundem sæpius. Rau. Nam quantula nostri uoluptas, id est, parua. Lau. Interrogatio facit ut suppleatur Parua. nam propria huius loci expositio est, Nam quantulum magna est uoluptas nostra? Rau. Pascere (paulopòst) Et dum pabulatu redirent armenta. Lau. Redire pabulatu, non licere dicere, iam admonuimus. Rau. Gellius dixit, Villaticæ pastionis. Lau. Quasi non Teren. Varro librum inscripserit De uillaticis pastionibus. neq; uerò Raud. si faciendũ fuit, ut tam sæpè A. Gellium pro teste afferret, hominem curiosè nimis ac superstitiosè loquentem. Quid dicam de Apuleio, in eo præsertim opere, cuius nomen est De asino aureo? cuius sermonẽ si quis imitetur, non tam aureè loqui, quàm nonnihil rudere uideatur. Rau. Patientia (in fine) Dicimus etiam Per se tulit, per te feras, id est, ultra naturam hoc patere. Lau. Hoc inauditum est, sed Præ se tulit, & præ te feras, de quo significato in Elegãtijs dixi. R. Pau cum (paulopòst) quota pars erat, id est modica. Lau. Dixi superiùs, cùm ita interrogamus, suppleri Parua. est enim sic interrogando, quota eiusdem significati, cuius quãta, ut in Elegãtijs docuimus. R. Paxti (paulopòst) Treuga est et securitas præstita pœnis & rebus ad tẽpus, discordia nondum finita. Lau. Si cum literatis agis Raudensis, quid ita diffinis illiterata uocabula? sin cum illiteratis, istam tuam diffinitionem

tionem nec intelligunt, nec desiderant. Quid quòd personas ais pro hominibus? non minùs ineptè, quàm cùm treuge, pro inducijs uteris. de hoc etiã in Elegantijs. R. Pellis (dẽinde) Pelliparius, parans pelles. Lau. Quid est parare pelles? quis etiam utitur hoc nomine Pelliparius? En magister elegantiarum, qui elegantijs bellum indixisse, aut contra illas bellum gerere uidetur. Rau. Pœna (dẽinde) Mugilis piscis est uelocissimus in modum serpentis, qui in sacco parricidiali mittebatur, ut podicem ingrederetur. Lau. Quis piscis inclusus sacco uiuit, nisi fortè anguilla ac murena? Quis item piscis ingredi locum illũ hominis posset, aut auderet? frigida loca, atq; humida spacioſaq; adamant pisces, non calida, non sicca, non arcta: sed nimis de re illiberali, nec digna, quæ ab homine pudenti dicatur. Rau. Pœnitet. Lau. Pluribus uerbis conatur exponere Raudẽsis, Pœnitet quid significet, & specialiter in loco Ciceronis, Quoad te quantum profeceris, nõ pœnitebit: ego statim breuiterq; exponam Pœnitet. præter illam usitatam significationem, est idem quod Piget, quæ significatio parùm abest ab illa naturali, ut Terent. in Hecy. Quod si perficio, non pœnitet me famæ meæ. Et Vergil. Nec te pœniteat calamo triuisse labellũ. Non aũt, ut hic, & alij quidã exponunt, pro Parùm uideatur, nec Aul. Gellius satis doctè subtiliterq; defendit Mar. Tullium ab Asinio Pollione, cæterisq; obtrectatoribus, in loco illo orationis pro Cælio: Nunquam efficiet ut pœniteat eum deformem esse natum. Pœniteat, ait Cicero, quasi pigeat, doleat, tædeat. ut idem De senectute: Nec senectutis meæ pœnitet. Et Titus Li. Nec pœnitet esse in ea opinione. Rau. Pẽsio (indè) Pensionarius. Census

sus est annua pẽsio. Lau. Pensionarius est Rauden se uerbum, non Romanum. Census quoq; non est annua pensio, nisi apud non sanè doctos, sed aut quicquid fortunarum quis habet: unde Quintilianus: Abiêre uires, census, mens: aut id quod principi per capita solutur, siue per focos. unde dicitur quis soluisse aut non soluisse censum. Raud. Pendo (deinde) Apuleius ait gradus pensiles, id est passus. Lau. Quid exponis gradus, an pensiles? Si gradus, nihil hoc ad propositum. sin pensiles, hoc nõ significat: gradus pẽsiles quid sint, in Elegantijs dixi, nũc uerò Apuleius sentit gradus pensiles esse sustensos passus. Rau. Penu, cellarium, promptuariũ. Lau. Author accipit Penu non modò pro rebus quæ reponũtur ad uictum (ut omnes aiunt) sed etiam pro loco illo, quem idem cellarium promptuariumq; appellat, quod nemo doctorum dixit. Rau. Penuria, Cicero dixit, In summa annonæ caritate, id est, penuria. Lau. Imò aliud est penuria annonæ, aliud caritas, ut in alio opere dixi, & nunc iterum dicã. Penuria annonæ est paucitas ac raritas annonæ: caritas uerò, carum annonæ precium, quæ potest esse magna, cùm nulla penuria sit, ut quando iniqui annonam habent & supprimunt, ut cariùs uendant, aut non supprimunt, sed carè uendunt: & eduersò plurimarum rerũ penuria, id est, raritas est, & earũ nulla caritas. certè bonorum uirorũ magna sanè penuria est, & ij, qui sunt, cari non sunt. Rau. Pera (deinde) Cistellæ etiam sarcinulæ sunt. Lauren. Imò iumentorum (ut uulgò uocantur) basti, super quos sarcinæ, aut alia onera ponuntur. Rauden. Persequor. Lauren. Vult hoc uerbum in malam partem tantùm accipi. nam de significatione eius, in bonam dicere omisit, quod

quod etiam non rarò reperitur. ut enim dicitur Persequor te, id est, infestè te sequor: ita Persequor quæ incœperam, id est, pergo quæ cœperam dicere. sed de hoc in Elegantijs. Raudensis. Petere (deinde) Contendere est cum efficacia petere. Laurẽtius. Imò contendendo, siue cum conatu ac nixu petere, semperq; id requirit ablatiuum hoc modo, ut apud Ciceronẽ: Frequenter à me contenderunt. Rauden. Item, Iubeo te illam amare, id est, peto cum magna instantia. Laurent. Imò apertè dicere & quasi hortari, ut, Iubeo te saluere, iubes me benè sperare. Vergilius: Cur me cœlum sperare iubebas? Sed de hoc uerbo in Elegantijs latiùs. Instantia nõ probatum uocabulum est. Rau. Piger (paulopòst) Accidia est animi torpor, quo quis bonum desinit inchoare. Lauren. Vt id significet hoc nomen, non potest scribi Latinè, nec pronunciari, nisi dicamus scribamusq; Acidia, seu Acedia, utrunq; tamen per unum C scribendum pronunciandumq; est: taceo quòd desinere est eorum, qui inchoarũt, non eorum qui nondum inchoarunt, ut ait Raudensis. Nemo enim potest desinere inchoare. Illud nunc addo significatione. Locus ille Psalmi, qui ait: Dormitauit anima mea præ tædio, Græcè est præ acedia, ut idem sit tædium, & acedia. Item locus alterius Psalmi, Et anxiatus est super me spiritus meus, Græcè est Acediauit. ergo idem est anxietas, & acedia. Rau. Ignauia est animi uicium, quo quis in aliquo opere nullam adhibet discretionem. Lau. Inaudita hæc huius nominis diffinitio. Est enim ignauia contraria fortitudini, ut Cicero multiq; testantur, cùm quod ratio aggredi fortiter suadet, id nos formido dissuadet, & ab audendo retinet. Discretio non est uocabulum dignum

eo

eo, qui doctrinã elegãtiæ profitetur. Rau. Pinguis (deinde) uitulum saginatum, qui butyro & melle saginatur. Lau. Quis unq̃ dixit uitulum pasci butyro & melle? saginari enim, est delicato opiparoq̃ edulio impinguari. saginatur itaq; titulus mollioribus herbis, fœnoq̃, aut alijs cibis, manu humana ministratis, non butyro & melle. mortuum fortasse Raudensis intelligit, qui profectò non dicitur saginari, etiam si totus sagina aliorum animalium farciretur. Vsus sum nunc sagina, non pro cibo, quod usitatissimum est, sed pro abdomine atq; pinguedine, ut aliqui authores usurpãt, quorum est Iustinus, lib. 20 inquiens: Sublatis deinde æmulis, in segnitiem lapsus, saginã corporis ex nimia luxuria, oculorũq; ualetudinẽ contraxit. Raud. Plures (in fine) quàm plusculos, id est, quàm plures. Lau. Complures, nõ quàmplures, ne Perquàmplusculos quidem reperiri apud doctos reor. Quid autẽ uis ampliare significatũ noĩs diminutiui? quippe Plusculum minùs quàm Plus significat: Per autẽ & Quàm augent. ego uerò dicerem Compluſculos, non ut augerem, quod augeri non uidetur posse, sed ut deriuem diminutiuum ab illo Complures. Dixi non uideri posse augeri, quia cùm dico Per paulum, augeo uim ipsam effectumq; minuendi, id est, multum, ualdeq; parum: cùm dico, Perplusculos dies, perplusculos numos, duo contraria inuicem augeo, paucitatem numeri, & comparatiuum, quod auget numerum. quæ duo quum simul esse nequeãt, nescio an liceat dicere Perplusculos siue Perquàmplusculos. Rau. Pluuia (in fine) Imbrex tegula est, sed magis concaua, quàm plana. canalis item potius, quàm canale, à qua defluit potiùs, quàm effluit. Rau.

Rau. Pondus (deinde) Libripens, qui libra ponderat rerum determinat. Lau. Negat libro primo Institutionum Iustinianus, & qui hunc in testimonium affert Priscianus, ac Boëthius in topicis. nã est, qui libram æneam tenet: hæc enim sunt uerba Boëthij: Mancipi res ueteres appellabant, quæ ita abalienabãtur, ut ea alienatio per quãdam nexus fieret solennitatẽ. nexus uerò est iuris solennitas, quæ fiebat eo modo. quo in Institutionibus Caius exponit, adhibitis non minùs quinq; testibus Romanis puberibus, et præterea alio eius conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipiũ accipit, ita dicit: Hunc ego hominẽ, qui mihi emptus est hoc ære, æneaq; libra, ex iure Quiritum meum esse aio. Rau. Poëta. Lau. Luceium accipit pro poëta, qui erat historicus, ut epistola Ciceronis ad illum datur intelligi. de quo etiam meminit in oratione pro Cælio. Item Deitatem ait, quum ueteres omnes dixerint diuinitatem: & deitatem dici non posse, ratio ipsa conuincat, ut primo Repastinationum libro docuimus. Raud. Quicquid sit de his interpretationibus, & uersibus, hoc unum scio, quòd poëtæ sæpenumerò confundunt istas. Nam unam pro alia ad uersum suum pro commoditate trahunt. Lau. Quicquid sit, posuit pro Vtcunq; sit: item Vnam pro alia, cùm dicere deberet Alia pro alia. Rau. Dubitant quoq; Homerus an ante, uel post Hesiodũ uixerit, qui tamen contẽporanei fuerunt: sed qui ætate maior fuerit, ambigitur, tamen annis multis fuit ante Romulum. Lau. Pro An, dixit Vel. in dubitando enim semp ponitur An: ut ipse ex parte fecit. sed in secundo loco non etiam posuisse An, turpius est, quàm si utrobiq; Vel posuisset, siue Aut. Item melius dixisset,

De libripẽde uidẽ Theophilũ li. Institutionum primo.

Vter

Vter maior, quàm Qui maior. Contemporanei autem non inuenitur, præsertim in hunc sensum, in quo cum à multis alijs, tum uerò à Cicerone dissentit, qui in Catone ait: De quo doctus est Hesiodus, ne uerbũ quidem fecit. At Homerus, qui multis (ut uidetur) antè seculis fuit. Nec me fallit, multos tam Latinos, q̃ Græcos, in ea esse opinione, unde Aul. Gellius ex ipsius Hesiodi epigrammate, quod nũc Thessalonicæ in marmore ostenditur, uult probare, Homerum ab Hesiodo superatum fuisse, quod significat Hesiodus ipse in opere De rè rustica, non habita mentione eius quem uicerit: tamen pleriq; sentiunt alterum Homerum multis pòst seculis natum ab Hesiodo uictum, uoluntq; Homerum etiam bello Thebano Troianoq; interfuisse, Hesiodum autẽ Stesichori patrem fuisse. Quid mirum si per obliuionem Raudensis à Cicerone dissentit, quũ sui ipsius obliuiscatur? qui paulò pòst ait: Hesiodus poëta contemporaneus Homeri, non solùm poëta, sed Pythagoreus fuit. Lauren. Quomodò fuit Pythagoreus Hesiodus, & ætate Tarquinij rẽgis, quum Homerus, quẽ ætate Hesiodi fuisse ait, tandiu fuerit ante Vrbem conditã? Rau. Hunc in Tusculanis Cicero nominat. Fuit tẽpore Tarquinij Prisci. Lau. Pythagoras fuit tempore Tarquinij, nec Prisci, sed Superbi, & (ut Liuius ait) Seruij rẽgis, non Hesiodus. Item Archilochum facit esse tragicũ, quum sit Iamborum scriptor, de quo (licèt Græco) non debuit tamen ignorare, quũ de eo multi Latini scribant. Itemq; de Pindaro Lyricorũ principe, quem hic tragicum esse uult: sic Alcæum quoq; quẽ Lyricum esse, cum alij, tũ Sapphò ad Phaonem scripto carmine testatur. Aratum nescit in quorũ poëtarum numero ponat

ponat, ignorans opus illius primùm esse à Cicerone, deinde à Germanico Augusto translatum heroicis uersibus, ut Græcè scriptum est. Aeschylum tẽpore Darij fuisse, quis nõ hũc putet eum Darium, cũ quo ter Alexander iusto bello pugnauit? atqui ante eum aliquot seculis Aeschylus fuit, utpote primus oĩm tragicorũ. Afranium Græcũ esse suspicatur, qui togatarum (ut iterum dixi) scriptor fuit. Rau. Cicero illum quàm familiarem habuit. Lau. Cur non tuum præceptum Raudẽsis obseruas de Per & Quàm? nẽpe quia non est tuum sed ab authoribus meis per te exceptum, in quo iterum laberis. Raud. Horatius tempore Augusti fuit, & Vergilij quàm familiaris. Lau. Accium comicum poëtam ait, Pacuuius quis sit tacet, quum uterq; tragicus fuerit. Rauden. Et in primis egregius. lege rogo Iuuenalem (& alibi) Lege hoc precor. Lauren. Quid alienius à dignitate atq; authoritate componentis, quàm obsecrare legẽtes ut legant, quasi ut illi iudices sint, in quorum arbitrio pendeat status ac uita obsecrantis? custodienda est ab auditore maiestas & attentio, non precibus, sed rationibus ac rerum dignitate pondere que comparanda. Rogat ut legamus etiam poëticam, quum ipse uelit hoc unum opus, quod ipse cõposuit, pro omnibus sufficere. Rauden. Musas sibi ait quàm familiares esse, easq; Sicilidas. Laur. Iterum Quàm familiares dixit, pro Perfamiliares, siue Perquàm familiares, siue Quàm familiarissimas. Rau. Pomum (deinde) Baccis, id est, pomis. Lauren. Quæ baccæ sunt, poma nõ sunt, ut oliua, bacca lauri, grana myrti, similiaq;. Rau. Pomærium uiridarium, id est, pomarium, locus plenus uiriditate. Lau. Pomærium esse locum iuxta muros, & pomarium

Pomæriũ, quasi post

murũ. Veteres enim Mærum pro Murũ dicebant.

pomarium locum consitum pomis, in Elegantijs dixi. Rauden. Populus aliquantò pòst) Arpi populi sunt Italiæ. inde creditur Cicero uocatus Arpinas. Lau. Quæ tanta tua Raudensis ambitio, ut omnia in isto opere inserere uelis, etiã tuas orationes (taceo quàm ornatas) etiam astronomiam (sileo quàm doctè) etiam rhetoricam (non dico quàm uerè) & flumina, montes, urbes, populos, & alia multa etiam, quæ prorsus ignoras? Nam Arpi in Apulia sunt prope urbẽ quæ nunc dicitur Foggia: Arpinum, undè fuit oriundus Cicero, longè illinc abest, quarè uereor, ne propter nimiam loquacitatem, tuum hoc opus omnes homines à scribendo, ne dicam à legẽdo deterreat. Rau. Getæ nihil aliud sunt, nisi Gothi. Getuli etiam dicti sunt. Lau. Getuli in Aphrica, Gothi autem ex septentrione uenerunt. Raud. Porcus (déinde) Cicuris est propriè porcus domesticus. Lau. Hieronymum qui hoc (ut opinor) dixit, non affert Raudensis. affert Ciceronis exemplum, quod ab hac præceptione dissentit, cùm dicit: Feris cicuribus natãtibus. profectò cicures non pro feris accipiendæ sunt, sed pro mansuefactis, ut palàm Varro testatur, reddens etiam ex ipsa etymologia caussam, ut alibi docuimus. Rau. Porrò (in fine) Tit. Liuius sæpè dicit, Comportant ligna comportant bladum, nec dicit Portant. Lau. Raudensis sæpè sua uerba alteri tribuit. quis enim apud Liuium alium ue authorem legit Bladum? reperitur autem apud Liuium ac cæteros ut Comportat, ita portat: ut in multis locis, quorũ unus est: Siculum autem omne frumentum in Ætholiam ad exercitum portari iussum. Et alibi: Commeatus tamen haud secùs, quàm in pace, in agris castellisq; hostium Romani portabãt.

Bladum Hispanica uox est, p frumento

Rau.

Rauden. Possum (déinde) Est nanque aduertere, id est, animaduerti potest: & Nusquam scriptum inuere est, id esse factum, id est, inueniri potest. &, Multos est uidere pecuniæ cupidos, id est, uidere possumus, Lau. Raudensis uideri uult, hoc opus non uoluendis sedulò libris, sed memoriæ beneficio condidisse: quod prudenti lectori longè uidetur esse secùs, cum in pluribus alijs, tum uerò quòd in copia maxima exemplorum nulla homini exempla succurrũt, sed quædam ex seipso confingit: ut hoc loco exempla nullo authore proferũtur, ac nec proferri quidem possunt, nisi ex poëtis, ut apud Vergil.

Scis Proteu, scis ipse, nec est te fallere quenquam.

Id est, quia non est possibile cuiquam fallere te. qui modus per negationem potius fit, ut exẽplum ipsum hoc ex Vergilio sumptum. estq; figuræ Græcæ magis, quàm Latinæ, unde fit ut multa huiusmodi non politi interpres effundãt: quale est illud, Non est dare uacuum in natura. Rauden. Potis. Lau. Imò impugnat Priscianum, qui ait apud Terentium scribẽdum esse: Quid ais? cũ uirgine una adolescens cubuerit plus potus, non autem Potis. Ostendat Raudensis stare uersum ut ipse emendat, & meliùs sentire quàm Priscianum confitebor. Potus nanq; habet primam longam, Potis uerò breuem. Raud. Precium (déinde) item Minoris uẽdidi uel maioris. Lau Nõ dicitur Maioris uendidi uel emi, sed Pluris. Raudẽ. Præfectus (multò pòst) Quinetiam inquilinus aquam in cœnaculo habeat, quàm igneus terror ingruente præstò accurrere posse censeatur. Lau. Non rectè usus Præstò, neq; in significato, neq; in coniũctione alterius uerbi, quam substantiui. etiam Igneus terror impropriè

In Hecy. Act. 1. Sc. 2.

dicitur, pro eo quod est terror ignis. neq; enim dicitur Aurea cupido, ferreus timor, pro auri cupido, & ferri timor. Rau. Præsentialiter. Lau. En Latinũ elegansq; uocabulum. Rau. Præsepia dicuntur non tantùm in quibus aut canterij, id est, equi antiqui, aut iumenta, aut cætera animalia pabulantur: sed omnia loca clausa, & tuta, dicta sunt præsepia. unde Verg. Fucos pecus à præsepibus arcent. Lau. Canterij sunt equi castrati, non autem antiqui, ut quibusdam placet. Græcè cantelios uocant asinos, à spinis tollendis. nec pabulari, est in stabulo comedere equos, sed homines pabulum equorũ ex agris capere. undè sæpè legimus milites missos esse pabulatum. præterea malè diffinit præsepia. Nam Vergilius figuratè dixit præsepia, eodẽ modo quo dixit fucos pecus. hic enim uersus eius est: Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent. Quæ translatiome uenustiorem ac uerecundiorem alteram translationẽ fecit. nam cùm dixisset Pecus, decentiùs subiunxit Præsepia: quod imitans Quintilianus, hanc translationẽ, ut aliquantulũ abhorrẽtem à prosa, in usum oratorũ commutauit: Aliæ militaribus castris pellant uulgus ignauum. Ergo dicamus omnia loca clausa esse castra, quia Quintilianus alueũ apium dixit castra. Hæc Raudensis noster eloquentiæ (si ei credimus) præceptor ignorat, qui propria nũquam à translatis uerba distinguit, & périnde de omnibus loquitur, acsi propria utiq; essent. Rau. Proconsularis (paulopòst) quo seriosiùs delectum facere posset, consulem creauit. Lau. Seriosiùs pro Ordinatiùs posuit, quod nõ inuenitur, nec in hunc, ne in alium sensum. Rau. Obseruari cœtum, est ut quo quiq; anno consules fuissent, sequenti procõsules remanerent. Lauren. Hoc

Hoc nunc audiui. nam Cicero non fuit proconsul altero post consulatum anno, & multi antè proconsules fuêre, quàm consules, ut Pompeius, ut Quintus Cicero. Rau. Proditor. Lau. Statim pòst usq; ad calcem errat. ait enim Raud. Factiosus, qui fingit se facere ut prosit, sed facit ut noceat. Seditiosus, qui discordias seminat: commentum, occultus & malitiosus tractatus, item urbem ex composito inuadunt, scilicet per proditionem. Lau. Est nanq; factiosus (ut superiùs dixi) qui potens in ciuitate nititur esse contra æmulos: seditiosus, qui seditiones amat, ut in Elegantijs docui: cõmentum est excogitatio. An commẽtum Donati est malicios tractatus? quanquã nõ me præterit, Raudensem illustrantem tractatum pro coniuratione intelligere. Ex cõpositio, est ex cõuento, cùm clàm inter se conuenerunt. & hoc frequentissimè in bonam partem. nam si aliquos insidiari hostibus, aut aduersarijs, quod nemo inhonestum esse dixerit ex composito fieri dicere possumus. R. Professio. L. Non apertè Raudensis hoc nomen diffinit. ego (ut breuiter dicã, neq; enim nisi breuiter dicere licet) sic diffinio, Professio est apta ac uolũtaria cõfessio, ut, Profiteor me amicũ esse inimici tui. Indè qui artes liberales docent, professores dicuntur, quia artes illas se scire, ac posse publicè tradere, fatẽtur: profiteri autẽ apud prætorem (uti de Archia est apud Ciceronẽ) & profiteri siue nomina, siue censum, ut est cum alibi, tum uerò in iure ciuili, & in euangelio, quòd profitebantur omnes in Iudæa sub Augusto, ex hoc fonte uenit. R. Prolongare, inducias. Lau. Inducias, pro Differre siue procrastinare Raudensis accipit (ut iterum dixi) illiteratè nos loqui docens, non (ut profitetur)

literatè. Raud. Promitto (paulopòst) Spondent, id est, certificant. Laur. Docti aiunt Spondere ultrò promittere, ut apud Vergilium: Non si mihi Iuppiter author Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœ Io. Rau. Pronunciator. Lau. Ais Cannæ pro Arteriæ, ais Garrire pro acutè exclamare, ais Strepitus pro Vociferatio, id est, hæc illa significare. Item Colis, comis, et periodis, pro distinctione punctorum: ais comis in plurali, quum eiusdem singularis sit hoc comma, tis, ais Quintilianum, cùm dicit Commouere tragœdias, de pronũciatione sensisse, hoc est de exclamatione. Et quũ hæc dicas, putabo te post Ciceronem & Quintilianũ de arte oratoria posse præcipere. nam Consultus, ac Martianus capella, & quidam alij de arte præcepta hæc dant, sed plurima ex Quintiliano ad uerbum sumpta, quum tamẽ de illo, à quo furantur, mentionem non faciant, homines improbos, planeq; ingenio misero ac furaci, quos aliâs castigabimus. Tu tamẽ, quasi illis doctior sis, audes de eloquẽdo ac pronunciando conscribere, præsertim recedẽs ab illorum summorum principum uestigijs. Poteram equidem ad singula præcepta rhetoricæ (nam omnes colores rhetoricæ persequeris) te refellere, atq; iure optimo deridere, à quo faciendo retinuit me ad prolixitatis huiusmodi libro alienissima, & pudor, ne quis nimis existimaret iratũ, sed à breuitate instituta recedimus, plura quàm oporteat de operis nostri breuitate fabulamur. Rau. Cœpit, cauda ad aures utrinq; repercussa, excandescere, & suscitare se ira. Lau. Si leones nunquam uiuos, certè pictos sculptosue inspexisti, an tibi cauda tam proceræ uidẽtur esse, ut flagellare utrinq; aures queant? Si hoc ita esset, & oculos flagellarent. quod

quia obesse usui posset, non est putãdum, diuinam prouidentiam ultra quàm oporteat, proceram dedisse leonibus caudam. Rau. Acrimoniam etiam inesse, id est, rugata fronte, qualis Christus futurus est in ultimo iudicio, Lau. Quasi acrimonia uultus, sit rugare frontem, & quasi oratores aduersus iudices eam seueritatem, idemq; superciliũ exhibere deceat, qua iudex est aut magistratus in eum, qui damnandus est rei capitalis, & quod omnium terribilissimum est, qualis Deus & homo Christus in homines erit diabolosq; damnandos: si modò Christus contracto supercilio, id est, iracũdo animo sedebit, & nõ possit iudicare, nisi indignatus. Raud. Dabatq; Octauianus assiduo Phonasco operam. est enim potio, qua utebantur poëtæ cùm recitabant. Lau. Imò Phonascus est musicus, apud quem Octauianus assiduè studebat. Ait enim Suetonius, Octauianum dedisse operam Phonasco assiduo, hoc est, audisse musicum cantoremq; assiduè, à quo disceret rationem utendæ, confirmãdæ, emendandæ uocis. Rau. Propè. Lau. Nõ est Cominus idẽ quod Propè, sed (ut sic dicam) à Propè, ut, Cominus te incessabant lapidibus, hoc est, è propinquo loco: sicut è contrario Eminus, è longinquo, sed ita tamen longinquo propinquoq;, ut propè intrà iactum teli esse possit, aut sit id genus. non enim rectè dicas, Cominus ueni, eminus redeo. de hoc iterum superiùs. Rau. Prouerbium (deinde) dicamus iure uetus elogium, id est, uetus prouerbium. Lau. Dixi in Elegantijs, elogium testificationem esse quandam scriptis mandatam, ut in opere illo exempla ostendunt, unum tamen subijciam. Cicero pro Cluentio: Elogium recitasti de testamento Cn. Egnatij patris, hominis honestissimi, uidelicet sa-

pientissimi: idcirco se exhæredasse filium, quòd is ad Oppianici condemnationem pecuniã accepisset. Rau. Pugna. Aul. Gellius dicit in maledictis aduersus improbos non uelitandum, id est leuiter pugnandum, licèt & hoc loco absq; leuiter dicatur. Lau. Quasi Velitari ueniat à Leuiter, & non à ἐλαφρῶς, quod est iaculum Græcè, quo genere teli qui pugnabant, & in eum modum quem Liuius Valeriusq; narrauêre, uelites dicti sunt. & hinc Velitor, pugno ac digladior, posteà de re ad uerba trãslatum, tanquã uelites dici possint, qui uerbis altercantur. Velitandum ergo non est maledictis aduersus improbos, id est, mutuis conuiciorũ iaculis non est aduersus improbos pugnandum, uel in morem uelitum cum illis decertãdum. Rau. Pulcher (& aliquantò pòst Censura est animi, non corporis. ideo meliùs membrorum decorem ac pulchritudinẽ dicimus, quàm censuram: tamẽ quia in usu censorium hominem pulchrum dicimus, post hoc pulchritudinem re sciri. Lau. Hunc usum non agnosco, ac prorsus mihi talis ignota est significatio. Cẽsorius enim homo est, qui censor fuit, & qui dignus est propter morum grauitatem, qui alios censeat, id est, de moribus aliorum iudicet, aut qui indicauerit mores, aut opera aliorum censuerit. Rau. Puer (paulopòst) Suetonius de Octauiano ait: Pueros pumilios atque distortos abhorrebat, pumilios, id est, molles et enerues ac elũbes. Lau. Quàm credibile est Augustum exhorruisse molles, enerues, atque elumbes, quasi tales aut ipse nosset, aut aliquis ad eum ferret. non ergo de his loquitur Suetonius, sed de nanis, & enormia membra habẽtibus: quales Valerius Martialis describit in illo distichо, cui nomen est pumilius:

Si

Si tãtùm spectes hominis caput, Hectora credas,
Si stantem uideas, Astyanacta putes.

Abhorrebat quoque dixit, pro Exhorrebat. Abhorreo enim uult post se ablatiuum cum præpositione Auel Ab, ut Cice. A qua fateor nullum ætatis meæ tempus abhorruisse, id est alienum fuisse. Raud. Punire (aliquantò pòst) Vindicabo eam, ne ueniens in nouissimum suggillet me, id est puniat. Lau. Imò detrahat, carpat, accusetq; me, ut frequẽter apud Hieronymum suum, quod declarat ipsa uox Græca, undè traduximus. Rau. Quando (deinde) Aliquando Romæ esse cœpimus, quid nobis defuit, id est quãdo. L. Hoc inauditũ est nobis, Aliquando pro Quando poni, neq; ipse ritè facit, ut in re noua nõ afferat aliena exẽpla, sed sua, hoc potiùs erat dicendũ, & Quando pro Aliquãdo accipi antecedẽte Num: sic, Nũquãdo me aduuusti? quæ interrogatio facit hoc significare Num aliquãdo? In quẽ modũ aliqui accipiunt illud in Euangelio Lucæ: Numquando uos misi sine sacculo & pera, & calciamẽtis? quid uobis defuit? Quem locũ tamẽ Raudẽsis uidetur afferre uoluisse, sed in contrariũ sensum. Ibi enim potest esse Quando pro Aliquãdo, & accipit Aliquãdo pro Quando. Rau. Quasi (deinde) Nullus prophetarũ propemodùm tã apertè dixerit, id est quasi. (itẽ) Subridẽs, id est, quasi ridẽs. L. Imò propemodũ siue propè, hoc est penè siue ferè. Subridens enim Subirascitur, Subobscurus, est aliquantulum ridens, aliquantulum subirascitur, aliquantulum obscurus: Sub idem tempus, sub eandẽ horam, est eodem tempore, & in eadem hora, licèt Sub eandem horam uix reperitur, Sub idem uerò tempus frequentissimẽ, ut apud Quintilia. Venit in ciuitatem, ubi munus

parabat sub tẽpus ipsum quo pugnaturus erat diues filius. Rau. Quarè (déinde) Quatenus coniũctio causalis, id est qua ratione, per i scribitur, Eatinus, id est ea ratione, Aliquatinus, id est, aliqua ratione. Lau. Imò & per e scribendæ sunt hæ dictiones: neq; hoc significãt, ut in Elegãtijs docui. Nam Quatenus significat Quoniam, uel inquãtum, Eatenus uerò Vsq; eò, Aliquatenus est Aliquãtulum, siue ex aliqua parte, ut Quintil. Verùm hoc aliquatenus temporum conditione mutatum est. Rau. Que: Vt coniunctio, coniungit, sed Ve disiungit, ut, Inter asinũ lupum ue magna distinctio est. Lauren. Imò Ve idem est quod Vel, siue Aut, ut, Bonũ Malum ue sequimur oẽs, id est, bonũ aut malum. Docti indocti ue simus, nihil cogitas, siue docti siue indocti. Rau. Quidam (déinde) ubi nota plus conueniunt Quispiam & Quidam, quàm Aliquis & Quidam. (& iterum) Aliquis enim rectiùs coniungitur nomini communi, ut, Aliquis homo: & Quidam & Quispiam nomini proprio, Quempiam Simonem. Lau. De hoc in dialecticis latiùs disputauimus, & nonnihil in Elegantijs attigimus, & in hoc ipso libro. Itaq; hîc breuiter iterum dicam: Quuidam et Aliquis hoc differunt, quòd Quidam certum hominem significat, ut, Quidam uult accipere filiam meam pro uxore sine dote: Aliquis uerò incertum, ut, Aliquis uolet accipere filiam meam pro uxore siue dote. Ibi scio ac nominare possum quis ille est, hîc nõ possum. nonnunq;, sed tamen perraro, inuenitur Aliquis pro Quidam, ut pro Plancio Cicero ait: Missum esse aliquem in prouinciam. Quispiam autem & Quisquam nihil ab Aliquis differũt. illud autem exẽplum ex Actibus Apostolorum, Quempiam Simonem, quàm eleganter dicatur

tur, in libris interpretationis Noui testamenti ostendimus. Illud tamen sciamus, impropriè dici (quo quidã utimur) Est quid mirum, est quid pulchrum, quod, ex Græco descẽdit, significat Quiddam hoc loco non Aliquid: nam unam Græci pro duabus Latinis dictionem habẽt. Dicendum ergo est, Quiddam mirum, quiddam pulchrum, siquidem Quid pro Aliquid accipitur, non pro Quiddam. Raud. Quis & Quotus & Quotusquisq;. Laur. Quotus & Quotusquisq; exponit pro Quis, quum significent Quot duntaxat interrogatiuè, ut in Elegãtijs diximus. Melius hoc præcepisset, id quod multi barbarè aut impolitè dicũt, Secundùm hoc ueniebant ad manus, diuisi famulis uestes, dicendum esse, Vt quæq; ueniebant ad manum, siue ut quæq; occurrebant. Raud. Recitare. Lau. Rau. densis in eundem sensum accipit Recitare comœdias, tragœdiasq;, & agere, actitare: quod longè diuersum est. Recitare est scripturam clara uoce, ut alij audiant intelligãtq;, legere. unde poëtæ historiciq; et alij scriptores recitabant publicè opera sua, & nonnulli aliena, ut fit in comœdijs tragœdijsq;. aliquando non legendo fit recitatio, sed memoriter referẽdo quæ uel scripta sunt, uel dicta. Nihil enim interest legere, si quæ pronuncio, memoria teneo. Quintilianus: At ista legem recitat: de muliere loquẽs, quæ cæca erat. Plautus. Recitat memoriter. Agere, est gesticulationem facere, quod est histrionum atq; mimorum. Rau. Recommendaticiæ literæ. Lau. Commendaticias literas dicimus, non recommendaticias, sicut Commendo, non Recommendo, & Committo me tibi, non autem Recommitto. Rau. Et erunt uerba Ciceronis pro maiori parte. Lau. Cùm uerba Ciceronis afferre te di-

cis, cur non uerba illius loqueris? Ex maxima parte ille dicere solet, non Pro maiori parte. (Item) Vereor ne quis quàm plures tibi recõmendo. Complures dicere debuisti, tum quia Cicero sic loquitur, tũ quia contra præceptum tuum est, ubi ais Quàm superlatiuo debere coniungi. nec Recommendo dixit Cicero, sed cõmendo, ut superiùs testatus sum. Rau. Recordor (deinde) Te, ut dixi, fero oculis, id est, memoria teneo, & te semper post me ferã. Item multa me fugiunt, id est, non recordor: &, Non te fugit, id est, recordaris. L. In oculis fero, est quod semper uideor uidere te & alloqui audireq; præ beneuolentia, ut apud Vergilium: Illum absens absentẽ auditq; uidetq;. Præme fero, quod non dissimulo, & uoce, uultu, gestuq; fateor, aut amare me quẽpiam, aut odisse, aut bene sentire, siue malè de aliquo homine, siue dere, & quæ sunt similia. Multa me fugiũt, est idem quod Multa nescio, quasi illa præhendere non possim, ut Cicero: Sed nũc ea ratio me fugit, id est, hãc rationẽ nesciui. At si Rauden si credimus, quæcunq; nos fugiunt, ea aliquando sciuimus: quoniã nemo dicitur non recordari, nisi quæ didicerat. Hîc secus fit. quia de omni re ac ratione, quæ nobis cogitantibus non occurrit, dicimus eam nos fugisse, nisi Platonẽ sequmur, qui uult Discere esse Recordari. Rau. Reddo reddis, Restituo restituis, Redibeo redibes sine h. L. Imò cũ h, ut exhibeo, prohibeo, perhibeo, adhibeo. R. Regula (deinde) Norma est maximè in regendo. L. Imò norma est instrumentũ illud duorũ laterũ, quo fabri oĩa dirigũt ac metiuntur. indè quæ recta dimensaq; sunt, normã habere dicuntur. Rau. Relinquere (deinde) Itẽ uox mea me deficit, id est, reliquit, & Deficiet tẽpus enarrãtem.

Lau.

Lau. Deficio cum Tempus ponitur, similibusq;, non cum persona, iunctum accusatiuo. Dies enim me deficiet, idem est quod Dies mihi deficiet. Sed illo modo per accusatiuum apud eruditos frequentiùs. Quæ similia tẽpori dixi, huiusmodi sunt, ut Cicero in Verrẽ: Vides te quanta deficiant. Et in eundem: Vox me citiùs defecerit, q̃ nomina. Et in eundem alibi: Vt si me in ea querimonia, quam sum habiturus de istius crudelitate & de casu reipublicæ, et indignissima morte, nõ modò uires, uerumetiã uita deficiat, id mihi præclarũ & iucundum putem. Plinius Iunior: Tandem eum patientia deficit. Vxor me deficit, ego non dicerem, sed, Milites, sed populi, sed discipuli mei à me defecerunt, hoc est, ab imperio & præceptione mea recesserunt, aut si uis, uxor à me deficit. R. Respondere (deinde) Ne quaquã literis satisfacerem, id est, respõderem. Lau. Si literis (ut ego interpretor) est ablatiui casus, significatio esset, Placatiorem & æquanimiorem facerem te per literas meas: sin datiui, subintelligetur Tuis, ut sit sensus, Me tuæ expostulationi excusarem, querelæq; purgarem atq; excusarem. Rau. Illi sic obstrepunt, id est, respondent. Lau. Imò strepitu loquentem interpellant, atq; dictis illius strepitu aduersantur. Rauden. Cùm hæc diceret, reddere nesciuit. id est, respondere. Lauren. Cuius hoc exemplum est Raudensis? Apud Ciceronem, Quintilianumq; non semel legimus, Cur hoc credam, cur hoc uelim, cur fecerim, suo loco reddam, id est ostendã, & explanabo. Rauden. Respicere (deinde) Totum lustrabat lumine corpus, id est respiciebat. Laurent. Imò circuibat, ut idem author alibi: Lustrat Auentini montem. Respicere quoque, est retrò aspicere, quibus exemplis pleni

sunt

sunt omnes libri. Rau. Reputare, id est, in bonam uel in malam partẽ aliquid habere, ut, Homo nullius momenti, id est reputationis. Lau. Imò Reputare est secum cogitare, seu recogitare, ut Boëthius: Cùm hæc mecum tacitus ipse reputarem. Quintilianus: Quotiens facta reputaui flagella mentis sonant, ultrices uideo furias, & in quamcunq; me partẽ conuerti, occurrunt umbræ meorum. Liuius libro 21, Vnusquisq; se, non corpus suum, sed cõiugem ac liberos paruos protegere putet, nec domesticas solùm agit & curas, sed idem hoc animo reputet, uestras tum intueri manus senatum populumq; Romanum. Ecce aliud Putare, aliud Reputare, nec Homo magnæ reputationis dicitur, nisi ab ineruditis, sed Magnæ existimationis, aut magnæ opinionis, uidelicet quòd homines de eo egregiè existimant atq; opinantur. Raud. Sic exponit Priscianus in septimo Maior. Lau. Indecorum est labi in errorem imperitorum, qui dicunt Prisciani Maioris minorisq;, quum unũ opus sit, non duo, eo quidem magis, quòd librum appellant opus, quod constat pluribus libris. Rau. Rhetorica & rhetoricè in nominatiuo & ablatiuo. Lau. Si Græci carent ablatiuo, quæro an possit dici in eo casu Rhetorice, quæ Græca uox est? Raud. Quintilianus ait, Rhetoricen in Latinum transferentes, tum oratoriam, tum oratricem nominauerũt. Lau. Damnat horum nominum inuentores Quintilianus, non probat, ut uult Raudensis. Rau. Circa unumquodq;. Lau. Imò Vnumquidq;: nunc enim est substantiuum. secùs autem cùm adiectiuum, ut Vnumquodq; nauigium, de quo priùs & in opere de elegantia. Raud. Similiter laudes & uituperia. Lau. Vituperia ostende quis dicat. Rau. Patronus ergo Verris commutauit personam pro facto, nolens ob infamiam eum nominare, sed considerate, dixit, Iudices uictorẽ Daciæ, & attendite quantam gloriam nobis comparauit, subiugando ipsos Dacos nostræ potestati. Lauren. Vbi hoc legisti Raudensis? nunquid orationes Hortensij habes, qui fuit Verris patronus? quanquã quis non agnoscit ista uerba aliena ab antiquitate? præterea q̃s narrat Verrem superasse Dacos: tantùm Siciliam contra Piratas fortiter tuitum esse accepimus. Huic facto simile est, quòd alium pro alio nominas, ut Plinium pro Quintiliano, interdumq; illorum uerbis tua addis, ut ibi: Interdum indocti uidentur copiam habere maiorem, quòd dicunt omnia quæ sciunt, & nesciunt, garriunt, obstrepunt, latrant, horum uerborũ nouem sunt Quintiliani, octo posteriora Raudensis. Raud. Sed hoc non satis ne his modò, qui doctrinam hãc ingressi nouiter sunt, cæterum ne his quoq;, qui aliquid profuerunt. Lau. Dum rhetoricæ præcepta dat Raudensis, uideamus an (quod infra rhetoricen est) Latinè loquatur. Alt, Cæterum ne his quoque, pro Sed ne iis quidẽ. nam etsi Cæterum pro Verum siue Sed accipiatur, tamen hoc loco minùs accommodatum est. His autem non reperiri, satis patet per ea, quæ de His & Iis superiùs diximus. Nequit enim adesse aspiratio cum gemina ij. etiã * Nouiter dixit pro Recenter, Profuerunt quoq; pro Profecerunt. prodesse enim ad alios quoq; spectat, proficere uerò ad se tantũ. Rau. Vnum enim uerbum propriè significanterq; positum, totam interdum illustrat orationem. Lau. Non uerbum istud est, sed fulgur, quod uno flammarum iactu mundum omnem illuminat. quî enim potest unum uerbum

Vtiẽ hac uoce Liuius lib. 10. deca. 3. Tẽpus (inquiens) esse aut pacẽ componi, aut bellũ nouiter geri.

bum totam illustrare orationẽ, præsertim proprium: quippe magis translata orationem illustrant, quàm propria: et nullum debet in oratione esse uerbum, quod non sit propriũ, nisi fuerit ornatum, hoc est, illustrius quàm proprium. Dicendum ergo erit, unum impropri um uerbum obscurat obcæcatq; sententiam, & (suis) etiam orationem proprium non utiq; unum illuminat, si cætera parùm aptè, parumq; significanter adhibeantur. Siquidem plus incommodi est in uno malo, quàm commodi in uno bono. Rauden. Itaque hoc authoribus non est elaboratum, uel quia nõ ab his aduersum, uel quia difficilis horum est tractatio. Lauren. Si alius, quàm Raudensis foret, qui hæc tam magnificè iactabundeq; effunderet, quibus uel quanto impetu, quanta procella in ipsum inueherer? non est elaboratum authoribus, quomodò uerba propriè significanterq; ponerentur: & si hoc non fecissent, non propter difficultatem in hoc non elaborassent, quæ difficultas te non retinuit. Quarè, quoniam omnes colores rhetoricos in hoc tuo opere exsequeris, quasi tu præter cæteros de elocutione enucleatè eleganterq; conscribas: non sustineo, quin primum, qui se offeret, colorem abste traditum, discutiam quàm uerè tradatur, ut ex hoc uelut gustu aliorum quoq; sapor intelligatur. Nunc quàm propriè significanterq; posita sunt à Raudensi uerba tractemus. primùm coniunxit contra Latinitatis rationem subiunctiuum cum indicatiuo: quia dicendum erat in utroq;, aut est, aut sit, deinde sic. Rauden. Aristoteles. Laur. Licèt aliqui uulgò dicant physicam ac metaphysicam: tamen physica siue metaphysica, inscribuntur opera illa numero plurali: nec Aristotilem dicendum fuisse, sed Aristotelem, ipsa nos

nos pronunciatio docet. quippe cùm sic semper loquimur, Ego sum Aristotelicus, libri Aristotelici, opus Aristotelicum, non Aristotilicum. Rau. (Deinde) & qui nobis tribuere quàm multum soles. Lau. Quàm multum dixit, pro per multum, contra suam ipsius regulã, si sua potius q̃ mea est. Rau. (Deinde) Sed tamen quum neq; libris ipsis abundemus, nec fieri potest, ut non aliqua interdũ excidãt memoria. Lau. Idem uicium, quod pauloantè attigi, de diuersis modis in eadem oratione, siue in eodem complexu. Rau. (Deinde) Idipsum, quod apprimè cupiunt, q̃ facile credunt. Lauren. Quàm facile posuit pro Perfacile, siue Perquàm facile, siue Quàm facilime. Apprimè minùs oratorium est, significat tamen Valde, producturq; media syllaba. Rau. Animosq; mihi quàm familiares ostendere. Lau. Idem, quem modò dixi, error. Rau. (Deinde) Huius enim cõmentarij cognitio studiosis iuuenibus etsi non magnam utilitatem (ut nõnulli iam iudicant) afferet, at certè (quod magis cupio) bonam uoluntatem. Laurent. Commentarium appellat tam immensum opus, quo nullum ex omni uetustate maius extat. præterea uidetur Raudensis non rectè intelligere Quintilianum, cuius extrema uerba operis de Oratoria institutione hæc sunt: Habes Marcelle Victori, quibus præcepta dicendi pro uirili parte adiuuari per nos posse uidebantur: quorum cognitio studiosis iuuenibus etsi non magnam utilitatem afferet, ac certè (quod magis petimus) bonam uoluntatem. non inquit Quintilianus suam bonam uoluntatem, ut de se ait Raudensis: sed iuuenum studiosorum, id est, animum propensum ad uirtutes: quum orator in primis debeat esse uir bonus, quæ prima ipsius laus

est

est, proxima, dicendi peritum esse: ut solebat dicere Socrates, Satis se fecisse in discipulos, si bonam uoluntatem illis induisset, id est, mentem propensam ad uirtutem effecisset. Rau. (Deinde) Circa elegantiam uocabulorum, splendorẽq; uerborum, totus hic liber est. êditus. Laurẽtius. Editus dixit pro Conditus. Condere enim est componere: Edere autem publicare. nec liber quidem, opus hoc appellari deberet. Rau. Stabit semper inconcussa sentẽtia, Malle imitationem homines sine arte, quàm artem sine imitatione possidere. Lau. Neque imitatio est sine arte (quia pars artis est) neq; ipsa ars citra imitationem fit. Cùm enim legimus orationes, uirtutesq; earum intelligimus, tunc imitamur, & arte, quæ in illis latet, nostrũ pectus imbuimus, memoriamq; instruimus: nisi ipsum scribere ac loqui orationẽ imitationemq; uocas, qui magis usus consuetudoq; atq; exercitatio uocari debet. Ac ne dubitare possimus, imitationẽ artis esse partem, & quid ipsa imitatio, qualisq; debeat esse, uno capite Quintilianus ostendit, sed initium posuisse sat fuerit. Ex his cæterisq; lectione dignis authoribus, uerborũ sumenda copia est, & uarietas figurarum, & componendi ratio: tum ad exemplum uirtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut inuenire primũ fuit, estq; præcipuum, sic ea, quæ benè inuenta sunt, utile sequi. Atq; omnis uitæ ratio sic constat, ut quæ probamus in alijs, facere sic ipsi uelimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic Musici uocem docẽtium, pictores opera priorũ, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique disciplinæ initia ad propositũ sibi præscriptum

Lib. Instit. 10. ca. De imitatiõe

scriptum formari uidemus: & herclè necesse, aut similes, aut dissimiles bonis simus. similes raro natura præstat, frequenter imitatio: sed hoc ipsum, quod tanto facilliorem nobis rationem rerum omnium facit, quàm fuit ijs, qui nihil, quod sequerentur, habuerunt, nisi & cum iudicio apprehenditur, nocet. Deinde subdit præcepta imitationis, post quæ de imitatione nos biscere molestissimum foret. At Raudensis uocabula quædam exponit, & bene dicta ab authoribus sine ulla traditione, & alia multa ad rem nihil pertinentia inculcat. Raudensis. Reuertor (paulopòst) Accipiet reduces, id est, reuertentes, dixit Vergilius. Laurentius. Seruius meliùs, qui exponit Reduces pro Apericulo domum reuersos. Rauden. Præposteros habet tabellarios, id est, redeuntes. Lau. Non internoscimus, quando aliorum, quando Raudensis exempla sunt. opinor astutè hoc facit, ut sua quoq; ipsius exẽpla uetera esse existimemus. Hæc uerba Ciceronis sunt, in Epistola quadam hoc significantis, quòd tabellarij nihil ordine, nihil tempore agunt, ut iterum in Lælio: Præposteris utimur consilijs, & acta agimus, deinde consultamus, quum antè consultare ac deliberare debemus, deinde agere. Et Quintilianus: Præposterum est, filium occidere, deinde erubescere, id est, peruersa & quasi inuersa res est. Rau. Signum tibicinũ ad armigeros reuocandos. Lau. Tibicines frequẽter Raudensis ponit pro tubicines. Tibicines sunt, qui breuia illa organa inflant, multis in ligno ipso (si lignea fuerint) foraminibus uocem distinguentibus: tubicines uerò, qui tuba canunt. Armigeros autem non esse milites, & qui essent, in Elegantijs dixi. Rau. Ego Quintiliano hac in parte non satis adhæreo, ut motus

pro arbitratu meo in animo habere posim, & gemitus, singultus, & lachrymas ueras fundere. flent delicati mulieres, imò & uiri gregales, & inepti, & animi magnitudinẽ nescientes: similiter effœminati quidam, ut aliquando histriones, & mimi. idcirco Quintilianus ipse exemplũ (ut sibi crederetur) edixit, dicens. Lau. Ne quid foret, in quo nõ uideretur à ueteribus discere parare, repræhẽdit tertiam partẽ oratoriæ artis Stoicus noster. Non sentis Raudensis, te Ciceroni quoque, atque ipsi ueritati, omniq; indoli Romanæ repugnare? an non mouit lachrymas Cicero? certè ex arte, nõ quia lachrymæ ipsæ uel actori, uel auditoribus sua sponte erumperent. negas adhuc? Stultè igitur Cicero de mouendis lachrymis præcepit. quid? Marius in caussa Aquilij, Antonio perorante, non flebat? aut non oratio ipsa Marci Antonij id efficiebat, mœsta, flebilis, & apposita ad lachrymas commouendas? non uniuersus populus Romanus lachrymas fudit, Caio Graccho necem fratris deflente? non mille alios legimus audientium lachrymas concitasse, sola ui orationis? non deniq; sancti ipsi atq; Apostoli, & fleuerunt, & fletum auditoribus excusserunt? non CHRISTVS & fleuit, & fletum non tantùm mouit, sed flere nos iussit? Quid? non ipsa lectione rerum admirabilium ab optimis auditoribus compositarum ita mouemur, ut iram, gaudium, timorem, spem, dolorem concipiamus, & sæpè lachrymas erumpentes cohibere neqeamus? quid de se excellentissimi quiq; confitentur? Ego de me fortassis, tãquam de mollis affectus, & fœminei pectoris homine fatebor, cùm Odysseam primùm legi, multis in locis, ita multæ cum singultibus lachrymæ manabant, ut nec afferre uocem, nec

inspicere literas possem, & hoc in re fabulosa atq; poëtica: quid facturus in uera, aut quam ueram esse crederem? atque ab hoc poëta longè omnium præstantissimo, nemo non heroum, qui ad Troiam pugnarunt, inducitur aut indignatione, aut dolore, aut misericordia, aut gaudio, aut desiderio lachrymasse, & certè humani potissimùm homines, nec agrestes, nec efferati, uel sponte, nec ad actionem optimi oratoris in fletum erumpunt: histriones autem (quod effœminatos ait) non in rebus effœminatis, sed magnorum principum (utpote in tragœdijs, nam in comœdijs minùs hoc accidit) lachrymas mouent. quod opus non nisi optimorum histrionum est, & optimorum oratorum. Rauden. Rigidus, infractus. Laurent. Infractum pro non fracto accipit, quod (quantum memoria repeto) pro fracto frequentiùs accipitur. ut apud Vergilium:

Turnus ut infractos aduerso Marte Latinos.

Ergo præfractum dicere debuerat, pro rigido ac seuero. ut apud Ciceronem: Cato noster nimis præfractus, ærarium defendere uidebatur. Rauden. Ripa. Lau. Quatuor nomina attingit, quorum nullum aut planè, aut uerè exponit, Ripa, Alueus, Crepido, Ripa. Quæ & ipse planiùs & uerius exponam. Ripa sic est extremitas terræ, quã aqua fluminũ, torrẽtiũ, riuorũq; alluit, ut extremitas terræ quã alluit mare, est littus: nisi q; ripæ possunt esse arduæ. Litora uerò nemo uocat scopulos, præruptamq; atque imminentem mari terræ altitudinem, quæ propriè rupes dicitur, siue mari impendeat, siue plano: Lacuum autem stagnorumq;, ac magnarum paludum magis litus, quàm ripa dicitur, quia propriùs ad imaginem maris accedunt

dunt, ut sint tantùm ripæ aquarum currentium, excepto Hellespontо, & si quid est tale, quarum (ut sic dicam) lectus uocatur alueus. Crepido est ora terræ, quam aqua alluit, ex hoc appellata, quòd ibi aqua alluens crepat crepitat ue cùm currit, aut undas appellat, licèt Græci sibi huius nominis originem uẽdicent. Per metaphoram uerò & putei extremam oram, quæ ad puteum respicit, quod uulgò dicitur os putei, & omnem extremitatem, solemus crepidinem appellare, ut apud Hieronymum, In crepidine uiæ. Ripparia autẽ non inuenitur, licèt Genuenses & alij quidã oram maritimam ipsorũ ripariam uocent, quasi mare ripas habeat. Rau. Riuula diminutiuum de riua. Lau. Rima & rimula scribendum est: alioqui nescio quod hoc nomen sit. Rau. Sacrificare (deinde) Nullo modo sedies extulit, id est, extra uitã se tulit. Lau. Imò ad sepulturam se exportauit. etenim extulit se, id est, exaltauit sẽ. uenit tamen ab Effero, ut, Efferam eum laudibus, & Extuli illum præconio meo: tum ab extollo, ut, Noli me supra modum extollere, Ego te infra meritũ extuli. Item Extuli ab Effero, id est, ad sepulturam, uel extra urbem tuli. siquidem ueteres (nisi fortè imperator, aut magistratus, aut singulari quodam merito insignis) solebant extra urbem sepeliri, & præcipuè honesti homines circa uias. indè frequenter epitaphia ad uiatores diriguntur, eoq;, cùm dicimus, Elatus est, significamus ad sepulturã, siue ad rogum extra urbem domum' ue. nam potest esse qui extra muros latus est. Rau. Parentare, est umbris mortuorum aut tumulis parére, obsequi, ministrare. Laur. Hieronymus exponit pro conuiuium facere in honorem mortui. Propriè autem parentare est mortuo, præsertim in templo, hostia humana satisfacere, eiusq; manus hostili sanguine placare, ut Achilles Patroclo fecit, Aeneas Pallanti facere destinauerat. Cicero de Antonio dixit, quòd cineribus Cæsaris cum ipsius Ciceronis, tum aliorum multorum cruore parẽtare uellet: mirorq; cur à Pareo traducat hoc uerbum Raudensis, & non Pari, siue à Parente, quum hæc primam breuem habeant, Pareo uerò longam. Raud. Operari deos religiosè, & ex sacrificijs summa ueneratione litare, uel conuiuari. Vergilius in primo Georgicorum: Latis operatus in herbis, exponit Nonius, sed ego non memini. Lau. Quid non meminisli Raudẽsis? Nonium'ne hoc dixisse, an Vergilium? ita'ne memoriter, ut ne repetere quidẽ libros uelis? si non recordaris, reuolue authorẽ: sin malè dicere existimas, profer sentẽtiam tuam. Præterea Litare aut non exponis, aut minùs rectè exponis. significat enim sacrificio deos propitio impetrare, hoc est, cùm aues addicunt, aut cùm exta benè promittũt, ut frequenter legimus de multis ducibus, eos, cùm sacrificassent, litare nequisse. Rau. Sacerdos (deinde) est magis Latinum quam Presbyter, id est, episcopus, & quàm, &c. Lau. Quod ait nõ probat: nos autem sciamus, Sacerdos esse nomen Latinum, Presbyter uerò Græcum, de quo latiùs in alio disputauimus opere, uerùm ibi de ui nominis, hîc autem de sola significatione ac uoce, quam è Græco sumus mutuati, præterquàm quòd nõ Presbyterus dicimus, sed Presbyter, quum ratio magis illud exigat, quàm hoc, nisi eadẽ ratione à presbyteros declinemus presbyter, ut ab Alexandros Alexander, nõ Alexandrus, ab Antipatros Antipater non Antipatrus, à Menandros Menander, nõ Menandrus

nandrus. Vergilius tamen ab Euandros, & Euander dixit, & Euãdrus Presbyter apud Græcos adtectiuum est, significatq; in comparatione, ut apud nos Antiquius pro Melius. Raud. Sacrarium (déinde) pastophorium, ubi sacraria reponuntur. Lau. Sacra reponuntur, non sacraria: hæc continent, illa continentur. nec pastophorium est sacrarium, licèt Græci quidam sic exponunt, dicẽtes esse gazophilacium, alij ut rò thalamum nuptialem, cum quibus propè sentit Hieronymus, qui in Esaiam ait: Pastophorium est thalamus in quo habitat præpositus tẽpli. Rau. Saltem (déinde) Emicat in currum, id est, saltat. Lau. Salte dicere debuisti, aut insilit. saltare enim tripudiare est: illinc uenit Saltus, hinc Saltatio, quod est (ut Vergilianis uerbis utar) pedibus plaudere choreas. Raud. Sanitas (déinde) sana Philomena est? Pamphilus: Meliuscula est, id est, paulisper melius. Lau. Imò aliquantulò melius habet. paulisper enim est per aliquantulũ tẽporis. R. Satelles (déinde) Emissarius, id est, sicarius. Lau. Hoc ipse non reperi: sed pro eo, qui ante exercitũ mittitur uel ad explorãdum, uel ad prælium lacessendũ. aliqui appellãt arietẽ emissarium eum, qui emissus in solitudinem est, uel qui ad generandam sobolem emittitur: sed uidetur ratio uelle, ut dicatur admissarius unde admissura, quando mares brutorum admittũtur ad fœminas: sed de hoc alio loco dicetur. Raud. Sicarius à sica, id est, gladio absconso in ligno. Lau. Vt ita sit, quod sica absconsa esset in ligno, cur non illud Quintiliani addebat, sicarios eos etiam appellari, qui cædem telo quocunque commiserint. Rauden. Scamnum (déinde) Nam papa in suggesto, cardinales in subsellio inferiori sedẽt. Suggestus enim est

est regalis sẽdes. Lauren. Imò suggestum est locus superior, undè ad populum senatum ue orationem habemus. binc est quod dicitur quis ex superiore loco orare, quod significat Cicero, cùm prætor ad populũ inquit: Hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicẽdum ornatissimus est uisus Quirites, quodq; probat Raudensis exemplum ex eodem Cicerone sumptum: Idem cùm in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat. T. Liuius libro 8 sic ait: Naues Antiatum partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ, rostrisq; earum suggestum in foro exstructum, adornari placuit rostrataq; uel templum appellari. Rauden. Scelus (deinde) Terentius dixit, Ah minime gentium, id est, nequissime. Laurent. Pro nomine (quantum intelligo) accipit Raudensis Minime, quum sit aduerbium, idemq; est Minimè gẽtium quod Minimè, sicuti Vbi gentium quod Vbi, Nusquam gentiũ idem quod Nusquam, siue Nequaquam. Rau. Scire (déinde) Quarè uiderit Epicurus, id est, sciat. Lau. Imò uideat, hoc est, huius rei illi cura sit, uel huius opinionis ille rationẽ reddat, nõ ego, de hoc in elegãtiarũ ope diximus. Rau. Scopere, in Psalmo habetur: Scopebam spiritum meum. Lau. Hieronymus in Esaiam tam in ipsius Esaiæ uerbis, quàm in suis, scopare ait, non scopere, hoc est, primæ coniugationis uerbo usus, non tertiæ, nisi me codex fallit. Raud. Scribere (déinde) Cicero ait: Sæpè scribam ad te, tu ad me uelim. nunquam dicit Tibi. Laurent. Hoc iterum superiùs præceperat. timuit enim, nisi obliuione factum est, ne tam eximium elegantiæ præceptum non satis aduerteret, nisi repetisset. quod si uerum esset, nimirum & Raudensi

ob hoc inuentum gloriari liceret, & ego, ut consiteor, erubescerem, qui hoc non aduertissem, cùm de elegantia scripsi. Verùm hoc non me fefellit, sed illum. nam (ut taceam alios authores) ille ipse quem Raudensis protulit, ita Trebatio scribit: Scripsit ad me Caesar perhumaniter, nondũ te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certè fore: cui ego quidem rescripsi. non dixit, Ad quẽ ego rescripsi. Iterũ circa finem, Scribit enim ipse mihi, sibi gratias agere debere. & iterũ in tertia ab hac epistola, Sed tu ni ista epistola nihil mihi scripsisti. & multis in adhuc alijs in locis. Idẽ in Philip. At etiã literas, quas me sibi misisse diceret, recitauit homo, et humanitatis expers, et uitae cõmunis ignarus. R. Secretum (déinde) penetrale & aditus, sunt loca secreta. L. Adytum nõ adytus dicitur, uidelicet cum y, nõ cum i: significatq; secretiorem, & (ut sic dicam) inaccessam partem templi, & quasi sancta sanctorum. sic autem propriè templorum penetralia dicuntur adyta, ut ianua ualuae: ut Cice. in Verrem: Quae multos annos ad ualuas Iunonis Samiae steterunt. Et in eundem posteà, Conuulsis repagulis, effractisq; ualuis, demoliri signum ac uestibus labefactare conantur. nam quod Ouidius inquit:

Argenti bifores radiabant lumine ualuae:

domus Solis pro templo accipienda est, quũ templum nihil sit aliud quàm domus dei alicuius. Etiam ualuae curiae, locorumq; solennium dicuntur. R. au. Senatorum (déinde) Cicero autẽ De senectute, Tantum aliquando senectuti honoris tributũ scribit, quòd ut quisque natu grandior esset, ita prior in Senatu sententiam rogabatur. Lau. Cur Ciceronis uerba deprauas, & cum barbarè loqui facis? nõ dicimus, Grandior & prior inter plures, sed inter duos: Rogabatur etiam dixit pro Rogaretur. quod ideo ipsi contigit, quod pro illo, ut quod erat accommodatius, dixitq;. R au. Senecа (déinde) Quintilianum nominat Seneca nono declamationum suarũ libro, dicens: Transeo istos, quorum cum uita fama extincta est. Lau. In hunc errorem incidit Petrarcha, qualia multa peccat Vincentius historialis, ut alij multi ex plebe illiteratorũ, qui alium pro alio, uel authorem, uel principem uirum ponit, uelut Statium Tholosanum pro Statio Cælio, ac tres Catones pro uno, duosq; Scipiones pro uno, nescietes quo quisq; tempore fuerit: ita hi duo non uident, Quintilianum plurimis annis superstitem Senecæ fuisse, quippè qui opus de Institutione oratoria sub Domitiano Traianoq; cõposuit, & mentionem Plinij iam mortui facit, sicut & ipse Plinius de Seneca mortuo: Senecam uerò à Nerone interfectum, qui senior Quintiliano circiter octoginta annos fuit, quiq; (si ipsi credimus) potuisset audire Ciceronem, qui ante Quintilianum obijt circiter centum quinquaginta annos. ergo alius Quintilianus fuit, de quo Seneca meminit, et fortè pater Quintiliani, aut auus. Nam pater Quintiliani eloquens sanè fuit, ut quodam loco filius ipse testatur, afferens orationis illius testimonium. Quod si ita est, non ex Calaguritana urbe oriundus est, ut Hieronymus ait: sin illinc est, ergo nec pater Quintiliani fuit, de quo facit Seneca mentionem. quoniam Calagurræ non Romæ eloquentiã exercuit: Nam idem Hieronymus ait, Galbam (qui fuit imperator post Neronem) duxisse Quintilianum ex Hispania, ut Romæ rhetoricam doceret, de quo aliâs plura dicemus: hoc tamen dixisse contenti, Quintilianũ hunc à puero Ro-

mæ fuisse eruditum, & Hieronymum ita in Quintiliano potuisse errare, ut fecit in Bruto, quem ait duxisse Porciam Catonis filiam in matrimonium uirginem, quæ fuerat Bibuli uxor, uti Plutarch. ait. De Seneca autem, an unus sit, an duo, minùs diligẽter attigit, contentus sententia nescio cuius Sidonij poëtæ: nec animaduertit, Quintil. testimonium afferre Senecæ in tragœdijs, ubi Medea ad Creontem loquitur: Quas peti terras iubes? et tamen unum Senecam inter legendos nominare, cuius & epistolæ, & dialogi, & poëmata, & opera philosophiæ ferantur. Tamen duo eximij Senecæ fuerunt, ut Martialis testatur, qui fuit æqualis Quintiliani Iuuenalisq;. ait enim: Binosq; Senecas, & unum Lucanum facunda loquitur Corduba. Cæterum, an idem sit qui tragœdias & alia opera cõdidit, dubitari potest: certè, qui nonæ tragœdiæ author est, Seneca maior non fuit, de quo aliâs suo loco dicemus. nam de ementitis ad Paulum, & Pauli ad eum epistolis, alio opere disputauimus. Rau. Secta. Laurent. Sectam & factionem idem esse uult, quum secta sit inter philosophos, aut philosophis similes, factio autem inter potentes ciues, ut superiùs ostendimus. Rauden. Sentire. Nonius ait, Sensus qui sentiunt, Sensa quæ sentiuntur. Lauren. Cur non afferebas ad hanc rem Quintilianum? qui eam exponit planiùs, inquiẽs: Non rarò tamen & sic locuti sunt, ut sensa sua dicerent. nam sensus corporis uocabantur. Sed consuetudo iam tenuit, ut mente concepta sensus uocaremus. Rauden. Sententia est color rhetoricus Ciceronis. Quem si imitari collibuerit, non incongruè cõuenit exordio, modò non ponatur in principio. tunc enim incideret illud exordij uicium, quod appellatur commune & uulgare

gare. Lauren. Hoc est quod me promisi redditurum, quo se primùm offerret loco. ideoq; quæ hîc dico, eadẽ in cæteris, aut similia possem dicere. nam quis istas minutias præceptorum aut tradidit, aut traditas custodire posset? Præterea, quis te Raudensis docuit sententiam facere uicium, quod dicitur commune, & uulgare? si enim ita esset, omnis sententia uiciosa esset. siquidem uicium commune aut uulgare in qualibet parte orationis committi potest, non tantùm exordio, atque in ipso exordio infinitæ sententiæ reperiuntur: ut apud Quintilia. Fas est uita periclitari, qui natum se meminit lẽge pereundi. & Cicero in Sallust. sic exorsus sententia: Ea demum magna uoluptas est Crispe Sallust. æqualem ac parem uerbis uitam agere. statimq; pòst: Neque qui uiuit ut tu, aliter ac tu loqui potest: nec qui tam illoto sermone utitur, uita modestior est. Nec longè pòst: Non enim procacitate linguæ, uitæ sordes eluuntur. Rauden. Sed tale sit exordij principium, quale Cicero præcipit. Laurent. Quod istud genus principij est? neq; enim unum est exordiendi genus. Rauden. Valet in confirmatione & confutatione. Laurent. Cur non in narratione? ut pro Milone Cicero: Quod quisque seruos suos in tali re facere uoluisset. & Quintilianus: Sæpè apud solicitos in deterius prona persuasio est. & alibi: Scitis quàm negligenter custodiat ferrum bona conscientia. Cur non in egressione? ut idem Cicero & pro eodem: Fabulam uanam, fictam, falsam perhorrescimus. Rauden. Conclusioni autem conuenit per amplificationem & commiserationem. Lau. Ergo sine amplificatione & commiseratione sentẽtijs uti nõ possumus. ergo omnes sententiæ aut lachrymas mouent, aut indignationem.

An illud: Difficile est tacere cùm doleas. aut illud, nihil est tam populare quàm bonitas, aut infinita huiusmodi uersantur in lachrymis aut indignatione? O quàm longè & ab arte, & ab usu abest, qui hoc de sententia sentit. Rau. Congruit generi demonstratiuo, maximè deliberatiuo generi. Lau. Si indignationi ac miserationi congruit sententia: color profectò non minùs iudiciali conueniet, in quo maximè indignatio commiseratioq; uersantur. Rau. Etiam honesto nonnunquàm in dubio. Lau. Vix dici potest quàtoperè Rau densis ineptiat, qui honestum genus caussæ & dubium cum genere demonstratiuo deliberatiuoq; coniungit, quasi aliquid simile inter se habeant. uerùm quia nonnihil hac in re etiam Victorinus errauit, non satis intelligens in quo differant tria genera caussarum demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale, ab alijs quatuor generibus caussarum, seu quinq;, honesto, turpi, ambiguo, humili, admirabili: reddã ipse differentiam. Omnis caussa de præterito est, aut de futuro: si de præterito, aut pro nostra uolũtate laudamus, uituperamus ue, aut aliũ accusamus, petimus ue, siue defendimus. Illud demonstratiuum genus caussæ est, hoc iudiciale. Si de futuro consultamus, hoc erit deliberatiuum. Item omnis caussa, aut in lite est, aut extra litẽ. si in lite, iudicialis est: sin extra litem, aut in consultationem uenit, quod est deliberationis, aut laudamus, uituperamusq;, quod est generis demonstratiui. At illa alta quatuor non sunt nisi procœmij, quæ est una pars orationis, nec communia ambarum partium. siquidem caussa iudicialis communis est actoris & rei, ut Milonis & Clodianorum. Deliberatiua, ut Fabij & Scipionis de traducendo in Africã exercitu. Communis

munis est demonstratiua, ubi hinc laudatur, illinc quispiam uituperatur, ut tu laudas Dionysium, ego uitupero, utriusq; personæ communis est. At in exordio secùs fit. ponamus ipsius uerba Ciceronis, ut pro uiro forti cõtra paricidam. Caussa erit iudicialis, & hæc tam ad paricidam pertinet, q; ad utrum fortem. ergo una erit amborum: in procœmio uerò diuersa. nam suæ cuiusque erit, altera uiri fortis, altera paricidæ, illa quidem honesta pro uiro forti, & eo honestior, quòd contra paricidam: hæc uerò turpis, quòd pro paricida, & eo turpior, quòd contra uirũ fortem: erũt itaq; duæ caussæ, ac diuersæ, & inter se plerunq; cõtrariæ, ut communes esse nullo modo possint. neq; uerò uis hæc caussæ honestas q;, aut turpitudo, ad caussam illã, quæ & controuersia dicitur, aliquid pertinet, sed est præsumpta quædam hominum opinio de actoris parte, uel rei, quòd partem hanc honestam esse existimant, illam turpem: neq; id semper rectè, quum de bona possint malè sentire, & mala bene: quod etiã sæpè usu uenit, adeò ut fortis uiri caussa queat esse iniusta, & paricidæ iusta. non enim personæ faciunt caussam bonam, aut malam: ideoq; orator cùm intelligit, partẽ, quam tuetur, laborare infamia, apud iudicum auditorumq; mentes, purgat infamiam, cõciliatq; eorum animos ad bene sperandum de caussa, quam acturus est: & quantum fieri potest, contrahit in exordio beneuolentiam sibi, & ab aduersario alienat, ut postea probationem ipsius caussæ, in qua iudicium pendet, audiãt, de iure nostro benè, de aduersarijs malè iam opinionem quãdam præsumentes, ideoq; hoc honestũ genus caussæ apud Græcos ab illo honesto, quod uirtutem significat, & hoc turpe ab illo, quod uicium diuerso nomine appellatur.

dicitur

dicitur enim εὐδοξον & ἄδοξον, quasi bonæ famæ, & malæ famæ, quum illa alia dicantur καλὸν & αἰσχρὸν. Quod tam probant cæterorum generum nomina, dubium, humile, admirabile, & si quod est aliud. non mutant genus causſæ, quò minùs ſit aut iudiciale, aut deliberatiuum, aut demonſtratiuum, ſed tantùm innuunt auditorum tacitam quandam uel de noſtra, uel de altera parte opinionem, quæ plerumq; nihil ad ipſam cauſſam ſecit, eoq; extra ipſam probationẽ cauſſæ. nam proœmium quoque magis ſatellες ac famulus cauſſæ eſt, quæ cauſſa ſerè tractatur. Sed hæc ſatis. pergamus ad reliqua. Rau. Magis id conuenit coniecturali, & iudiciali, quàm legitimæ. Lau. Quomodò iſtud probas? an legalis materia minùs ponderis habet, quàm cæteræ: & quod cõiecturalis recipit, id legitima non recipiet? Quidᵉ non legitima uerſatur in coniectura frequenter, ſemperq; aut coniecturæ, aut finitioni, aut qualitati ſuccedit, quæ ſunt ſola capita conſtitutionum? Rau. In argumentando confirmationi & exornationi tantùm. Lau. Argumentatio eſt pars cõfirmationis, non confutationis. nam confutatio, quam Ariſtoteles numerat inter partes orationis, hoc ipſo, quòd qui confutat alterã partem, confirmat ſuam. eſt autem idem eo argumentatio pars confirmationis, & ſi uis confutationis, quia non tantùm argumentis cõfirmatio confutatioq; conſtat, ſed etiam teſtibus, tabulisq;, aliisq; nonnullis. quod ſi confirmationi conuenit, ergo & confutationi. ſed his conuenit, ergo & omni argumẽtatione Rau. Item figuræ graui & mediocri, aliquando etiam attenuatæ conuenit, cùm ipſa attenuata ad mediocrem tranſit. Lau. Quaſi omneis ſentẽtiæ graues ſint & mediocres, ac non etiam plurimæ attenuatæ. nam

enim materia uel grãdis, uel parua, uel mediocris eſt, ita ſententiæ uariæ reperiuntur, nec tantùm ſub hac trium generum uarietate incluſæ, ſed ſub alia mille genera. ſunt enim dulces, acres, triſtes, lætæ, honorificæ, laſciuæ, mordaces, blandæ, flebiles, inuidioſæ, & aliæ, quas perſequi longũ eſt, in unũquodq; cadentes cauſſæ genus. At enim, ut ſibi credamus, affert è Terentio exemplum. Rau. Quod animaduerſum à Terentio nonnullis locis uidemus, cùm præſertim ſermo datur pluribus, ut Simoni in And. et alijs grauibus et bonis uiris, & Chremeti, cùm Menedemum alloquitur in principio Heaut. tunc enim liceret uti ſententia. Lau. Vbi non apud Teren. eſt aliqua ſententia? an non ſtatim Libertus Soſia non pauciora ſentẽtioſè dixit, q̃ Simo patronus & ſenex? ueluti illud: Nam iſta commemoratio, quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij. & iterum: Nam apprimè in uita utile credo, ne quid nimis. atque iterum: Obſequium amicos, ueritas odium parit. & iterum: Nam ſi illum obiurges, uitæ qui auxiliũ tulit, quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum? & hoc quidẽ in narratione, in qua nõ uult Raudenſis locum eſſe ſentẽtijs, quũ in eodem loco Simo ducat & ipſe nonnulla ſententioſè, quale eſt illud: Nam qui cũ ingenijs conflictatur eiuſmodi, neq; commouetur animus in ea re tamen, ſcias poſſe habere iam ipſum ſuæ uitæ modum. et iterum: Ita ut eſt ingenium omnium hominum procliue à labore ad libidinẽ. Raud en. In epiſtolis maximè ad confirmationem narrationis, uel petionis, aut etiam concluſionis. Laurent. Alia ratio eſt utendi ſententijs in epiſtolis, q̃ in cæteris ſermonibus? quum plurimæ epiſtolæ ſint graues ac ſublimes, multũq; admonitionũ & præceptorũ continentes

tinentes, proximè accedentes ad summum illum gra-
dum, qui est in orationibus: quẽadmodùm multæ sunt
orationes, præsertim aliquibus in locis quotidiano ser-
moni proximæ. Quid porrò dicis de libris, quales
sunt dialogi, aut ex persona ipsius authoris? R. aud.
Aliqui tamen utebantur in exemplo, sed non Cice-
ro, & antiqui. Laur. An non sententiosè locutus est
Cicero pro Milone? Pudicitiam cùm eriperet milii
tribunus militaris in exercitu C. Marij, propin-
quus eius imperatoris interfectus ab eo est, cui uim af-
ferebat, facere enim probus adolescẽs periculosè, q̃ pu-
ti turpiter maluit. atq; ille summus uir scelere soluit
periculo liberauit. Deniq; hæc præcepta ita ꝑplexa,
ita dura, ita difficilia, etiã si forẽt uera, mihi uidẽtur,
ut iã nũc desperarẽ me illa custodire posse. nã ad singu-
los colores, aut totidem, aut plura præcipit. Verum
quid ego & retexo repræhẽsionem meã: rediго enim
in memoriam, hæc Alanum, & alios quosdã (quorum
nomina pro amicitia nostra proferre uereor) tradidi-
se, in quos mea accusatio præcipuè quidem cadit, sed
nonnulla quoq; in Raudensem ipsum, qui uel stulta &
ficta imitari, uel (quod turpius est) aliena pro suis ha-
bere uoluit. hoc contra alterum, illud è nostro addi-
mus. Ire in sententiam pedibus, est alterius sententiæ
non uerbo, sed corpore accedere, ut apparet cum ex
alijs multis locis, tum uerò è septimo Liuij libro, ubi
Decius ad commilitones, qui secum obsessi intempesta
nocte erant, orationem habens, inquit: Qui hoc senti-
tis, ad dextram partem pedibus transite: quæ maior
pars erit, eo stabitur consilio. deinde peracta oratio-
ne dicitur, Omnes in dextram pedibus transierunt,
hæc ratio inuenta est, quod nonnunquàm longum est
audire

audire singulos, dum plurima sunt, uel duo capita sen-
tentiarum sunt, ut expeditiùs res fiãt. Aliquando ne
pedibus quidẽ ire præ multitudine ad sententiã possu-
mus, ideoq; manu sentẽtiã significamus, quod Quintil.
intelligit, ubi ait, Manibus pedibusq; imus in sentẽtiã
necessitatis. R. Sequitur (inde) imitationes. Cicero,
Liuius, & alij antiqui nõ dicerent Asequenti, sed in-
sequenti, & Dies insequentes, non Sequentes. L. Imò
frequenter & sequens, ut ille mẽsis fuit foris periculo-
sus, sequens non minus domi. R. Seruus (paulò ost)
Dediticij sunt, qui ante libertatem ob manifestã culpã
à dominis suis stigmata uel tormẽta perpessi sunt. L.
Hoc mihi inauditũ est: sed dediticios esse omnes, qui
se uel hostibus dedũt, ut ciuitates obsessæ, præsertim
desperãtes se posse urbẽ defendere, aut castra, uel qui
metu hostium alteri principi aut populo sese dedũt, ut
periculis impẽdentibus liberentur: quod fecerũt cũ alij
plurimi, tum Campani, cùm metu Samnitium sese de-
didêre populo Romano. per abusionẽ tamen dicimus,
Ego sum dediticius tuus, id est, tibi deditus, atq; tuo
imperio obnoxius. R. Clientela est multitudo seruo-
rum. L. Imò eorũ, qui potentem aliquem ciuem princi
pem ue fauore prosequuntur, & cuius dignitatẽ factio
nemq; tutãtur. ducti aliqua mercede, uel beneficio. for
tè Raudẽsem fefellit, quod Lucanus inquit, Emptiq;
clientes. uerùm non de seruis loquitur poëta, non enim
in seruis Pompeius spem sibi reponebat, sed in liberis,
ac ciuibus, seruilem tamen non liberalem animũ haben-
tibus, qui uenalem haberent ingenuitatem. ideoq; addi-
dit Empti: quia clientes empticij non sunt, quales si fo
rent, non adderetur Empti. quia cùm dicimus seruos,
non adijcimus, emptos. R. Misit unum de stipatori-

bus suis, id est, seruis pedissequis. Lau. Cur seruos interpretaris stipatores, quũ regũ stipatores sint maxima ex parte potentes ac nobiles, ex hoc dicti stipatores, q̃ regẽ stipant, et undiq̃ circundãt ac claudunt, penè cõstringẽtes, instar apium circa ipsarũ regem. Rau. Prægustator, est seruus qui ad mensam domini sui prægustat cibum & potũ. Lau. Cur seruum appellas, qui plerunq̃ apud mensas principũ est egregius aliquis? R. Si, Siquidem quasi idem sunt. uide imitationes. Cicero ait, Molesta ueritas, siquidem ex ea nascitur odiũ. L. Imò Siquidem pro Quoniam, si tamen hæc sunt uerba Ciceronis: nã homini ipsi molesta est ueritas, quia odium parit, non aũt, si parit odium, quasi de hoc author dubitet, quod non facit, sed eodem modo affirmat, quo Terent. in And. Veritas odium parit. nõnunquam Siquidem pro Si. lege nos in Elegantijs. Rau. Sic (paulopòst) Hactenus excanduit idem sic, ut malum his qui desciſſent minaretur. Item de eodem, Domum suam cùm absolutã dedicaret, hactenus contabescit, id est, sic ut se diceret quasi hominẽ tandem habitare. L. Nisi deprauauit authoris uerba Rau densis, meliùs exposuisset Intantum, uel Adeò, uel Usque eò. idem autem efficiunt Hactenus & Eatenus, quemadmodum, Hic & Is, cùm dicimus, Qui bonus, hic dives est, uel is dives est. R. Sigillũ (paulopòst) Spingis usus est imagine, id est, griphonis. L. Quis tibi assentiatur sphingem esse, quod griphẽ, siue (uterubo tuo utar) griphonem) Rau. Simulare (paulopòst) Qui fingit se scire quod nescit, simulat: qui uerò quod scit, nescire, dissimulat. Lau. Absolutiùs exponitur, qui fingit aliquid esse quod non est, simulat: qui fingit non esse quod est, dissimulat. R. Simonia à Simone Mago

Mago dicta est. scribitur ff. ad legẽ Iuliam De ambitu. Lau. Nunquid in ff. fit mentio de Simõne Mago? Sciamus autem literam, qua significamus opus ff. non duplicem f. esse, sed D. Græcum solemnius, quod ita fieri debet Δ ad differentiam minoris d, pro significatione distinctionis, sicut fit in C grãdiusculo, qua litera intelligitur codex, ut differat à c, parua, quæ significat capitulũ. Rau. Sine caussa, non ab re, id est, non sine caussa. Lauren. Meliùs, nõ sine iusta caussa, non sine ratione. Hoc præterea præceptum addere poterat, Per caussam significare, per simulatã caussam, siue per speciem: ut Liuius lib. 24, Vt cùm appropinquaret ianuæ rex, per caussam aliquã in angustijs sustinẽt à tergo agmẽ. Frontinus lib. 3 stratagematõn, Nam ipse dignus est qui in testimonium afferatur, huiusmodi fallaciã instruxit, ut ille per caussam uenandi noctu procederet. hoc Frontini exemplum ideo protuli, q̃ Liuius hunc eundem locum sic refert: Hi priusquam aliquid mouerent, colloquendum cum Annibale rati, nocte per speciem uenandi urbe egressi, eò profici scuntur. En apparet, idem esse per caussam, & per speciem, id est, per simulationem, siquidem Liuius idem non ita distante illinc loco ait: Quem ut incautum opprimeret Appius Claudius, per simulationẽ prouinciæ circumeundæ, Messanam traiecit. Rau. Societas non multò pòst) caterua est hominum, turma est auium. Lau. Imò caterua est peditum, aut cõmunius nomen est: turma uerò equitum, quæ certo numero constat, ut Vegetius, & alij nonnulli tradunt. Rau. Sonare (paulopòst) tinnire est sonare acutè. Lauren. Tinnire propriè dicimus, cùm de metallis loquimur. unde Quintilianus: Nam homines sono, sicut æra tinnitu

Vide Gregorij Haloandrum de antiquitatis obseruatiõe in notandis libris iuris in præfatione pand.

tinnitu, dignoscimus, hoc est, quòd aliter tinnit aurũ, aliter argentum, aliter æs, aliter ferrum, aliter plumbum, aliter stannũ, aliter orichalcũ, aliter electrum, & si quid est aliud. R. Traijciam digitis increpuisse liram, id est, sonasse. L. Sonasse pro Sonuisse posuit, accusatiuum etiam præter eius naturam tribuit, immutata etiam significatione. nam Sonare regit accusatiuum in alia significatione, ut Vergil. Nec uox hominem sonat. Cicero, poëtis Cordubẽsibus pingue quiddam sonãtibus. Itaq; Pulsasse, aut Percussisse debuit dicere, siue lira cecinisse. nam qui pulsat fides, organa'ue, aut tibias inflat, canere dicitur. R. au. Nablum Hebraicè, Psalterium Latinè. L. Imò Psalterium Græcum est, & Nablum quoq; Græci suum uendicant, nec uidetur idem esse. Nablium, nõ Nablum inuenio apud Ouid. lib. 3 De arte:

Disce etiam duplici genialia nablia palma
Vertere, conueniunt dulcibus illa iocis.

Nec abnuo, Nablum Hebraicum esse posse, ut ait Hieronymus in procemio super Psalmos: Psalteriũ Græcum est, & Latinè organum dicitur, quod Hebræi Nablum uocant. R. au. Lira ab ipso sono dicitur, scilicet liron, liron, id est, syringa. Lau. Proba, quia non credo. Lira manu pulsatur, ut Versus Ouidianus modò ostẽdit: syringam ore modulamur, ut apud eundem est, cùm fuisset facta syringa ex arũdine. R. Nola est sonalium accipitrum. Lau. Si nola nomen uetus est, nõ potest esse id, quod accipitres nũc ferunt, cùm ueteres ne uenaticas quidem aues mansuefecissent, & ad prædam instituissent, ut nos facimus, nedum tinnabulis ornarent: sin nouum, referat authorem unde prolatum sit. R. au. Somniare (deinde) Hallucinare,

uana somniare. Lau. Imò hallucinari est uisu errare, atq; caligine quadã obducta, minùs rectè dignoscere quod ad oculos etiam mentis transfertur. R. aud. Sperma genitale est semen. Lau. Græcum nomen est pro omni semine. & quod dicitur apud ecclesiasticos de semine Abrahæ, de semine Dauid, Adæ, de spermate Græcè dicitur. Quod non minùs pudens uocabulum est, q̃ apud nos semen nam idem nomen est, cùm dicitur, Exijt qui seminat sẽminare semen suum. R. au. Spina (deinde) Frutex, pluraliter frutecta. L. Quasi frutices plurale non reperiatur. sic autem dicuntur frutecta à Frutex, ut à Carex Carecta, à Sentes Senticeta, à Rosis Rosetum, & plurale Rosẽta. Est tamẽ frutex aliud quàm spina, lege nostras elegãtias. R. au. Stipẽdium (paulopòst) Item meruerãt sub eis, stipendiarij fuerant, & mercenarium militem, id est, stipẽdiarium. Lau. Imò stipendiarij sunt qui pendunt stipendium, non qui recipiunt. populi multi erant stipendiarij reipublicæ Romanæ, hoc est, qui pendebãt soluebantq; stipendium. Igitur dicendum est stipendiati, id est, stipendia recipientes. quo uocabulo nescio an de ueteribus, certè de recẽtioribus nõnulli utũtur. R. Studium (deinde) Gymnasium locus exercitij studiosi. Lau. Imò locus ludorum appellatur, à palæstra, quã nudi exercẽt. quo in loco, cùm à ludis uacaretur, consueuerant philosophantes disputare, quod probat Cicero cùm ait, Multis seculis antè gymnasia inuenta esse, quàm in ijs philosophi garrire cœpissent. R. au. Subrogare (paulopòst) si militare non uis, uicarium tibi dabo, cui arma tua tradas, id est, in loco tui qui uicem gerat. Lau. Loco tuo dicendum erat, non Tui. Possessio enim significatur, nõ passio. quale est, Amo

re tui huc ueni, nempe quia tu amaris à me. hoc tamen in elegantiæ opere dixi, illud non dixi, Induere habere hãc constructionẽ, ut apud Ciceronem in Academicis, & (ut docui) Antiochus in idipsum se induit, quod timebat. Quintilianus in 9, Cùm in grauissimas frequenter legum, semper uerò malæ conscientiæ pœnas à semetipsis improuiso rerum exitu induantur. Rau. Superfluere (in fine) Hic autem ex abundanti fecit, id est, superfluè. Lau. Imò accumulatè, & quodammodò benignius, ut non solùm satis sit rationum in caussa, sed quod multò præstat, abundè sit. Rau. Tanquam (dein de) at ipse (utpote adolescens alti cordis) idem tanquam, utpote præsens fuisset, id est, tanquam, uelut, uelut. Lau. Aliud est Vtpote, aliud Tanquã. est enim Vtpote caussatiua, ut Quippe, quemadmodùm in Elegantijs ostendi. uerùm hæc exempla Rauensis, ut solet ex seipso fingit, non aliunde repetit, quorum secundum ineptum est, ac minimè Latinum, primum uerò sic exponatur: At ipse alti cordis est, utpote adolescens, id est, quia adolescẽs est, cuius ætatis est proprium esse sublimi animo. Rauden. Tardè (paulopòst) Surrexit tempestiuè, maturè uenit. Laurent. Videtur accipere Tempestiuè pro Citò, quũ significet tempore suo & debito, ut Vergilius in primo Georgicorum:

Aut tempestiuam syluis euertere pinum.

Et Cicero nos admonet, ne irascamur aduersus eos, qui nos intempestiuè adeunt, hoc est, tempore non idoneo. Rau. Tempestas (paulopòst) Procella non est minùs terrarum, quàm cœli: sed tẽpestas fluctuum, est fluctus, uis maris. Lau. Contrarium foret uerius, sed magis hoc modo differũt, quòd procella est uehementior quidam uenti impetus, nec ita durans, & in mari potiùs, quàm in terra: Tempestas maris, terræq; communis, ut Cicero in Philippicis: Sed statuæ interierunt tempestate, ui, uetustate. Et in Verrem: Totæ enim res rusticæ eiusmodi sunt, ut eas nõ nutio, neq; labor, sed res incertissimæ uẽto tẽpestateq; moderẽtur: fluctus est lacuũ quoq;, atq; stagnorũ magnarũq; paludũ ac maximorũ fluminũ, ut Gangis. R. Tẽperantia moderata (deinde) Frugalitas est honesta largitas, et parcitas moderata. L. Nihil habet frugalitas affinitatis cũ liberalitate, uixq; etiã cũ parcitate. frugi homo uocatur ꝓpriè, qui in uictu tẽperans est, nõnunquã in uestitu, similibusq;, sicut econtrariò luxuriosus, ut apud Senecam. Quintilianumq; de duobus filijs, frugi, luxuriosoq;. Cicero etiã uult frugi esse, qui ad oĩa aptus utilisq; est, omni uirtute præditus, cùm contrarium sit nequam, cuius significatio una est, quòd sit libidinis intemperantioris, altera quòd ad nihil bonus sit, sed planè malus. unde Piso frugi appellatus est, cuius adhuc cum hoc cognomine numismata extant. Rauden. Priscianus dixit, Hic & hæc & hoc frugi, sed moderni tres obliquos casus habent Frugi, frugem, fruge. Lauren. Qui sunt isti quæso moderni, si moderni Latinum uocabulum est? Frugem & fruge ab eo uenit, quod est Fruges, non ab eo quod est Frugi. Rauden. Tegere tegumina tegulæ, quia ædes tegũtur. Tigillum diminutiuum à Tecto. Lauren. Tegmina dicimus, non tegumina. Tigillum à Tignum est diminutiuum, quod significat lignum, præsertim trabale. unde tigillum parua trabs. Rau. Terentius (multò pòst) Nam in prologis scribundis operam abutitur, non qui argumentum narret, sed qui maleuo

li: posuit utrobiq; Qui pro Quomodo. Lau. Imò exponendum est illud Terentij, non is qui argumentũ narrat, sed is qui maleuoli ueteris poëtæ maledictis respõdeat. Rau. Sint à uobis spectandæ, id est, probandæ, uel exigendæ, id est, expellendæ. Lau, An exigendæ dicere debuit, non Vel, ut in Elegantijs ostendimus, et ita Terentius scripsit, non ut Raudensis immutat. illud quoq; Spectandæ, intelligendũ est uidendæ, cùm agũtur in scena, potius quàm Probãdæ. transeo quòd ait, Duci nos falso gaudio, de Simõnis gaudio accipiendum esse, non de Pamphili ac Daui sperantium nuptias nunquam fore, Rau. Expletis his dubijs, iuxta petitionẽ scholariũ restarent multa alia. Lau. Scholarium dixit, pro Scholasticorum siue discipulorum. Scholaris adiectiuum est, non substantiuum. Malè ergo qui dixit, Communis dico scholaris, quod Priscianus ueterumq; alius nusquam scriptum reliquit. Rau. Per Priscianũ tam in minori uolumine. Lau. Admonui superiùs, unum esse Prisciani opus, non duo. uolumen quoq; librum unum esse, non unum utique opus, in Elegantijs planũ feci. Rau. Credo etiam q; Iuristæ acceperunt à Terentio titulum illũ De restitutione in integrum. Lau. Ridiculum, quasi hoc non foret uerbũ ante Terentium, cæterosq; Comicos omnes, & in iudicijs, & in legibus frequentatum. unde Terentius, sicuti multa alia, mutuatus est. Raud. Thesaurus (déinde) Thesaurus non est aurum nec argentũ, sed locus, ubi talia reponuntur. Lau. Imò propriè ipsum aurũ, argentum'ue. Nam qui Thesaurum inuenit, nõ locum auri argenti'ue, sed aurum ipsum argentum'ue dicitur inuenisse, & sublato auro, qui hunc locum reperit, nequaquam dicitur thesaurum reperisse.

Rau.

Rau. Testamentum (déinde) Codicillus est scriptura, nulla indigens solennitate, sed solùm testatoris uoluntatem significans. Lau. Codicilli dicuntur, nõ Codicillus. præterea cùm alia quædã addere debuit, tum uerò illud, semper ad aliquem codicilli scribũtur. R. Tribulor. Lau. Græcum non Latinum uerbum est, & ideo nunquam à ueteribus usurpatum: nisi deriuamus hoc uerbum à Tribulis, quod etiam Græcum est nomen. nam uerbum illorũ potiùs transferendum esset per l, quàm per r, Tlibulor. Rau. Cicero: Obsecro te ne quo aut timore aut ægritudine afficias. Laur. Hæc Ciceronis uerba non sunt, utpote minùs elegan ter dicta. quũ enim Ne, Quo antecedat, necesse est ea quæ sequuntur, aut neutri generis esse, aut masculini, sic, Ne quo te aut timore, aut angore afficias. nam intermiscere fœmininũ (ut Raudensis facit) non secùs permissum est, quàm si diceremus, Ne quo te aut ægritudine, aut molestia afficias. ergo tollendum est primum, aut sic, Ne quo te timore. hæc tamen in Elegantijs latiùs. Rau. Tribunal (in fine) ex his apparet, orchestram potiùs esse locũ aut cameram senatoriam quàm pulpitum aut suggestum. Lau. Imò locus, ubi saltabatur publicè, & ubi similia quædam fiebant, & quem circunsedebant magistratus & alij pro sua dignitate, & prout ordines poscunt: plebe autem stante magis, quàm sedente. Varro sic exponit, orchestra locus in scena. Rau. Triumphus (déinde) Trophæum pro triũpho, ut, Tibi trophæa sacra pangimus. Lau. Cur magis hoc loco trophæum pro triumpho accipitur, quàm pro suo significato? nunquid magis laudamus honorem uirtutis, q̃ ipsam uirtutẽ? trophæum autem & triumphus honor uictoriæ est, non uictoria,

uerùm hoc loco accipitur trophæum pro uictoria, sicuti pro uirtute ipsa, per quam uictoria parta est. Cæterum non sunt digni illi, qui in testimonium linguæ Latinæ afferãtur. In quo autem hæc duo differunt? nempe q̃ triumphus (ut alîs dixi) est pompa illa solennis, quæ fit redeuntibus in urbem cũ uictoria: trophæum, quod in testimonium uictori publico in loco statuitur. ut apud Ciceronem, Quod Thebani equum æneum in monumentum uictoriæ contra Lacedæmonios statuerant. Raud. Tuba (non multò pòst) Classica sunt cornua, quæ conuocandi causſa erant facta, & calando classica sunt dicta. Laurent. Imò propriè classicum est sonus tubæ, quod Priscianus etiam ait, ut Vegetius alijq̃ testantur. unde Quintilianus: Ad primum obscœnæ libidinis sermonem non aliter quasi in hostem classicum cecinisſet, gladium illum, quem ante pro pudicitia nostrarum coniugum acceperat, per pectus infandi corruptoris exegit. Vegetij uerba hæc sunt: Classicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicũt. hoc insigne uidetur imperij: quia cùm classicum canit, imperator est præsens, uel cùm in militem capitaliter animaduertit. quia hoc ex imperatoris legibus fieri necesse est. Rau. Tullius (in fine) Possum nunc catalogum totum oratorum his inserere commentarijs. Lau. Quid magis diuersum, quàm opus suum appellare librum, id est, unum commentarium, & commẽtarios? præsertim quum superiùs dicat commentarium ab librum? Raud. Tus) déinde) Ferula uerò in Gargano nascitur. Lauren. Quasi alibi non sint ferulæ, quàm in monte Gargano, quum & plures & proceriores sint in ipsa planicie Apuliæ, & in alijs multis locis. Vndique in Sicilia, quantum recordor, crassiores

crassiores ac longiores. Rau. Vagari (in fine) Homo discoluse st uagus, indisciplinatus. Lau. Græcum, non Latinum nomen est, significatq̃ malum perniciosumq̃, ac toleratu difficilem. unde Petrus in epistolæ prima: Seruite dominis, nõ solùm bonis, sed etiã dyscolis, scribitur per y, non per i. Rau. Volumen (paulò pòst) credo quòd orarium & peplum sit idem, item sudarium, & orariũ habeas pro capite sacerdotis. Lau. De sudario & orario ipse probet, qui sapit: certè peplus non peplum dicitur, uestemq̃ significat solennem, quæ inijcitur, uel uiro uel fœminæ, uel deo uel deæ, ut apud Homerum, et alios Græcos poëtas. nam hoc nomen Græcum est, à quibus Vergilius mutuatus dixit: Crinibus Iliades passis, peplumq̃ ferebant. etiam pepli inijciuntur equis, ut Pandarus ad Aeneam apud Homerum inquit, suis equis peplos decoros fuisse. Rauden. Vendere (aliquantò pòst) Vnde propriè uidetur mihi fieri sub hasta Lau. Imò uenditio rerum domesticarum, ut utensilium, supellectilium, quæ alicuius dominio seruierant, domorum quoque ac prædiorum, de quo in Elegantijs diximus. Sub hasta autem ciuium proscriptorum damnatorumq̃ bona ueneunt. Hastarum pro loco (ut ait Raudensis) non memini inuenisse. Rauden. Et alter alterum superare contendunt. Laurent. Alius alium dicere debebat, utpote de multis loquens. Rauden. Mango, id est prosoneta. Lauren. Imò qui uendit & commodat precio pueros, ut latiùs in Elegantijs dixi. Rauden. Venalitij mercatores, uenditores exponit Nonius. Lau. An hoc dicat Nonius, tu uideris. Venalitiarij dicũtur, nõ uenalitij: nec mercatores, sed seruorum negociatores, id est, qui mancipia & emũt & uenditant. Venire

(déinde)

(deinde) Cicero ait, Brundusium futurus sum, id est uenturus. Lau. Cur Brundusium dixit pro Brundusij? Rau. Item denunciat Domitium ad me iter habere, id est uenire. Lau. Imò uenire uelle, siue constituisse ad me uenire. Rau. Et huc commigrauit, id est uenit. Lau. Imò commutato domicilio huc ad habitandum uenit. Rau. Venenum (deinde) Hippomanes est herba equos insanire faciens. Lauren. Pro ueneno ab inguinibus equæ distillante, Vergilius accipit, cùm inquit:

Lentum distillat ab inguine uirus,
Huic demũ hippomanes uero quod nomine dicũt,
Hippomanes, quod sæpè malæ legêre nouercæ,
Miscueruntq; herbas, & noxia uerba.

Non est apud Hesiodum, sed Theocritũ Idil. 2.

Nam pro herba impropriè apud Hesiodum ponitur: neq; homo Latinus de authore Latino atq; usu Latino silere debuit, & loqui de Græco, eo quidem minùs, quòd tunc hippomanes utiq; uenenum est, cùm saniem illam equinam significat, non autem cùm herbam: & tunc esse uenenum Vergilius ait, appellans illam uirus. Rau. Verecundia (circa finem) labem & ignominiam, id est uerecundiam, & quanto probro ciuitati sit, id est uerecundiæ. Lau. Verecundiam eo, quo nemo unquam, modo accipit, quæ est honestus quidam timor ignominiæ, infamiæ, probriq; subeundi, & Raudensis pro ignominia ac probro interpretatur. Rau. Via (circa medium) strata, quia pedibus uulgi trita. Lau. Sicubi Strata sine appositione Viæ reperitur, nõ ideo dicta est, quia pedibus trita sit, sed quia lapidibus strata, ut sunt uiæ Romanæ in omnes ferè Italiæ urbes cilicibus stratæ. Ideoq; plus sceleris latro, prædator, percussorq; committit, si in uia strata in

uiatorem græssatur. Rau. Vicioſus (deinde) Exoleti sunt fœtidi, præsertim in luxuriæ uicio. L. Exoleti sunt impudici, nec tam pueri, quàm grandiusculi aut adulti. de quo nomine latiùs in Elegãtijs. Luxuriæ autem non Latinè dixit pro libidinis. nam luxuria multùm abest à libidine, eoq; non uidetur in fine literæ t intelligere Cicero, cuius testimonium repetit ex primo libro Officiorum: Luxuria quũ omni ætati sit turpis, tum senectuti fœdissima est: non de Venereo uicio loquitur Cicero, cùm luxuriã nominat, quæ est uerborum, uestiumq;, & quæ sunt id genus, delicatior ac sumptuosior cura, & ea propter adijcit tanquam diuersum dicens: Si autem etiam libidinũ intemperãtia accesserit, duplex malum est. R. Vilis (deinde) Popularis, de grege, & de minoribus. Lau, Imò frequentiùs usitatiusq;, quod Cicero non modò usurpat, sed nonnullis in locis explanat, qui potens in populo, & charus est plebi, quales Pompeius Cæsarq; ante bellum ciuile, & alij multi, & hodiè, & ubiq; huiusmodi sunt. Rau. Vernilis animo, & minuti animi. unde & Seneca dicitur q; habuit eloquẽtiam uernaculã. Lau. Imò uernilis est seruilis, à Verna quod est seruus, & Vernaculam dicit A. Gellius, uel seruilem, uel plebeiam linguam, qua tanquam communi ac naturali omnes uulgò utuntur. Vernaculum enim dicitur, quod domesticum, & nostri loci est, ut in elegãtijs diximus. Cicero in Verrem actio. secunda. Non ut solemus interdũ in defensionibus dicere, crimẽ domesticũ ac uernaculum. Rau. Vteriùs secundùm communem usum loquendi tantum ualet, sicut Insuper & sicut Quin, & sicut Cæterum, & sicut Extra hæc. Lau. Vt ita sit Raudensis, quod longè est secus, tantum'ne etiam uelit

lebit, sicut Quantum Insuper, quantum quin, quantum
cæterum, quantum extra hæc, sed (ut dixi) hæc nõ tan
tundem ualent, quãtum Vlteriùs. Rau. Vltra præ-
ter modũ diligit, id est ultra: Ille citra mare, ille præ-
ter erat: Erant enim præter quadraginta, id est ul-
tra, item præter cæteros, boni et honesti sectator. L.
Consule aures tuas Raudensis, etiã uel ipse iudica,
an elegans purusq; sermo sit, Præter mare, & Præ-
ter quadraginta, id est, ultra. quod si rectũ putas, af
ferre aliorũ testimonium, nõ tua confingere, pro alie
nisq; afferre debes. ego nescio an illa præpositione uti
liceat in hunc sensum, quoties ad locũ refertur, uel ad
tempus. Vtrùm acutiùs dicitur istud quod tu, an hoc
quod ego annotaui? Perinde accipi pro Peræquè, ut
Plinius: Funus Verginij Ruffi clari, etiam magni
uiri, & périnde felicis, id est, ita felicis ut clari. Cice-
ro lib. 1 de finibus: Eas artes persequeretur, uiuendi
artem tantam tamq; operosam, & perinde fructuosam
relinqueret. Rau. Vnus (deinde) Cicero ait, Vnas a-
te literas accepi. Terentius ait, Vnis domibus, id est,
una domo. Lau. In unis ædibus, inquit Terẽtius, non
in unis domibus. alioquin in nominibus, quæ singulari
carẽt, necesse est nos sic loqui, ut latiùs dixi in Elegan
tijs. R. Voco (in fine) cio cis, & cieo cies. Lau. Duo
hæc pro eo, quod est Voco, Raudensis accipit, quum
secundum significet idem quod Moueo, ut Cicero de
republica, Motu cietur interiore, & suo, deinde ci-
tus, id est uelox, & concitus, commotus, & percitus in
malum, ueluti in furorem, iracũdiam ue motus, & fre-
quentatiuum Concito, incito, suscito. Rau. Voluntas
(deinde) Auspicijs meis, id est uolũtate. Lau. Imò du
ctu, & sub fortuna mea, quia dux belli auspicia accipe
re

re solet. Raud. Dicimus Volutas, sicuti Voluntas.
Lau. Quid absurdius, quàm rem incredibilem sine au
thoritate proferre? quum omnia huius loci præcepta
authoritate nitantur, quis unquam Volutas scriptum
reliquit? quale est etiam quod sequitur. Rau. Vsque-
quò (deinde) Ad quo potero, id est, quò ad. La. Quis
istud dixit bone Raudensis? Rau. Vsurarius (dein
de) Quadruplator, est usurarius. Lau. Imò qui accu
sationibus ac delationibus quartam partem bonorum
damnati expectat. Rau. Sed tamẽ amoto quæramus
seria ludo, id est utilia. Lau. Imò grauia, & non ioco
sa Horatius intelligit, cuius hic uersus est. Raud.
Vtor (deinde) Curabo obsoleta calcare uestigia, id est
dissueta. Lau. Cuius sunt ista uerba? cur nõ nominas
authorem? ut possimus sensum uerborum sententiæ co-
gnoscere? obsoletũ apellamus sordidũ, unde apud Ho
ratium: Caret obsoleti sordibus tecti. & apud Hie-
ronymum: Viri uox obsoletior, q̃ fœminæ. Cicero ta
men pro desueta posuit, nõ (ut ais) dissueta, ut in Pom
peiana: Obsoleuit ista oratio, re multò magis, q̃ uer-
bis refutata, & pro Quintio: Audacem, cupidum, per-
fidiosum, uulgaria & obsoleta sunt. iterũ pro eodem:
His moribus obsoleuit, id est inueterauit. & qa quod
ueterascit, quasi sordescit, siue in nihilum recidit, ideo
pro hoc quoq; accipitur, quale fuit primũ exemplum,
& eiusdem pro Cælio: Verùm genera uirtutis non so
lùm in moribus nostris, sed uix iam in libris reperiun
tur. chartæ quoq;, quæ illam priscam seueritatem con
tinebãt, obsoleuerunt. et alibi in eundem: Non uult po
pulus Romanus obsoletis criminibus accusari Ver-
rem, noua postulat, inaudita desiderat. Rau. In logi-
ca detriti sumus, id est usi. Lau. Aptiùs exponere po
teras

teras, quanquàm tu teipsum exponis, & author pariter, & glossatores. Quod ita in logica sumus exercitati, ut gladius exercitatus, & ipso nimio usu comminutus est. & apud eundē Hieronymum dicitur, Pestuus erat limen magistrorum, cùm usum & audiendi exercitationē significat. Rau. Perfuncta satis sum his, id est usa. Lau. Imò finē utendi fungendiq; feci, ut Cicero, Perfuncta hoc misero fataliq; bello respublica: & hoc in malum, sed frequentiùs in bonū, sicut Defunctus in bonum et malum, quod uidelicet finit uitam, Defunctus morte, uel periculis, uel laboribus, quod iam imposuit semel finem his malis. exempla discentibus inquirenda relinquimus. Rau. Vtrinq; (in fine) utrò, citroq; res malè est, id est, hinc indè. Lau. Non uterer hoc ego genere sermonis. Vltro enim Citroq; significat reciprocam quandam itionem, aut reciprocum respectū, quod de re utrobiq; malè gesta dici non potest. Vtrobiq; dixi, non ut Raudensis, Hinc indè. R. Vua præcoqua, uel præcox, id est præmatura. Lau. Præcoqua est, quæ ante alias uuas matura est: præmatura, quæ ante maturitatem legitur: ut in Elegātijs latiùs. Rau. Racemus dicitur unum granum, uel acinus, uel granellū, quod in racemo est. Lau. Imò racemus illa (ut sic dicam) testa uuarum, plurima grana continēs: Acinus uerò est id quod Raudensis appellat racemum: Vinaceum autem, quod idem acinum uocat. nam arillum, granellum Raudensia sunt, & nō Latina uocabula.

FINIS.

IN-

INDEX DICTIONVM IN HIS Elegantijs compræhensarum copiosissimus.

A 281
Ab 162
abactores 511
abaculi 570
abdicare 487
abfore 82
abigeatus 511
abigei 510
abigere ibidem
abhorreo 486
ablatiuus modi 129
abs 162
abstinentia 342
abusus definentia declinationis secundæ nomina 13
ac 197
accedit 264
accedo dupliciter regit & significat 308
accepi molestiam, cladem, & cætera 287
acceptus sum in conuiuium 502
acceptus sum miseris modis ibidem
acceptilatio 486
accerso 76
aceruus 350
accessio 308
accessio febris 507
accessus 308
acicula 18
acinus 330
acus 18
acipenser 94. 281
accipere 287. 503
accipere literas 287
accipio excusationem 287
accola 355
accusare 508
accusatorius 26
accusator 315
accusationem HIERONYMI quod Ciceronianus foret refutat Valla 298
accusatiui natura 238
acta 312 actio 308. 313
actio caussarum 309
actor 332
actum est 486
actus 308
adamare 437
addicere 44
addicti 426
addictus morti 426
ad diem adesse 371
adeò 183

ad hoc 127
adiectiuum ubi collocandum 245
adiicio 264
aditum munire 423
aditum iacere ibid.
admoueo 480
adorare 414
adsum 449
ad summam 515
ad summum ibid.
ad tempus 396
aduentare 413
aduerbia à pronominibus deriuata 126
aduerbium disiunctiuum quid momẽti habeat. 245
aduersor 472
aduersus 130.480
aduerto 480
adulari 463
adulterium 556
adultus 98
aduocatus 314
aduotum 468
ædicula 20
ædes 221
ædificare 221
ædilis 375.227
ædilicius ibid.
æditui 221
ægrescit 72
æquabilis 524.388
æqualis ibid.
ærarium 24
æstimo 420
affatim 514
affectatio 369
affectio ibid.
affecto 370
affectus 369.435
afficio te iniuria 290
affore 82
ἀγαθὸς 71
agè 138
agedum ibid.
ager 356.544
ager cretaceus 36
ager restibulus 549
agere 566
agere delectum 459
agere gratias 441
age uerò 153
aggregare 264
agitè 138
age certiorem 256
ago grates 442
ago gratiam 440
ago tibi gratum 286
alba 376
albani, Albenses ibid.
aleator 27
ali 446
aliâs 189
alioqui 189
aliquantisper 187
aliquanto 14
aliquis 279
aliter 54
alius 54.278
alius & alius de duobus 277
alleuo 473
alludere 318
alter 276
alter alteri 252
alter alterum accusat. ibid.
alter pro duobus 277
altilia 30
altivs 30

aluearium 24
alueum munire 423
alumnus 490
amandus 100
amare 437
amare inuicem mutuo, &c. 285
amatorium 27
ambitio 323
ambitiosus 323
ambitus ibid.
ambulo 471
amica 437
amicus ibid.
amiculum 19
amor 358
amoueo 480
an 138
anacreon poëta uinaceo grano suffocatus 37
an datur uerbis subiunctiuis dubitationis, & inscientiæ 138
an ne 142
andromeda 409
anima 272
animaduerto 283
animans 100
animosus 67
anniculus 18
anniuersarius 393
annona 336
annuatim 581
annuus 392
ante diem 371
ante & post 52
antehac 194
ante lucem 371
ante tenebras ibid.
antiqui 310
antoniaster 23
aper 348
apertilis 30
apertum ibid.
apiastrum 23
apicula 21
apparatus 462
apparo 462
appellationis uerba 295
appendo 473
appetitus 410
appeto ibid.
apud te 571
aquatilis 31
aquosus 67
aratio 309
arbor 329
arceo 510
arcesco 76
architriclinus 335
arcta mulier 540
area 356
ἄρρητος 71
arenaceus 36
argentaria 347
argentarius ibid.
argillaceus 36
argutus 96
argutulus 23
arma 217
armamentarium 24
armarium ibid.
armenta 343
armentarius 344
armiger 491
arra 576
arrobo ibid.
arundinaceus 36
arundinaceus furculus 10
aruum 356.547
ascisсere 478

ascribo 264
ascriptitius 36
asinus 342
assectari 471
assentari 463
asseuero 478
assidere 408
assumo 497
assurgo 415
ast 135
aster 520
astron ibid.
at 153
at certè ibid.
atq; 198
atq; id ibid.
attramentarium 24
attamen 153
at uerò 155
auctio 335
auctionari ibid.
auctus ibid.
audiendus 427
audiens sum tibi 261
audio 261
audire habeo 427
auditorium 27
auersor 472
auersus 480
auerto ibid.
auis 347
aula 336
auricula 20
aurifex 346
auris 18
ausculto te & tibi 261
auspex 491
auspicari ibid.
auspicium ibid.
aut 138
aut datur uerbis opinionis cum indicatiuo 154
autem 153. 154
autem non 153
author 332
authoramentum 334
authorare ibid.
authores pupilli uocantur 334
authoritas ibid.
auunculus 18
auxilium do ferò; 281
axilla 19

B

Bacca 330
bacillum 20
baculus ibid.
barba 509
barbæ ibid.
beatus 397
bellum 359
benè 191. 292
bene cum aliquo agi quid sit 486
benedico 35
benedicus ibid.
beneficiarius 26
beneficentia 386
beneficus 35
bene & malè cum uerbis 292
bene habeo 285
bene habet 286
bergomenses 376
bergomum ibid.
betaceus 36
biduo 166
bimus 18

bimulus 18
binoctio 166
binus 214
bis centum 211
bis mille ibid.
blandior 463
boëtij error 30
bombarda 169
bonitas 107. 38
bonum ibid.
bos 343
bractea 366
breuiter 516
bubulus 342
bucca, buccæ. 352
burdo 342

C

CAballus 342
cædicula 20
cædo te 263
cælo 264
cæsim 515
cæterum 153
calamarium 24
calcaria 26
calcarium ibid.
calculi 570
calumnia 562
calumniari ibid.
calumniator ibid.
camelus 342
campania 376
camparius 25
campsores 347
campus 356
candeo 506
canis 341
caper 343
capesso 77
capio 493
capio duas habet proprietates 494
capio spem 288
capitalis 393
capra 343
caprarius 25. 68
cardo 583
carere 477
caritas 358
carnarium 25
carnosus 165
caro 365
carpere 501
carptim 615
castanea 330
castellum 324
castra 324
castrense peculium 342
catamiti 394
catellus 363
catulus ibid.
cateruatim 515
cauillari 562
cauillatio ibid.
caupona 347
caussa mea, possessiuè 110
caussa mei, passiuè ibid.
caussari 464
causidicus 35
cautus 96
cedo tibi 263
celebris 383
censor 375
censorius ibid.
centuriæ 530
centurio ibid.
cerasum 330
cerebrosus 71
certamen 359

certè 138.161
certò 158
certò scio 161
certum est 424
ceruix 336
ceu 173.175
charitas 358.44
Χαίρειν 527
cibaria 25
cicercula 18
cicum 345
cicur ibid.
cicurare 345
cilium 352
cimbri 413
circiter 130
circunscriptio 506
circunsisto 447
circunsto ibid.
circunspectus 96
citare 493
citra 188
ciuis 374
ciuitas ibid.
clarus 380
classiarius 25
cliens 359.315
cliuus 345
coctilis 30
codicilli 218
cœlebs 390
cœlibatus 390
cœnaculum 19.327
cœnatio ibid.
cœnaturio 77
cogito 420
coingenui 291.6
colendus 100
colliberti 306
collibertini ibid.
collis 345
collum 336
colluuies 583
comenses 376
comes 338
comis ibid.
comicus 333
comitari 471
commeatus 336.223
commendo 263
commentarium 325
commentum 325
commigro 482
commilitones 338
commiles ibid.
committo 274
committo ut 167
commodatarius 26
comœdus 333
commune 264
communio gerundij & nominis 295
comum 359.5
comparatiua & superlatiua regunt accusatiuũ. 133
comparatiui à superlatiuo differentia 40
comparatiui natura 37
comparatiui quædam proprietas 66
comparatiui resolutio 38
compareo 450
comparo 264
comperendinare 166
comperi 422
compertum est ibid.
complacitus 96
complodo 411
complura 380
compos 257

composita à somnus 66
composita à fio 74
composita à facio 35
composita à quando ibid.
con præpositio 568
concedo tibi 253
conchilium 587
conciliamus amorem 452
concio 348
conciuis 373
conclaue 335
condicere 361
condictio ibid.
condiscipulus 338
conditio 361.344.25
conducit 260
conductitius 36
confector 568
confero 257.264
conficio 568
confido 447
conflare æs alienum 481
confluens 100
confore 82
coniecto 288
coniecturam capio ibid.
coniecturam facio ibid.
coniecturo ibid.
coniuratio 421
coniuro ibid.
coniũctio disiunctiua quid momenti habeat 245
coniunctiui modi præteritũ à futuro quõ differat. 249
conniueo 353
conscisco 478
confessio 309
confessus ibid.
consideratus 96
consolatio 368
consolari ibid.
consonans 100
conspicuus 30
conspirare 421
conspiratio ibid.
consternari 480
consternere ibid.
constitui 422
constitutum est ibid.
consuetudo 406
consul 375
consularis ibid.
consulo te 439
consulo tibi ibid.
consulto ibid.
consultor 439
consultus ibid.
contendere 498
contentio ibid.
contentus 96.499
conterraneus 373
continens 100
continenter 499
continentia 342
continuò 163
continuo cũ nõ & ne. ibid.
contraxi æs alienum 481
contraxi molestiam 496
contumeliosus 67
conturbo 582
conuenio 287
conuenire habeo 484
conuenit 287
conuenticulum 20
conuentio 309
conuentus ibid.
conuersatio 406
conuitium 567
conuiuere 501
coopto 459

cõpia 360
copiæ ibid.
copiam dare ibid.
copiam facere 286
copia mea, & mei 107
cordi est 421
corporalis 385
corporeus 384
corpulentus 365
corpus 365
corpus meritorium 394
coxa 357
crapula 453
crapulari ibid.
cras 166
crastinus 167
crebresco 73
crepatio 14
crepitaculum 19.331
crepitus 331
crepusculum 19
creraceus 36
crimen 357
crudum 399
crudus ibid.
crudus homo ibid.
cubatio 14
cubiculum 19
cubile ibid.
cuia 208
cuias 125
cuiusq; 208
culcitra 558
culpa 311
cum præpositio 128
cumæ 176
cumani ibid.
cùm 178
cùm pro quamnis ibid.
cunctus 48
cuniculus 18
cur ablatiuos fœminini generis Refert & Interest regant 119
cura 67
curiosus ibid.
curriculum 19
cursim 514
cursus 499
custodia 367

D

DAmnãdi uerba quibus casibus construantur. 254
dapes 328
dare potestatem 322
de 281
dea 17
de abusione pluralis pro singulari, & de reditu parenthesis 224
de affinitate genitiui & ablatiui 234
deambulatorium 27
debellare 460
decedo 482
decet 260
declamator 372
declaro 438
decor 316
decoro 217
decreui 422
decretum est ibid.
decuriæ 530
decurio ibid.
decurio municipalis ibid.
decurio Romanus ibid.
decus 317

dedecoro 317
dedecus ibid.
dediscо 402
dedititius 36
dedoceo 402
deduco 471
defatigatus 385
defatigor ibid.
defectio 311
defectus 98.311
defendo 522
defensorius 26
defero 445
defessus 385
deficio 311
defore 82
defungor 445
dehisco 417
deinceps 194
δεικάρχ 531
delectum agere 459
deliberare 423
deliciæ uelum 218
deligere 459
demereor 485
demigro 482
demum cum cõpositis. 517
dena 217
denique 517
deorsum uersus 130
depectus 584
depeculor 544
depositarius 26
depositorius ibid.
deprecor 521
descendo 436
desciscere 478
deses 462
desideo ibid.
desideratiua 76
desideratiua in so ibid.
desipio 404
desipisco ibid.
despicio 454
detulit 446
deturbare 479.582
deuenio 454
deuoluo ibid.
διακόρευσις 556
dicacitas 413
dicax ibid.
dicere 412
dicere oportet 239
dico lêges 447
dico sententiam ibid.
dictio 412
dictito ibid.
dicto ibid.
dictum 413
die bima trima. &c. 371
diecula ibid. dies ibid.
differentia inter Quidã & Aliquis 219.11
diligere 437
diluculum 371
diminutiua ab er 22
diminutiua adulationi apta 19
diminutiua in aster 23
diminutiua in ellus ibid.
diminutiua in illus ibid.
diminutiua in olus 23
diminutiua in ulus 18
dimitto 263
discedo 482
discere 402
discretus 70
disertus 96
dispicio 454
dispicientia ibid.

displiceo 480
dissimulatim 514
dissoluo 481
dissuadere 430
distributiua quomodo exponantur 214
disturbare 479
diu 171
diua 13
diuersorium 373
diurnus 391
diutinus ibid.
diuturnus ibid.
do tibi & ad te literas. 257
do auxilium 281
do fidem 417
docilis 123
docibilis ibid.
doleti in Vallam iniusta calumnia 197
dolet quomodo utamur 235
domatio 14
domesticatim 515
domi & in domo idem sunt 231
domi genitiuus cum quibus pronominibus iungatur 230
domina 13
domitor 14
domus 280
domus meæ, imperium teneo ibid.
donaria 25
donec 187
dono te 261
dono tibi ibid.
donum 541
domitorium 27
ductilis 31
ducor in spem 289
dudum 168
dum 187
dumetum 27
duntaxat 180
dux 338

E

Eabus 410
ea pietate 13
eatenus 290
ecce 181
ἐκκλησία 136
eccum eccam, &c. 348
edicere 136
edictum 466
ediscere ibid.
effigies 402
effingere 441
efflagito ibid.
eheu 457
eiulare 132
elabi 451
elapsus 458
elephantus ibid.
elephas 345
eleuo ibid.
eligere 473
elogium 459
ellum 361
emereor 136
emerita 485
emeritus ibid.
emigro ibid.
en 482
enimuerò 138
eo magis 155
ἐπιβόλη 53
epicurus 34
epistola 113
epulæ 221
epulum 218.328
equa ibid.
eques 13
è re mea, tua, sua 531
errabundus 419
è rebus laborabat 34
è regione 420
è republica 419
eripio ibid.
ergóne 474
ergo 142
erritans 182
esca ibid.
escarium uas 334
esse cum casibus 24
esurio 243
et 72.77
et certe 197
et hoc 161
et id 127
et, ne, nec confunduntur ibid.
etiam affirmat 185.15
et pro etiam non esse Ciceronis 189
et sanè 199
etsi 161
etymologia fallax est 148
euentus 325
euidens 28
euoluere libros 98
ex 551
exanimatus 281
exauthoro 525
exaudio 583
excandescere 427
excedere è uita 506
excogitare 483
excretus 420. 403
excubiæ 97
excusare 393
exemplar 464
exemplum 532
exemplum & exemplar indistincté licet uti ibid.
exemplarium 534
ex quor iussa 467
ex æquo pugnare 420
exercitorius 76
exhæredare 420
exhibeo negocium 487
exhorreo 479
exigere 486
eximius 423
existimatio 139
existimo 291
existit 420
exitialis 451
exitiabilis 524
exoletus ibid.
exoro 97
expendo 426
expeto 473
explicit & expliciunt 510
explodo 260
exploratores 411
exploro 423
expostulo ibid.
exprobrare beneficiũ 456
exprobro 552
expugnare ibid.
ex sententia habere 460
exsomnis 468
extant libri 65
extat 452

ex tempore dicere 420
extemporalis ibid.
exturbare 479
ex uinculis causſam dicere 420
ex uſu 419
ex utilitate ibid.

F

FAbrica 346
faceſſere negociũ. 479
faceſſo 76
facies 315
facile 62
facile cum ſuperlatiuo. ibi.
facile ſecundus ibid.
à facio compoſita 35
facio certiorem 286
facio moleſtiam ibid.
facio injuriam 296
facio ludos ibid.
facio poteſtatem 322
facio ſermonem 484
facio tibi gratum 286
facio ut 167
factio 359
factioſus 67
factor 333
falſus 96
fallit me 288
fama 311
fama pro laude ibid.
famoſus 70
faſces 350
faſtidioſus 67
faſtidium meum & mei 112
fatigatus 385
fatua 397
fatuus ibid.
felicitas 397
felix 377
feræ 342
ferè 187
fero 566
fero tibi acceptum ibid.
fero lẽges 447
fero ſententiam ibid.
fero conditionem 362
fero auxilium, opem 281
ferox 384
ferus ibid.
ferri 566
ferrumen 578
ferruminatio ibid.
ferrumino ibid.
ferulaceus 36
feſſus 385
feſtiuus 381
feſtus ibid.
fictilis 31
fictitia ratio 37
ficulnea 24.17
ficulnus 17.27
ficus morbus 17.15.8
ficus genus & declinatio ibidem
ficus pro arbore ſæpius quartæ declinationis eſt ibidem
fideicommiſſarius 26
fideiuſſorius ibid.
fides pro chorda 20
fides 44.430
fidicula 20
filia 13
filius 284
filiaſter 22
filiaſtra 23
fingere 444
fiſcina

fiſcina 252
fiſſilis 31
flagella 559
flagellare ibid.
flagitium 357
flagito 455
flere 450
flexilis 30
fluuiatilis 31
fluxus 96
fœmina 357
fœminalia ibid.
fœmora ibid.
fœmoralia ibid.
fœneratitius 36
fœnero 423
fœneror ibid.
fœnus 357
fœtificare 364
fœtura ibid.
fœtuoſus 72
fœtus 363
folia ibid.
fore 81
fore cum nomine, non cum participio iungi debet. 81
formidoloſus 69
frango 287
fratres de obſeruantia. 310
frauduloſus 67
fremitus 331
frequens 383
frequentia 384
fretus 405
fricatio 14
frondes 363
fructuarius 26.68
fruges 329
fruitio 405
fruor ibid.
frutex 329
fruticari ibid.
fuga 560
fuluiaſter 22
fundamenta iacere 548
fundamentare ibid.
fundare ibid.
fundamentum ibid.
fundus 544
fundum 547
fungor 405
fungor uita ibid.
furibundus 31
fuſtigare 559
fuſtuarium 25
futilis 31
futio ibid.

G

GAlli 409
gaudere 507
gaudium ibid.
gemma 585
geminatio coniunctionis Et 197
gemo 450
gena 352
generatim 514
genita 13
genitiui & ablatiui affinitas 234
genitiuorũ ſignificatio. 106
genitor 284
genitrix ibid.
gentes 360
genuino rodere 352
genuinus 353
germiculum 19
gerundia 82

gerundia à participijs differunt. 83
gerundij casus cum quibus præpositionibus 86
gerundium an recto careat 84
gerundium cũ relatiuo 87
gerundiorum significatio 89
gesta 312
gestio 308
gestus ibid.
gladiatorium munus 319
glans 330
glorioſus 70
gradum facere 423
gradum iacere ibid.
gratificor 471
grator 442
gratulari ibid.
gratum facere 471
gratus 379
grauis 502
grauidus ibid.
gregatim 515
gremium 337
gremium terræ ibid.
grex 343
gurgulio 587

H

HAbeo à patre mandatum 79
habeo audire 484
habeo conuenire ibid.
habeo cum gerundijs 83
habeo delectum 460
habeo fidem 417
habeo gratias 441
habeo in animo 79
habeo iter 468
habeo orationem 484
habeo polliceri ibid.
habitaculum 19
habeo ſermonem ibid.
habeo te excuſatum 464
habeo pro debeo 84
haud auſpicato 492
hei 132
hem 135
herba 350
herbaceus 36
heri 166
heſternus 167
heu 132
heuheu ibid.
hiare 417
hic 126.127
hic non eſt cum illo comparandus 285
hieronymus ante tribunal Dei 298
hieronymus notatus à Valla 409
hinnulus 342. 363
hiſcere 417
hiſtrio 312
hoc magis 53
hoc nomine 188
holitor 26
holitorius ibid.
holus ibid.
homulus 23
homunculus ibid.
honorificentiſſimus 98
honorificus 34
honorificens ibid.

horrearius 25
horti 26
horti penſiles 27
hortulanus 26
hortus 223
hoſpes 372
hoſpitales homines 373
hoſpitium 372
huc 196
hypotheca 576

I

IAculari 500
iaculum ibid.
iam 186
iamiam ibid.
iamdiu 171
iamdudum 168
iamolim 170.171
iampridem 168
iamuero 154
ianua 312
id ætatis 235
idem 127
idem ab is in uſu diſſidet 137
identidem 189
idq; 199
id quod cum alio antecedẽte 279
igitur 182
ignominioſa miſſio 583
ignorans 382
ignoranter ibidem 25
ignotus 96
illaboratum 458
ille pro is utuntur poëtæ 127
ille 126
illuc 196
immigrare 482
impartio 434
impartior ibid.
impendeo 473
impendo 264.434
imperata facio 460
imperioſus 70
impero mihi 466
imperatiuo deeſt prima perſona 249
impleo 254
imploro 451
impono 296
impoſtor ibid.
imprecari 483.521
improbrare 552
imprudens 382
imprudenter non dici ſed per imprudentiam ſiue ignorantiam ibid.
impugno 461
imputare beneficia 554
imputare 556
in & ad cum uerbis 258
in agendo 295
in animo eſt 421
in animo habeo 79
in annos ſingulos 580
in æs incîdo 236
incedo 471
inceſſit 264
inceſſus 472
inceſtus 557
incido in marmor 236
inciſum 505
inciſim ibid.
incola 355
inchoatiua uerba quid ſignificent 73

inchoatiua uerba 72
inconsideratus 96
inconsultus 440
incorporeus 384
increpare 331
incumbo 263
incusare 508
indicere 466
in diem 282
in dies ibid.
indoles 347
indulgentia 321
indulgentior facies 98
indulgere 321
industrius 70
in & Ad cum uarijs uerbis 257
inelaboratum 458
ineo gratiam, fœdus 452
inest 264
infenso 395
infensus 394
infestare ibid.
infestus ibid.
inficialis status ibid.
inficiari ibid.
inficias ire ibid.
inficiator 504
infidus 388
infinitiuus interiectus uel interpositus 240
infinitiuus ubi conuenit. 71
infinitiuus Græcis pro gerundio est 78
infra 192
ingeniosus 67
ingenuus 307
ingredior 438
ingredior in spem 273.30
ingurgito 453
inhibeo 405
in horam 282
in horas ibid.
i nire gratiam 452
initium 453
iniuriosus 67
in locum patris 293
in manibus est ibid.
in manu est ibid.
in mentem uenit 289
in morem 313
innocuus 511
innoxius ibid.
in præsens 395
in præsentiarum ibid.
in primis 284
inquilinus 355
in rem præsentem 396
insciens 382
inscienter ibid.
insignis 436
in singulos dies 282
in singulos menses ibid.
instar 512
instituta 313
institutiones 314
institutum ibid.
instratum 551
instruo 402
insomnis 66
in summa 515
intentio 498
inter actionem 295
inter agendum ibid.
intercedo 285
intercludo 467
interdico 259
interest 119.209
interest cum genitiuis 119
interim 188

interie-

interiectio non est Vallæ pars orationis 132
interrogatiões Platonis. 96
interrogatio & respõsio in diuersis casibus 205
interrogo 460
intersepio 467
interuerto 422
intrà 192
introcludo 467
intueor 284
inuenio 403
inuertere 422
inuestigo 446
inueteratus 97
inuicem 200
inuidia 68
inuidiosus ibid.
ioca pro iocos 317
iocari ibid.
iocularia 318
iocus 317
is 127
is demum 519
iste & ille differunt 126
iste pro hic ibid.
ita 193
ita affirmatiuè respondet 189
ita cum superlatiuo 51
itáne 142
ita pro ualde 193
itaque 192
iter facere 468
iter habere ibid.
item 189
itidem ibid
iterum 194
iterum consul 278
itinerare 468
iubere 466
iubendi uerba 249
iubilæum Iudæorum 49
iucundus 379
iudicij uerba 295
iugerum 28
iugulum petere 337
iugulare 336
iugulus ibid.
iugum 345
iuratus 97
ius 349
iuridicus 35
iurisconsultus 349.440
ius canonicũ Gothicè scriptum 205
ius ciuile 349
ius naturale ibid.
iussu tuo 27
iustinianus literas non nouit 538
iustini error 52
iutor 14
iuuat 260
iuuenta 341
iuuentus ibid.

k

Κεράτων 75
κράτιςον 381
κατάχρησις 500
καθῆκον 33
καθότι 80
κολυβίσαι 347

L

LAbasco 458
labo labas 457
labor laberis ibid.

Iabor laboris 458
Laborioſus 69
Laboro 458
Iacertoſus 67
Iaceſſo 416
Iactantius VALLAE peccauit 46
Iætari 507
Iætabundus 33
Iætus 507
Ialiſio 342
Iamentari 451
Iamina 366
Ianiſta 320
Iapſus 385
Iapidare 500
Iapillus 585
Iaſſus 385
Iatebra pro excuſatiõe 370
Iatebræ ibid.
Iateritius 37
Iatibula ibid.
Iauatio 14
Iauator ibid.
Iauo ibid.
Iaxus 385
Iectiſternia 25
Iegatarius 26
Ieges 349
Iego 427
Iectitans 34
Ienticula 18
Ieuis 504
Ieuo 472
Liber 550
Liberè loqui 305.5
Liberi 218.222
Liberta 13
Libertas 321
Libertinitas 307
Libertini 305
Libertinus ibid.
Libertus ibid.
Libidinoſus 67
Libra 226
Licentia 321
Liceor 424
Licet 148
Licitor 424
Lictor 27. 26
Lictorius 28
Lintearius 25
Litera 220
Literæ ibid.
Littus 337
Loco patris 293
Locus 544
Longè cum comparatiuo. 61
Longè cũ ſuperlatiuo. ibid.
Lotio 14
Lotium ibid.
Lotor ibid.
Lubricus 387
Luce 370
Luci ibid.
Lucrum 226
Luculentus 380
Lucus 356
Luctuoſus 70
Luctus 358
Ludere 318
Ludibundus 32
Ludicrum 15
Ludicra ibid.
à ludo compoſita 318
Ludus ibid.
Ludus differt à Luſu 319
Ludus gladiatorius 320
Ludus ſchola dicitur ibid.
Ludus talarius ibid.

Luſus 319
Lues 365
Lupus 343

M

MAcellum 336
maceror 73
macesco ibid.
macreſco ibid.
macrobius à Valla notatus 42
magis 37
magiſter 340
magiſtra ibid.
magiſtratus officium 332
magnificentiſſimus 98
magnificus 34
magnificens ibid.
magni intereſt 209
magniloquens 34
magniloquus 35
maiores 573
maior 42
mala malæ 352
malè 191.292
malè audio 292
malè cogito ibid.
malè de te ſentio ibid.
malè dico 292
maledictum 567
maledicus 35
maleficus 35
mâlum 545
malleolus 329
maluaceus 36
mancipium 434
mandare 466
maneo 481
maneo te ibid.
mango 580
manipulatim 515
manumiſſio 434
margarita 584
marinus 552
maritimus ibid.
mater 284.340
materia ibid.
maturè 391
matureſco ibid.
maturo ibid.
maturrimꝰ Cicero dixit ibi.
maturus ibid.
matutinus ibid.
maxilla 352
mea 208
mea poſſeſſiuè 110
me cum infinitiuo 135
meditatiua uerba 77
mei, tui, ſui paſſiuè capiuntur 110
mei, tui, ſui primitiua ſubſtantiua reſpuunt 106
membratim 515
mẽme geminatur 125
memini 125
memini pro mentionem facio ibid.
memoria teneo 295
memoriter ibid.
menda 311. meno 275
mens ibid.
menſarij 547
menta 275
mentio ibid.
mentior ibid.
mentum ibid.
mentula 20
meo iure 497
meo nomine 188

mereo 393
mereor 485
mereor bene uel malè de te ibid.
meretrices 393
meritoria taberna ibid.
messis 329
meticulosus 67
metuo 247
meus, tuus, suus respuunt genitiuos substantiuorum 108
migrare 482
mihi 271
miles 531
mille 210
mille denariûm ibid.
milia 210
milia pro semine ibid.
milia pro miliario ibid.
mimi 333
mimus 332
minimè 63
minimum ibid.
ministerium 350
minores 573
minoris 205
minus 40.38
mirari se 481
mirificus 34
mirificissimus ibid.
misertum est 265
mœnia 312
molestare 504
molestia 504
molle opus 398
mollis homo ibid.
momentum 549
monstruosus 68
montuosus 67
monumenta 366
moratus 388
mores 313
moribundus 31
morigeratus 388
morigeror ibid.
morigerus ibid.
moror te 481
morosus 71
mula 13
mulier 540
mulierosus 67
mulus 342
multò & longè 72
multò cũ superlatiuo ibid.
munerarius 26
municeps 374.541
municipatim 515
munimenta 366
munificus 34
munificens ibid.
munire uiam 468
munus 541
munus gladiatorium 319
murus 312
musculus 18
mutuo 200
mutuor mutuo 423
mutuus 200
mysterium 350

N

Nactus sum 403
Nænæ 525
Nævæ ibid.
nam 194
namq; ibid.
nam quòd ibid.
nata 13

natales 313
natalia ibid.
natalis ibid.
natalitius ibid.
natus 264.284
necne 140
ne 140.525
necatus 525
nec id 200
nectus 525
necubi 247
ne dicam 238
nedum 143
negationis usus 247
negare 505
negocium 358
nemora 356
nempe 158
nequaquam 247
neq; hoc 200
neq; id ibid.
neq; uerò 154
neruosus 68
ne uenias ibid.
neuter 252
neuter neutri ibid.
neu neutrum accusat ibid.
neutriquã & nequaquã. 247
neutro genere authores delectari 66
nihil ad te 294
nihil ad Persium ibid.
nihilominus 189
nimirum 158
nisi 147.251
ningit 260
nisi & 147
nobilis 436
nocentes 512
nocte 370
nomina in abus 13
nomina in arium 24
nomina in bundus 31
nomina in ceus, eius & itius 36
nomina in icus 34
nomina in orius 26
nomina in osus 67
nomina in tilis
nomina in filis 29
nomina in xilis
nominatim 615
nominatiuo pro uocatiuo ubi utimur, & contrà. 242
nominatiuo pro accusatiuo ubi utimur 242
non 189
non autem 154
non continuo statim 163
non modo 143
nonne 142
non placeo 480
non quia 175
non quòd ibid.
non solum 143
non scio 526
non tantum 143
non uolo 526
nostri 106
nostrum 115
nostras 125
notabilis 436
nouacula 18
nouale 549
noualis ibid.
nouissimo 190
nouissimus 255
nouitius 579
noxa 537
noxales actiones ibid.

noxæ dedere ibid.
nudius quartus 160
nudius secundus cur non dicatur 166
nudius tertius ibid.
nudius tertius dicimus. 160
num 191
numen 525
numeralia 213
nummularij 347
nunc 191
nuncium 510
nuncius ibid.
nundine uel nundinum. 218
nunquando 190
nuper 169
nuper idē quod pridem. 168
nuper nō modo menses, sed & annos cōplectitur 169
nuptiæ 218
nuspiam 247
nusquam ibid.
nutare 476
nutrire 446
nutritij ibid.
nutrix ibid.
nutus 525
nux 330

O

OVel prolata uel omissa 134
obedio 261
obeo 444
obiter 188
obruo 453
obseruantia 309
obseruatio ibid.
obseruo ibid.
obses 528
obtempero tibi 261
obuio tibi 287
obuius tibi fio, sum tibi &c ibid.
occupare 454
occupatio ibid.
occupatus ibid.
ocium 358
oculi lubrici 387
ocyus 38
odiosus 68
odium ibid.
odor 223
offendo 403
offensio 291
offero electionem 363
officia 331.351
officina 346
officium 331
oleaster 22
olim 172
olim iam ibid.
olus 223
omnis cū cōparatiuo 48
omnis cum positiuo ibid.
onager 342
opem do 281
opera, æ 367
operæprecium 368
operosus 69
opinio 291
oportuit factum 270
oppetere 445
oppidatim 515
oppidum 325
oppignero 576
opprobrium 552
optionem dare 459
opus 367

opus agere ibid.
oratio 539
orator 372
orbitas 390
orbus ibid.
ordeaceus 36
ordo 316
oriundus 274
oro 427
orphanus 335.390
ortus 274
os 352
ostendo cū alijs uerbis. 469
ouis 343

P

PAbulum 354
pacatus sum 469
pacificatus sum ibid.
pædor 523
pallace 560
palliati 557
pallium ibid.
pampinarium 25
pannosus 72
parasitaster 22
parasitus 351
par 469
parem esse ibid.
parens 284
parentalia 328
parentare ibid.
parenthesis 290
paria facere 469
paries 312
pariter 166
parit mulier filium 414
pars mea & mei 106
partio 434
partior 264
particeps ibid.
participia in ens in substantiuum transeuntia 100
participij compendium 99
participium futuri temporis in nomē migrans. ibid.
participium persentis significat passionem 95
participium præsentis temporis pro præterito ponitur 99
participium præteriti significat actionem 96
parturio 77
parui refert 209
parumper 187
pasco 354
pascor ibid.
pastio ibid.
pastus ibid.
passim 513
pater 284
patres 573
patrocinari 315
patrocinium ibid.
patronus 314
πάθος 369
paulisper 187
paulo 53
pecora 242
Pecudes ibid.
Peculatus 543
peculiaris ibid.
peculium 542
pecunia ibid.
pediculus, pedunculus 18
pedissequus 35
peius 191
pellex. 560

Pello 559
Pellucidum siue perlucidum 431
penarium 336
pĕdeo & hinc cõposita. 473
penes te 571
penetrabilis 523
penetralis ibid.
penetro 577
pennarium 24.336
pensilis 30
penuria 358
penus 336.575
per 280
à per composita 427
peragere reum 428
perago iussa 460
perceptibilis 524
percontor 460
per & quàm 60
perditus 431
peregrinus 372
perendiè 166
perendinus ibid.
perferre 428
perfidus 388
perfluere 432
perfuga 431
perfunctus 445
pergamenæ 376
pergameni ibid.
pergamum ibid.
perinde 189
perinde cũ negatione. ibid.
perinde pro ualde ibid.
periodus 505
percitus 431.
periurus ibid.
perlego 427
permissu tuo 28
permaneo 427.431
per meipsum teipsum 280
permisi mihi 460
pernoctare 428
pernox ibid.
peroratio 428
peroro ibid.
perpendere 473
perpessus 431
perpluo 432
perpulcher 60
perquam ibid.
perscribere 428
persequor 433
persona 534
perspicuum 431
persuadere 428
persuasio 429
Pertinax 430. 431
perturbare 581
perturbatio ibid.
peruenire 454
peruersus 430.431
peruestigo 446
peruigilare 428
peruigil draco ibid.
pessimè 191
pestis 365
petere iugulum 337
peto 455
petitorius 26
petrarchæ ignorantia 118
petulans 389
petulantia ibid.
φάρμακον 310
φημὶ 311
philosophaster 18
pigere 265
pigneratius 36
pignero 576

pignus ibid.
pinaster 22
πίστις 430
placatus sum 469
placeo mihi 480
plagiaria lex 106
plangere 451
plantarium 25
plantæ ibid.
plenus 254
plericq; 380
plericq; omnes 381
plerunq; 380
plicatilis 31
plorare 451
pluit 260
plumbatura 578
plura 380
pluralis pro singulari abusio 224
pluris 205
plusculus 19
pluuiatilis 31
poëta 333
pœnitere 265
πονηρὸς 333
pollicitor 424
pomarium 24
pomeridianum ibid.
pomœrium 24.27
pompa 341
pomum 330
pondo 226
pono conditionem 361
populabundus 34
populitans ibid.
populnus 17
porcus 343
porrò 154
porta 312
portari 566
portitor 27
portitorium ibid.
posco 455
possessio 545
possum 58
posteri 573
posteriores ibid.
posthac 194
postremus 253
postridie 132.166
post quando deest in oratione 272
postulo 455
potator 14
potestas mea & mei 111
potio 14.310
Potior 256
potitus 257
potissimum 527
poto 14
potor ibid.
potorium uas 26
Potus 14.310
præ & per quid differãt. 431
præcepta 313
præceptiones ibid.
præcipere 466
præclarus 380
præclare ibid.
præcocia 391
præcoquus 433
præcox 391.433
prædabundus 32
prædia 545
præditus 435
præfero 418
prægnans 100
prælium 359
prælongus 432

præmaturus 391
præ me duco, gero 418
præparare 461
præripio 474
præ se ferre 417
præsens 395
præsentaneum 396
præses 462
præsideo ibid.
præsidium ibid.
præstans 396
præstatio 14
præstare 511
præsto sum 449
præsul 463
præsum 462
præsumptuosus 497
præterquàm 272
prætor 375. 26
prætorius ibid.
præuaricari 563
præuaricator ibid.
prauum 545
precor 483
pridem & nuper idem. 169
pridianus 167
pridie 132. 166
pridem 168
prima die 370
prima luce ibid.
prima nocte ibid.
primipilaris 376
primipilus 375
primus 253. 45
princeps 63
prior 253. 45
priscus 377
pristinus ibid.
priuatim 514
prius 253
probrum 552
procacitas 389
procax ibid.
proconsul 376
procul 132
proculdubio 188
profectò 158
profluens 100
profore 82
profusus 96
prohibeo 405
proinde 189
promontorium 345
de pronominibus tribus mei tui sui 106
pronuba 492
pronuncio memoriter 256
proœmium 453
propediem 282
propemodum ibid.
properatim 514
propius urbem 133
propono cum alijs verbis 469
propositiones & rationes confundi 270
proprætor 376
proprietarius 26
proquestor 376
prosequor 433
prosper 377
proteruia 389
proteruus 389
protinus 163
prouinciatim 515
prouoco 416
proximè Hispaniam 133
proximè hostiem 135
prudens feci 228
prudenter facere ibid.

pudere pro pœnitere 322
pueri meritorij 373
pugillares 218. 212
pugna 359
pullastra 23
pullus 363
pulsare 558
pulsatio ibid.
puluiſculum 19
punctim 515
punctum 549
punctus ibid.
pupillus 334

Q

Quadragesima 216
quadrimulus 18
quadrimus ibid.
quadringeni 213
quadringenteni ibid.
quadrinoctio 166
quæres 279
quæsitum 423
quæstor 375. 47. 26
quæstorius ibid.
quæstus 225
quæstuosus 70
quàm 272. 56
quàm cui 56
quandudum 171
quamobrem 182
quampridem 171
quanquam 148
quam primum 58
quàmuis 148
quàm ut 56
quando 181. 190
quandoquidem 181
quanti 209
quanti interest 207
quapropter 182
quare ibid.
quartum consul differt ab illo quater consul 277
quasi 172
quatenus 181
quaternus 215
quatriduo 166
Quæ cũ suis cõpositis. 197
quemadmodum 193
queo 58
quia 161
quia pro quòd 31
quidquid 231
quicunq; ibid.
quid 233. 294
quidem 153
quid est nisi 273
quin 184
quin pro cur non, non desiderat subiunctiuum. ibid.
quinetiam ibid.
quippe 154
quidpiam 224
quis 231
quisq; cum numeralibus. 47
quisq; cum uerbo aut participio 772
quisque superlatiuo iungitur 48
quis qui 252. 47
quisquam 279
quispiam ibid.
quisquis 231
quòd 147
quod autem 194
quod datur uerbis opinionis cum indicatiuo 147
quodcunq; 231

quod pro quia 175
quod scribis scribas 147
quod uerò 194
quodq; 231.51
quo & eo cũ cõparatiuo. 51
quominus 38
quomodo 193
quo pro ut 175
quoquo uersùs 130
quoq; 199
quoq; ablatiuus 48
quotannis 580
quot diebus 581
quot mensibus ibid.
quotidiana febris 392
quotidie 282
quoties 188
quotus 50

R.

RApere 474
raptim 514
rasilis 30
rationale 524
rationem constare 418
rationem habeo ibid.
ratio meritoria 394
ratio 539
rationem ducere 418
re in compositione 433
à re composita ibid.
recaluaster 23
recaluatulus ibid.
recedo 482
recesso 311
reciprocatio 589
recludo 461
reconciliari 452
recrudescere 399
reddi 198
reddo ibid.
reddo gratias 441
reddo literas 257
redire in gratiam 452
reduco 471
refercio 254
refero 258.485
refero tibi acceptum 482
referre gratias 441
refert cũ genitiuis 119.209
refertus 254
refigo 461
refragor 363
regimen nominum criminalium & pœnalium 254
regimen quorũdam impersonalium 265
regionatim 515
relatiui cum antecedẽte discordia elegans 236
religiosus 69
remaneo 433
remigrare 482
remissio 309
repere 500
reperire 403
repeto memoria 295
repetundarum 101
repetũdarum accusatio in quos cadat ibid.
repignero 576
reportare 566
reposco 461
repositorium 27
reptare 500
repurgo 431
reputare 555
rescisscere 521
reses 462

resideo 462
resido 408
resigno 461
resipisco 405
respondeo 264
respondere officijs 441
retegere 461
retexo ibid.
retuli expensum 486
retulit mihi & ad me quomodo differunt 258
reuelo 461
reuerti 195
reuerror in patrem 294
rhegienses 376
rhegini ibid.
rhegium ibid.
rhetor 327
ῥήτωρ ibid.
ridiculum 18
ridiculus ibid.
rixa 581
rogationes 349
rogatum te uelim 85
rosaceus 35
rosarium 25.28
rosetum 25
rubicundus 32
rumor 311
ruri 371
rursus 194

S

SAcellum 22
sacrarium 24
sacrilegium 544
sagarius 25
salij 463
salso 487
saltatio ibid.
salto ibid.
saltem 161
saltuarius 25.68
saltus 356
saltuosus 68
saluber 378
salue 526
saluebis saluebo ibid.
salutare 378. 526
salutifer 378
sanè 358
sane uerò 155
sanus 378
sarcina 350
sarcinas colligere ibid.
sarcinas componere ibid.
sarmenta 329
satiare 471
satio 308
satisfacere beneficijs 441
saturare 471
satus 308
saxatilis 31
saxosus 67
scala 226
scateo 78
scaturio ibid.
scaurus 33
sciens feci 382
scienter feci ibid.
scilicet 201
sciscitari 460
scitus 96
σκῶμμα 413
σχολή 358
scribo 428
sculptilis 30
scurra 351
sectilis 31

ſectio 14
ſector ibid.
ſecundùm p̄poſitio multas habet ſignificationes 185
ſecus 54
ſed 153
ſed certè ibid.
ſed cui 279
ſed ſaltem 248
ſed tamen 153
ſed uel ibid.
ſedere 408
ſedicula 20
ſeditio 359
ſeditioſus 67
ſeges 329
ſemel 516
ſementis 329
ſeminarium 25
ſemiſomnis 66
ſenator 375.26
ſenatorius ibid.
ſenatuſconſultum 486
ſenecta 341
ſenectus Ibid.
ſenes 310
ſenior 38
ſenium 341
ſenſile 524
ſenticetum 7
ſentina 582
ſeparatim 514
ſepulchra 366
ſepticollis 346
ſeptimontalia ibid.
ſergius in bibliotheca Beneuentan 63
ſeries 316
ſerio 318
ſero 391
ſerotinus ibid.
ſeruitium 351
ſeruitus ibid.
ſeruus ibid.
ſeſe 125
ſeſſilis 30
ſeſſiones 309
ſic 593
ſicq; 193.194
ſicubi 247
ſicunde ibid.
ſicut 172.193
ſidere 408
ſigna 398
ſiliqua 23
ſiliquaſtra ibid.
ſiliquaſtrum ibid.
ſimilis 264
ſimonia 323
ſimul 165
ſimul & 166
ſin 157
ſin autem, pro ſi non 158
ſin minus 38
ſine nūquam intrat compoſitionem 584
ſingularis quiſq; 50
ſi non 250
ſinus 337
ſinus ueſtium ibid.
ſi pro ſiquidem non accipitur 158
ſiquidem 156
ſis 108
ſiſto 409
ſitus 523
ſiticuloſus 67
ſiue 141
ſoboles 330
ſocius 338

ſodalis

ſodalis 341
ſolamen 368
ſolari ibid.
ſolatium ibid.
ſolicito 470
ſoluendo 88
ſolus 117.281
ſolutilis 31
ſolſtitium 408
ſomniculoſus 67
à ſomnus compoſita 67
ſonatio 14
ſonitus ibid.
ſordes 582
ſordeſco 73
ſortior 434
ſpargo humū floribus 387
ſpecies gñi præponit 520
ſpectaculum 19.341
ſpectat 297
ſpero 447
ſpinetum 27
ſpontè 196
σπουδαῖος 71
ſtare 408
ſtatim 163
ſtator 409
ſtella 519
ſtellio 587
ſterno lectū pallio 387.558
ſtipendia facere 393
ſtipendiarius 26
ſtolidus 397
ſtomachoſus 67
ſtrages 350
ſtragula 551
ſtramentitius 37
ſtrepitus 331
ſtrictim 515
ſtridor 331
ſtructilis 30
ſtrues 350
ſtudioſus 67
ſtultus 394
ſtuprare 558
ſtuprum ibid.
ſua 208
ſuadeo 429
ſuaſor ibid.
ſubinde 189
ſubijt mihi & me 289
ſubleuo 473
ſubſido 409
ſubſidium 463
ſubter 192
ſuburbana 324
ſuccurrit 289
ſuffragia 363
ſuffragor ibid.
ſui 106
ſulphuraria 26
ſummatim 514
ſum audiens tibi ibid.
ſumo ſupplicium 496
ſumptuoſus 170
ſuper 189.192.52
ſupercilia 353
ſupereſt 452
ſuperficies 316
ſuperlatio 41
ſuperlatiui noīs natura. 48
ſuperlatiui reſolutio 41
ſuperſum 451
ſuperioribus diebus 272
ſupini qui dicantur 263
ſupinum in tum 91
ſupinum in tu 92
ſuppetiæ 505
ſupplicare 414
ſupplodere 411

ſupra

ſupra 189.192
ſurdaſter 23
ſurſum 296.130
ſurſum deorſum 196
ſuſpicio 107.496
ſuſtulit pater filium 416
ſutilis 30
ſutrina 346
ſydus 519
ſylua 356
ſyncerum 528
ſynecdoche ad qd ptineat (325

T

Taberna 345
tabernaculum 19
taberna meritoria 373
tabernarij 346
tabulæ 24
tabularium ibid.
tacendus 101
taciturus ibid.
tacitus 96
talio 587
tamdiu 171
tandem 571
tamen qua de cauſa ab oratione quandoque abijcitur 178
tamen cum relatiuo 279
ſub Tamẽ intelligi quamuis 274
tametſi 150
tanquam 172
tanti & quãti cum ſuis compoſitis 205
tantidem ibid.
tanti intereſt 209
tantiſper 187
tanto 183
tanto & quanto comparati uo iunguntur 53
tantum abeſt cũ ut. 163.154
tantum & quãtum cum poſitiuo 53
tantum non 163
tantumq; non ibid.
tantundem 209
taxillus 22
tectorium 26
τεῦχος 312
temerè 182
temperantia 342
tempus continuum per accuſatiuum ſignificari falſum eſſe 272
tempus pro tempore amœnè ponitur 268
tenebricoſus 67
tenebris 579
tenebroſus 67
tenet me dolor 496
teneo memoria 295
tentorium 27
tenus 130. 131
tenus nõ præponitur 129
terebra 20
terebellum ibid.
tergiuerſator 593
tergiuerſari ibid.
ternus 130
terra 375
terrenus 37
territorium 375
tertiùm conſul 277
teſtaceus 36
teſtamentum 539
tete 125
teucria 377
textilis 30
tharſis 409
thebani 377
thebæi ibid.
theca calamaria 25
theca pennaria ibid.
θῆλυς 537
tibi 271
timeo te 268
timeo tibi ibid.
τιμὴ 421
tinctilis 30
titubare 476
toga 501
togati ibid.
τοῖχος 312
tollo 415
tonatio 14
tonitus ibid.
tonſilis 30
tophaceus 36
tornatilis 30
tortilis ibid.
tortuoſus 68
tractim 515
trãcio 257
transfero 272
translucens 432
tranſmarinus 382
tranſmaritimus ibid.
tranſmigro 482
trapezita 347
treceni 213
tribunus 375
tribunitius 376
tributarius 26
tributorius ibid.
triclinium 335
triduo 260
trimus 18
trimulus ibid.
trinitas 217
trinoctio 166
trinoctium 217
trinundinum ibid.
trinum 216
tripudio 487
triticeus 36
triumphalis 375
triumphator ibid.
triuialis ſcientia 289
tua 208 tui 106
tum 150
tum geminatum 152
tum pro aliquando 153
tum ſine cum 152
tum uerò 153
tuo nomine 188
tuos qui 110
turba 581
turbidus homo ibid.
turbo turbinis ibid.
turchia 377
turmatim 515
tutu 125
tute 152
tutelæ damnari 553
tutus 96
τύρβη 582

V

Vacat 479
uacillare 476
uaco 477
uacuatus 255
uadatus 529
uadimonium 530
uæ 132
ualdè 38

uale 527.58
ualeo 526
ualetudo 527
ualetudinarij ibid.
uas 528
ubertim 514
ubi nitidius actiuo, uel passiuo utimur 270
ubi primum 56
ubiq; 513
uectatio 291
uectigal 357
uector 291
uectores ibid.
uel 141 uelut 172
ueluti ibid.
uenalis 381
uenalitiarij 579
uendibilis 381
uendendi uerba 191.28
uendẽdi patrimoniũ. 292.4
uendico 411
ueneficus 35
ueneris duobus modis capitur 249
ueni ibid.
uenia 321
ueni in obliuionem 290
ueni in opinionem 299
uenio in suspicionem 291
uenio in uituperationẽ. ibi.
uentitare 413
uepretum 27
uerba ad authoritatem pertinentia 294
uerba ad coniecturam 288
uerba ad finem operis 290
uerba ad finitionem 288
uerba ad notitiam ibid.
uerba ad recordationẽ. 289
uerba ad spem 288
uerba ad uisionem 289
uerba in sco, & fio 71
uerba in rio 76
uerba in so ibid.
uerba pretij cum casu 206
uerba præteriti tẽporis pro futuri 269
uerba quando uenustè desunt in oratione aut redundant 265
uerbo passiuo ubi nitidius utamur ubi actiuo 270
uerbũ cui ꝑsonæ, gñi, numero, respõdere debeat. 243
uerber 558 uerbera. ibid.
uerberare ibid.
uerberatio ibid.
uereor 144 uerna 19
uernaculus 18
uero non 154
uersicolor 569
uersicoloria ibid.
uersatilis 31
uersilis ibid.
uersus 130
uersus quare non reperitur numerata inter præpositiones ibid.
uertex 507
uernactum 550
uesci 354
uesperi 371
uestiarius 25
uestigo 44
uestras 125
uestri 106
uetatio 14
ueterator 579
ueteres 310

uetò 505
uerò 153
uiam facere 468
uiam munire ibid.
uicatim 515
uicinia 325
uicinitas ibid.
uicissim 200
uictitare 413
uictor 375
uictus 575
uicus 3 4
uidelicet 201
uideor 271
uigiliæ 363 uilla 544
uinacea 37
uinaceus ibid.
uindico 411
uindicta ibid.
uinosus 67
uir 284 uirgo 540
uiritim 155
uir malꝰ nulla lacessitus iniuria, &c. quomodo Latinè dicatur 146
uirtuosus 70
uiso 72
uitabundus 32.33
uiuarium 32
ultrô citròq; 196
ullus 279
umbraculum 19
umbratiles res 30
umbratilis ibid.
unà 165
unio 587 unus 277.281
unusquisq; 50
uocatiui in nominatiuum mutatio 241
uocifer 451
uocor in spem 288
uolatilia 30
uolatilis ibid.
uolitare 500
uolo 270
uolucris 347
uolumen 550
uoluptuosus 69
uelica ministeria 351
urbs 325
usquam 513
usq; 130
usq; adeò 183
usq; eo ibid.
usuarius 26
usurpare 448
usus 406
ut 161. 175. 178
ut cæteri 447
ut cæteros ibid.
ut cum superlatiuo 51
ut qua de causa ab oratione abijciatur 179
uti 173
ut ne pro ut non 247
ut primum 56
utpote 158
uter 47
uter utri 252
uter utriq; ibid.
uterq; cum uerbo aut participio 277
utiq; 158
utroq; uersus 130
utor 406
utrum 47
uulnificus 35
uultus 315
uultuosus 68
Zeugma 244

IN ANNOTATIONES LAVRENtij Vallæ in Antonium Raudensem Index, superiori in numeris respondens.

Ab ab 628
abhorreo. ibid.
ablatiui in e & in i 695
accius poẽta 629
acedia 688
acidia 683
accusatiui temporis ibid.
acinus 653
acrimonia 736
ad 693
aduerbia localia 683
adulter ibid.
adytum 630
aeschilus 656.711
afranius 686
agere ibid.
agere comœdias 697
agnomen 645
agonitheta 670
ala 645
alanus 631
alapa 720
alcæus 630
ales 686
alicubi 638
alicunde 631
aliptes ibid.
aliqualiter 616
aliquando 631
aliquatenus 632.695
aliquid 632
aliquis 631
aliquó ibid.
aliquotiens ibid.
allucinari 632
alluuio 725
altilia 653
alueus 639
amygdaletum 690
ammon 634
an pro uel 678
apocrisarij 686
apotheca 671
appodiare 633
apprimè ibid.
appropiare 703
aquatum ire 633
aquatu uenire ibid.
aratus poẽta ibid.
arbor 686
arbustum 634
arbutum ibid.
arbutus ibid.

archilochus 686
arbor pyrus non pyri 634
architectus 655
areopagus 649
argyroaspidas 635
argumentatio 618
aristoteles 703
arillum 736
argentaria 636
arpi 688
arpinum ibid.
ars 635
ars ludicra ibid.
ars armorum 636
ars gemmaria ibid.
ars gladiatorum ibid.
ars uitraria ibid.
ars statuaria ibid.
ars purpuraria ibid.
ars tectoria ibid.
ars amatoria ibid.
artemon 668
artium substantiua 636
ascellæ 642
asparagus 660
asper 637
aspiro 627
aspirare ibid.
astrologia 637
astronomia ibid.
ἄσυ ibid.
astutus ibid.
attagen 638
attago ibid.
auellanetum 634
auctio sub hasta 735
audax 638
auisare 639
auis 638
ἄυλος 649
aurificina 636
auspicia 111
ausim 638
auxilia 639
axilla 642

B

Baccæ 687
balneæ 640
βαλαντίον ibid.
bancalia ibid.
baptizare 639
barbitonsor ibid.
basti 682
bellus 641
bellum ibid.
bibere ibid.
bipennis 661
bladum 688
blasphemo 641
brachæ 642
brachium ibid.
bubo 639

C

Caducum 660
cadurcum 665
cæcutiens 644
cædes 666
cæsiu 658
cæterum 701
calendas Ianuarij 535
calybs 659
camelus 632
canalis 684
canere 724
cauere 643
canistrum ibid.

cannæ 692
canterij 690
canto 642
capillus 641
caſtra 690
catharrus 674
catechizo 639
caterua 723
catulus 632
catus 667
caue 643
cauſſæ forenſes 637
cauſſarum genera 718
cenſorius 694
cenſus 682
ceruix 646
ceruices ibid.
ceſſo 652
charta 643
chirographus ibid.
choraules 649
chorda 637
chorea 649
ciceronis ſeculum 716
cicur 688
cieo 734
cinædus 658
cio 734
circuire 645
circunſcribere 658
claſſicum 730
clientela 721
clientes ibid.
clitellæ 682
cloaca 642
codicilli &c. 729
cœlibatus 643
cœlebs ibid.
colaphus 630
collum 646
cominus 664
comitium 657
commentarium 647
commentum 691
comœdias agere 645
comediari ibid.
commigrare 722
complices 672
complures 684
concupiſci 652
conditus 704
confutatio 318
conopæum 649
conſultor 648
contemporaneus 686
contendere 647.683
corentor 649
contignatio 655
conuenæ 610
cornicũ oculos cõfigere. 652
cortina 646
coturnix 639
crepido 707
cum 650
curia 644

D

DAre operam 677
de 629
dediticiũ 721
defectus 651
deficio 699
definio 653
defunctus 736
deitas 685
delector 651
demereor 634
delicatus 651

deliberatiuum genus cauſſæ 716
demõſtratiuum genus cauſſæ ibid.
deſidero 652
deſino 683
de reſtitutione in integrum. titulus in iure 728
diabolus 652
dica 643
dicax 654
dicto ibid.
diffinio 653
diffiteri 669
digeſtum per Δ ſcribi non per ff 723
diluuium 652
diſcerno 654
diſcretio 683
diſſimulo 722
diſſoluere 636
diuerſimode 638
diuerſitas modorum uiciosa 78.25
diuerſorium 655
diuido 653
domitianꝰ ut exercitius. 635
domitianus exercitus. ibid.
duellum 656
dyſcolus 731

E

EAtenus 628
econtra 722.696
econtrario 649
editus ibid.
edulium 704
effero 656
elatus 663
elogium 708
eminus 693
emiſſarius 664
energumenus 710
enſiculus 651
epulum 660
ergaſterium 642
ergaſtulum 633
eruo ibid.
eſt cum infinitiuo 640
ex 689
ex abundanti 628
ex compoſito 726
excubiæ 691
excurſiones 649
ex maxima parte 657
exodia 698
exoleti 642
exoro 733
exoſus 673
extrinſecus 674
ex urbe florentia 651
ex urbe Meſſana 635

F

FAber tignarius 655
factio 632.691
factioſus ibid.
faſtidio ibid.
far 658
farrum 637
fautio ibid.
fautor 632
fautioſus ibid.
fero in oculis ibid.
feruere 698
ferula 662
ficedula 731

figulina 636
fletus 706
fluctus 725
fœminalia 642
fœnero 658
foro uti 637
forum ibid.
forum Liuij ibid.
forum Iulij ibid.
forum boarium ibid.
forum holitorium ibid.
forum Cornelij ibid.
francolinum 638
frugalitas 727
fruges ibid.
frugi ibid.
frutex 725
frutecta ibid.
fugit me 698
fullonica 636
fundus 655
fungus 660
furta quorũdam scriptorũ ex authoribus 692

G

GAlea 660
garrire 692
gastrimargia 660
gazophilaceum 710
gestire 692
getuli 688
gymnasium 725

H

HActenus 722
hallucinari 724
hastarium 731
hedraula 634
helluari 640
hic,is 722
hinnulus 632
hippodromus 655
hippomanes 732
his unico i scribi 701
holitor 678
homo magnæ existimationis &c. 700
horreum 632
hortulanus 678
hortus ibid.
hydraula 633

I

IAnua 712
ibidem 643
ibi 643. 661
idus Martij 635
ignauia 684
ilex 635
illuc 643
imbrex 684
imitatio 704
index 663
induciari ibid.
induciæ 641
induere 726
industrius 663
inficiari 669
infiteri ibid.
infra 654
infractus 707
infrontitus 638
in oculis ferre 698
inquilini 630
inscriptus 658
instantia 683
insula 655
internus 652
interpello 662
intra 654
intrinsecus 651
ipse 661
isthic ibid.
iter habere 731
iuba 660
iubeo 683
iugulus 646

L

LAnista 665
lasciuus 638
laudes 700
lautus 851
legalis materia 718
lenibus 667
lentiginosus 674
libripens 685
licet non habet post se ut 644
linter 448
lyra 724
litare 709
litus 707
loco tuo non loco tui 725
lodex 663
longè 664
lora 641
luceus 686
lupanar 664
luscus ibid.
lustrare 699
luxuria 664. 733
liburnæ 667
lyra 724

M

MAialis 678
maioris uendo nõ dicitur 689
malum 656
mango 731
martiani Capellæ furta 993
meatim 667
memini 665
membrana 643
mensem decembrem non bris 636
metaphysica 702
mille 667
mimi ethologi 663
minime gentium 711
moderni 727
modorum diuersitas uiciosa 702
mons Auentinus 634
mons Auentini ibid.
mons Caucasus ibid.
mons Caucasi ibid.
mouere tragœdias 645
mucro 681. 660
mugilis 681
multo mane 654
multotiens 632
muriceps 667
muscipula ibid.
mutuo ibid.
mutuor ibid.

N

NAblum 724
nablium ibid.
nænia 642
næuus 665
nauclerus 668

naulum 668
ne 657
necubi 631
necunde 631
nequam 727
neu 657
neue 668
nycticorax 639
nolim 638
nola 724
nomen 669
nonas Februarij 635
norma 698
nosse 645
nosce ibid.
nothus 659
nouiter 701
nox intempesta 670
nuces 656
nugæ 670
nullatenus 632
nullibi 631
nuncius & nuncium 671
nunquid aduerbium 670

O

OBligatus 672
obloqui ibid.
obesus 678
obnoxius 672
obruesco 673
obsoletum 735
obsonium 644
obstrepere 699
odium 674
odos 634
officina 633
oliuetum 634
omnimodè 638
operam dare 672
opices 652
opifices ibid.
orarium 731
orator uir bonus 703
oratrix 636
oro 711
orcheſtra 729
organa inſtrumentum muſicum 633
ouare 660

P

PAbulari 690
pacuuius 687
pallium 649
pancratiaſtes 656
papula 667
parentare 708
pariformiter 651
paruiſſima 667
parumper 645
paſtio uillatica 680
paſtophorium 710
pauliſper 645
paxillus 642
pecuaria 636
pedibus ire in ſententiã. 723
pellex 666.630
pelliparius 681
penſilis ibid.
penſionarius ibid.
penſitandum 646
penuria 682
penus ibid.
pepigi 678
peplus 731
perdix 639
perduellio 629

perduellis ibid.
periclitor 638
perinde 734
peritaſmata 640
periſtromata ibid.
peroſus 674
perquampluſculi 684
perſequi 682
perſuadeo te & tibi 674
petulans 638
philos 659
phonaſcus 693
phramea 660
φρόνησις 638
phyſica 702
pilus 641
pindarus 686
pinna 681
pinnaculum ibid.
pituita 674
planctus 659
plangere ibid.
ploratus ibid.
pluries 632
pœnitet 681
pomœrium ibid.
pomarium ibid.
popina 640
popularis 733
portare 708
portitor 641.664
poſca 641
potis 689
præcoquus 736
præfractus 709
præguſtator 722
præiudicium 661
præmaturus 735
prænomen 669
præpes 638
præpoſterus 705
præ ſe ferre 680.698
præſentialiter 690
præſto 679.689
præſidium 639
præter pro ultra 736
presbyter 709
primus dies Decembri 635
procella 726
proconſularis 690
procus 658
prodeſſe 705
proditor 691
proœmium 716
profeſſio 691
profeſſores ibid.
profiteri 691
pro maiori parte 698
propè 693
propemodum 696
propinare 640
proſcriptus 658
proſtibulum 664
pſalterium 724
puerpera 679
puerperium ibid.
pugil 656
pugio 660
pullus 632.638
pumex 664
pumilius 694
puſca 641
pythagoras 686

Q

QVadruplator 735
quàm 644 677
quamplures 684
quantotius 645

quasi 628
quatenus 626
quatinus ibid.
quercus 635
quidquid 685
quid non bene ponitur pro quiddam 696
quiddam 631
quidam 696
quilibet 675
quispiam 696
quispiam ibid.
quisq; 675
quisq; cum superlatiuo. 678
quisque tantùm in singulari ibid.
quoddam 631
quoquam ibid.
quot mensibus 698
quotus 697
quotusquisq; ibid.
quum 633

R

RAcemus 736
Ramus 634
Ratio 654
reatus 677
recitare 697
recommendo ibid.
reddere 698
redhibeo ibid.
reduces 705
repuerare 698
respicere ibid.
reus 677
rhetorice 700
ridiculosè 644
rima 708
ripa 707
riparia 707

S

SAcrarium 710
Sagina 684
Saginare ibid.
salio 710
salto ibid.
saltus 642
saraballa ibid.
satelles 710
scaber 637
scolaris 728
scio genera & facio genera 644
scio uti foro 637
scopare 711
scorpio 637
scribo ad te & tibi 711
scurra 660
secerno 654
secta 714
secundum quod ueniunt ad manus 697
seditiosus 691
senecæ ætas 713
senecæ duo 714
sensus ibid.
sententia color rhetoricus ibid.
sententia in narratione & cæteris orationis partibus ibid.
sententiæ in Terentio plurimæ 719
sententiæ in exemplo epistolisq; ibid.
sententiæ genera ibid.
septem

septem centena 667
sequens 721
series 277
serioſe 663
serius 677
sæuum 643
sic 722
sicarij 710
simonia 723
simulo 722
simultas 674
siquidem 722
situs 632
societas 723
soluere pecuniam 646
sonare 723
spatà 660
specula 649
sperma 725
sphæra 645
spondeo 692
stipator 722
stipendiarij 725
strata 732
strepitus 692
stuprum 664
sub idem tempus 695
subridens ibid.
subsidium 639
sudarium 731
suggestum 711
suggillo 695
suffragium 657
superfluè 725
supeculus 614
sutrina 636
suus ineptè positum 670
syringa 724

T

TAberna 633
tabellarij 705
tantillus 680
tegumina 727
tempestas 726
tempestiuè ibid.
tempus 650
tempus redimere 658
terror ignis 689
teter 672
thermæ 639
thesaurus 728
tibia 649
tibicines 708
tigillum 727
tignarius 655
tinnire 723
tofus 663
tonstrina 633
toga 646
tragœdias mouere 645
treuga 680
tribulus ibid.
tribulor 729
tribunal ibid.
trieris 667
triremis ibid.
triumphus ibid.
trophæum ibid.
truncus 634
tuatim 669
tuba 730
tubicines 705
turma 723

V

VAluæ 712
Vapos 634
Vbi pro quo 633
Vbi gentium 712

INDEX.

ue 695
uel 685
uelitor 694
uenalitiarij 731
uendo maioris non dicitur 689
uerecundia 732
uernaculum 733
uernilis ibid
uerres 678
uersuram facere 650
ueruex 678
uideat 711
uindico 695
uiscani 68
uisceratio 648
ullus 632
ulterius 733
ultrò citrò q; 736
unæ ædes 734
unam pro alia 685
unumquidq; 700
unusquispiam 675
uolumen 728
uomica 663
urbs Mediolanum 635
urbs Placentia ibid.
urbs Roma ibid.
urbs Pataui ibid.
uti foro 637
utpote 726
utrum 670

FINIS.



Huno librum iure possidet
Christian Fridrich Pertzsch.